PRÆLECTIONES

DE DUOBUS IN THEOLOGIA CONTROVERSIS CAPITIBUS:

DE

JUDICE CONTROVERSIARUM,

PRIMO;

DE

JUSTITIA HABITUALI ET ACTUALI,

ALTERO:

PER

REVERENDISSIMUM VIRUM

JOAN. DAVENANTIUM,

S. Theol. Doctorem (nunc Episcopum Sarisburiensem) ante aliquot annos in celeberrima Academia *Cantabrigiensi* Theologiæ professorem pro Domina MARGARETA, in scholis Theologicis auditoribus suis dictatæ.

OPTAT. adversus PARMEN. lib. 5.

Cùm in terris nullum poterit reperiri judicium, de cœlo quærendus est judex. Sed ut quid pulsamus ad cœlum, cùm habemus hîc in Evangelio?

GREGOR. moral. lib. 21. cap. 15.

Omnis humana justitia injustitia esse deprehenditur, si divinitus districtè judicetur.

CANTABRIGIÆ,

Ex Academiæ celeberrimæ typographeo.

Anno MDCXXXI.

Ex dono Francisci Drake fratris plurimùm honorandi

PRAELECTIONES

DE DUOBUS

THEOLOGIA

CONTROVERSIS

QUAE IN SEMINARIO

PRO VIRIS

SEMINARIUM

POTENTISSIMO
SIMUL AC
PIENTISSIMO PRINCIPI
CAROLO,
ANGLIÆ, SCOTIÆ, FRANCIÆ, ET HIBERNIÆ REGI,
Fidei Defensori, &c.

Inclytiſſime Rex & religioſiſſime, quòd opus hoc levidenſe & craſſo filo divulgaverim, tibíque tanto principi dicaverim, feci id fretus partim conſcientiâ officii mei, partim confidentiâ benignitatis ac prudentiæ tuæ. Animadverteram multos ex hoc ordine noſtro epiſcopali, aurum, argentum, & purpuram ſuam, quotidie in uſum eccleſiæ offerre; nefas ergò mihi putabam officio meo deeſſe, ac pilos caprarum pelléſque arietum (quos penes me habebam) non apportare. Nam hoc quidem epiſcoporum omnium negotium, hoc otium, hic labor, hæc quies eſt, ut, quà poſſint, eccleſiæ commodis utilitatíque deſerviant. Emittendi igitur hujus operis, contra communes eccleſiæ noſtræ hoſtes, hic ſtimulus fuit ab officio noſtro: ſed dedicandi, à regia illa & ſingulari indole veſtra, in qua omnia non minùs plena noveram clementiæ & manſuetudinis, quàm prudentiæ & virtutis. Hoc animo (Sereniſſime Rex) ex ingenti errorum acervo, quo eccleſia Romana obruitur, duos potiſſimùm ſuſcepi oppugnandos; *De fidei norma & judice* unum, *De juſtitia habituali & actuali* alterum: in quibus ſolis ſi penes nos ſteterit victoria, actum eſt de papa & papiſmo, actum de miſſis, indulgentiis, & papalibus quiſquiliis univerſis. Neque abs re erit hoc in loco paucis perſtringere errorem dicam an ſtuporem, non modò vulgi papiſtici, ſed totius ſchola Jeſuiticæ. Nam ſi ab iſtis quæratur, quis ſit ſupremus ille & abſolutus judex in cauſis fidei, cui

Extrav. Joan. 22. cap. Cùm inter. in gloſſa.

omnes qui ſalvi eſſe volunt in omnibus parere tenentur; illico nobis oſtentant dominum deum ſuum papam in ſublimi cathedra Petri collocatum. Hunc aſſerunt, quamvis nihil eruditionis, nihil pietatis habeat, nihil curæ, nihil ſtudii adhibeat, conſcendat modò cathedram ſuam, & prætoria ſua edicta proponat animo obligandi totam eccleſiam, nullo modo poſſe in definienda fidei veritate aberrare. Sic delirat plebs papiſtarum, ſic inſanit flos Jeſuitarum. At non ſic olim Durandus; cujus eſt illud, *Neſcio cur non poſſit dici, quòd Gregorius papa, cùm homo fuerit & non Deus, potuerit errare.* Non ſic patres in concilio Conſtantienſi, non in Baſilienſi, non denique Sorboniſtæ in academia Pariſienſi: qui omnes negant papam è tripode ſuo ſemper fundere oracula; quinetiam apertè contendunt, illum tam in fide quàm in moribus & poſſe & ſolere de recta via deflectere. Sed dejecto ac depulſo judice hoc voluntario & nimis ambitioſo, quem tandem collocant in eodem tribunali, qui ſibi præ cæteris ſapere videntur in eccleſia Romanenſi? Concilium ſcilicet univerſale ex eccleſiæ hujus prælatis congregatum & conſtitutum. Hunc cœtum, catholicæ eccleſiæ epitomen, horum in omnibus fidei cauſis ſententiam, non minùs certam quàm ipſius Chriſti eſſe arbitrantur. Verùm enimvero haud ægrè ferre poſſunt noſtram in credendo tarditatem, qui à ſuis Jeſuitis, ut huic ſententiæ fidem adhibeant, nondum impetrârunt. Nam utcunque, quando cum noſtris velitantur, conciliorum generalium infallibilem authoritatem pleno ore deprædicant, id tamen intelligi volunt cum hac exceptione; In rebus fidei definiendis nunquam errat concilium generale, Si in ſententia ferenda à papa capite ſuo ſe dirigi ſinat; vel, Si ſententiam ſuam ab hoc capite ſuo (ubi opus eſt) corrigi patiatur. Perbenigné. Id nimirum concedunt concilio generali, quod cuivis indoctorum imò hæreticorum conciliabulo non auſint denegare. Sed minimè opus fuit tam reſtrictè agere cum conciliis qualia nunc dierum apud iſtos haberi ſolent: in quibus nemo hiſcere audet præter eos qui è ſcrinio pectoris pontificii loquuntur; in quibus reliqui omnes mutam ac ſedentariam aſſentiendi neceſſitatem, cum magno animi dolore, & conſcientiæ gravi vulnere plerunque patiuntur. No-

Lib. 4. diſt. 7. quæſt. 4.

bis

bis interim licet ſummâ æquitate ſpectare pugnantes ſecum adverſarios; ac concedere veteribus pontificiis, divinum illud non errandi privilegium pontificiæ cathedræ trabali clavo nunquam fuiſſe affixum: concedere etiam novitiis Jeſuitis, idem privilegium nè conciliis quidem generalibus eſſe concedendum. Unde illud efficietur; Inter inſanabiles errores eccleſiæ Romanæ numerari oportere, quòd profitetur ſe in fidei cauſis definiendis non poſſe errare. Verùm eſto, nec papa in judicando liber ſit ab errandi periculo, nec cœtus ullus prælatorum: ubi tandem reperiet eccleſia judicem ſuum ſupremum & infallibilem, cujus ſententiam abſque omni metu & periculo amplectatur? Dicam verbo. In cœlis firmatum eſt ſolium hujus judicis, ſed in terris audire poſſumus vocem judicantis. Dici ſiquidem abhinc de omnibus ad ſalutem hominum neceſſariis Deus è cœlis per prophetas, per apoſtolos, per filium clarè pronuntiavit, ſuámque hanc ſententiam ac voluntatem ſacris literis mandavit, eccleſiæ legendam ac divulgandam commendavit. Rectè ſententiam ferunt, & audiendi ſunt judices terreni quoties cœleſtis judicis ſententiam rectè efferunt: veruntamen ſi ab hac diſceſſerint (quod accidere poteſt & ſæpe accidit) improbè jactitant judicii ſui infallibilitatem, tyrannicè cogunt Chriſtianos in ſuæ ſententiæ obſequium, pernicioſè parent Chriſtiani, & in ſuæ ſalutis diſpendium. Non igitur ſummovemus eccleſiaſticos judices ab officio ſive miniſterio judicandi, non docemus eorum ſententiam eſſe nullam, aut à populo conculcandam: ſed ſubmittimus eorum judicia cœleſtis judicis poteſtati; & urgemus, illorum ſententiam, ut valida ſit, ad regulam divinæ legis eſſe ſemper conformandam. Quò magis expedit omnibus quibus ſua ſalus curæ eſt, jus ſuum nôſſe & tueri: Tibi autem (Sereniſſime Rex) præ omnibus; qui verum illum & pulchrum titulum *Defenſoris veræ fidei* meritò obtines, præclarè ſuſtines. Defendis tu fidem, ſempérque defendes; ſed hanc veram quam in verbo ſuo expreſſam divina authoritas tibi defendendam commiſit; non iſtam adulterinam & nuperam, quam, papæ aut quorumcunque mortalium cerebello natam, humana temeritas eccleſiæ ſuſcipiendam obtrudit. Sed quoniam ad ſalutem hominum parùm proficit

de judice & veritate fidei bene ſentire, ſi interim de juſtitia vitæque ſanctitate minimè ſint ſoliciti; priori huic diſputationi alteram conjunxi, verboſo ac otioſo huic ſeculo planè neceſſariam, *De juſtitia habituali & actuali*, id eſt, de interna animorum ſanctificatione, & externa operum bonorum exercitatione. Utriuſque neceſſitatem oſtendo contra iniquiſſimas calumnias; utriuſque imperfectionem contra graviſſimos errores papiſtarum. Si veriſſima hæc doctrina animis noſtris penitus inſideat, comprimetur ſimul hominum ſuperbia, & acuetur induſtria; Chriſti juſtitia unicè celebrabitur, & juſtitia operum interim haud negligetur. Nam cui perſuaſum eſt, abſque renovante gratia & vita honeſtè ſanctéque acta nullum eſſe mortis effugium, nemini patere ad cœlos aditum; is otioſæ fidei nunquam andebit indormire. E contrà, qui juſtitiam ſuam omnem mutilam ac mancam agnoſcit, qui opera ſua bona plurium malorum admiſtione, & plurimarum macularum aſperſione fœdata intelligit; is, ut mortem effugiat, vitámque obtineat æternam, ad unicum illud & tutiſſimum Chriſti crucifixi aſylum protinus ſibi eſſe confugiendum fatebitur. Hæc ea ferè ſunt quæ in hoc libro latiùs perſequor; quem veſtræ Majeſtati humillimè offero, & ut fronte ſerenâ accipias ſupplex peto. Nè verbis diutiùs quàm par eſt, te ſummè reipublicæ & eccleſiæ invigilantem detineam, in vota deſino. Defendat Deus Majeſtatem veſtram, veræ & catholicæ fidei defenſorem; tueatur te eccleſiæ hujus legitimum & ſtrenuum tutorem; faxit denique ut qui in hoc ſeculo juſtitiam & religionem colis, in illo altero vitam & gloriam obtineas ſempiternam. AMEN.

Sereniſſimæ Majeſtatis veſtræ ſubditus

ſervíſque humillimus

JOAN. SARISBURIENSIS.

CHRISTIANO LECTORI SALUTEM.

Quæ nunc pervulgamus, ante multos annos lucubrata fuerunt in academia Cantabrigiensi, & auditoribus meis dictata. Commodum mihi tum videbatur, disputationes nostras exordiri ab illa, quæ de judice & norma omnium controversiarum inter nos & Romanenses versatur, controversia: utpote quæ ad cæteras omnes dirimendas maximi ponderis est & momenti. Nullo etenim errore, nullo unquam crimine damnabitur ecclesia Romana, si aut ipsa judex sedeat in causa sua, aut nobis judicem det è suis amasium suum, omnium errorum & scelerum suorum caput, pontificem Romanum. In hac igitur disputatione id præcipuè agimus, nè religio, fides, salus Christianorum ab incerta humani judicii alea dependeat, sed ad sacratam divinæ authoritatis regulam semper exigatur & revocetur. Neque tamen defendimus (quod calumniantur papistæ) unumquemque in rebus ad fidem & salutem suam spectantibus privati sui spiritus judicio niti oportere: sed tam ecclesiasticos quàm laicos uti suo privato judicio jubemus, quia homines sunt quibus inest sensus & intelligentia; neutros autem niti volumus privati sui spiritus judicio, quia itidem homines sunt, quibus facilè obrepere potest error & negligentia. Hinc illud prophetæ, nostris omnibus, sive doctis sive indoctis, semper in corde, semper in ore, Ad legem & ad testimonium; si non dixerint juxta verbum hoc, non erit eis matutina lux. Esa. 8. 20. Quòd si nobis libitum esset de Romanensibus criminari, vix ipsi negare possent, ecclesiam suam privato & vertiginoso unius hominis spiritu niti; utcunque de enthea quadam Petri cathedra, & perpetuò ibidem famulante Spiritu sancto — stulti sibi somnia fingant. Sed nolo labore planè supervacaneo hic ea ingerere, quæ in hoc libro, sive de judice nostro sive de justitia, sunt fusè disputata. Indè petas, benigne lector: & siquid ex usu tuo reperias, juva me precibus tuis apud Deum; aliam mercedem non desidero. Vale.

Disputatio prior de Judice controversiarum.

Index eorum, quæ singulis capitibus continentur.

CAP. I.

ORdo & summa futuræ disputationis. pag. 1

CAP. II.

Explicatio terminorum, qui subinde recurrunt in hac materia. 2

CAP. III.

Triplicis judicii distinctio.

1 *Absolutæ & supremæ authoritatis.*

2 *Ministerialis & subordinatæ potestatis.*

3 *Privatæ & practicæ discretionis.* 3

I De judicio absolutæ & supremæ authoritatis.

CAP. IIII.

Quæstio prima. *Quis sit ille supremus & absolutus judex, qui de tota doctrina fidei & cultus divini judicaverit, pronuntiaverit & statuerit* νομοθετικῶς *&* αὐτοκρατορικῶς. 5

1 *Omnia fidei dogmata à solo Deo esse constituta, docetur.* 6

2 *Eandem esse rationem de operibus cultus, probatur.* 7

3 *Objectioni pontificiorum occurritur.* 9

CAP. V.

Quæstio secunda. *Unde petenda sit Dei sententia de omnibus fidei dogmatibus & cultus divini præceptis.* 10

Contrariæ papistarum & orthodoxorum sententiæ proponuntur. ibid.

CAP. VI.

Argumenta pontificiorum proponuntur & solvuntur. 12

CAP. VII.

Alia pontificiorum argumenta pro traditionum necessitate contra Scripturarum unicam regulam, proponuntur & solvuntur. 18

CAP. VIII.

Testimoniis paparum, conciliorum & patrum respondetur. 21

CAP. IX.

Solvuntur quatuor alia Bellar. argumenta. 36

CAP. X.

Scripturam, eámque solam, perfectam & totalem esse regulam fidei ac cultus; traditiones autem non scriptas ab hac fidei & cultus materia excludendas, probatur;

1 *Testimoniis Scripturarum.* 40

CAP. XI.

2 *Rationibus in iisdem Scripturis fundatis.* 46

CAP. XII.

3 *Patrum testimoniis.* 53

CAP. XIII.

Quæstio tertia. *An Scriptura ipsa satis verè, aptè & commodè à nostris theologis judex fidei vocetur & statuatur.* 59

1 *Quæ nostrorum theologorum, qui Scripturam judicem ponunt, mens sit, aperitur.* ibid.

2 *Hanc judicandi authoritatem Dei verbo competere confirmatur, testimoniis Scripturæ, 60. rationibus, 61. patrum testimoniis.* 63

3 *Cavillis adversariorum respondetur.* 64

II. De ministeriali judicio.

CAP. XIIII.

Quæstio prima. *Quinam illi sint, qui exercent publicum judicium ministeriale in ecclesia Dei ex ordinatione divina.* 69

1 *Pastores & doctores exercent judicium directionis sive instructionis.* ibid.

2 *Episcopi & alii quibus jurisdictionem concessit ecclesia, coerctionis spiritualis.* 70

3 *Supremus gubernator civilis, externæ & corporalis coerctionis.* 71

Contra hoc judicium civilis magistratus objectiones solvuntur. 75

CAP. XV.

Quæstio secunda. *Quæ ac quanta sit necessitas horum judicum, de quibus in priore quæstione disputatur.* 78

1 *Judicium pastoralis directionis esse in ecclesia Dei prorsus necessarium, probatur.* ibid.

2 *Judicium etiam jurisdictionis spiritualibus censuris armatum, ibid. sive seorsim exerceatur ab episcopis, 79. sive à synodis particularibus. ibid. Judicium concilii*

Oecumenici

oecumenici utile, sed non absolutè necessarium. 80
3 *Judicium coactivum civilis magistratus, in causis religionis non absolutè necessarium:* 81. *sed tamen perutile.* 82

CAP. XVI.

Quæstio tertia. *Quousque se extendat potestas sive authoritas horum judicum, quos ipse Christus ecclesiæ suæ instituendæ & gubernandæ præfecit.* 83

I. Ecclesiasticorum.

1 *Prælati ecclesiastici habent potestatem in ritibus, &c.* 84. *quâ abuti possunt multis modis.* 85
2 *Iidem habent potestatem proponendi & exponendi doctrinam in Scripturis traditam de fide & cultu.* 87. *sed non condendi novam. ib.*
3 *Judicandi de litibus in ecclesia, de personis sententiam ferendi eásque censuris coercendi & excommunicandi.* 89. *Hujus potestatis abusus.* 90

II. Judicis civilis.

Supremus magistratus potestatem habet de vero Dei cultu judicandi, verámque religionem omnibus suis subditis imperandi, ad ejusdem professionem pœnis externis omnes cogendi, ipsos denique sacerdotes ad munia suaritè obeunda compellendi. 91. *Hujus potestatis abusus.* 93

CAP. XVII.

Quæstio quarta. *Quanta sit certitudo sive infallibilitas in decretis, interpretationibus aut latis sententiis judicum ministerialium in ecclesia.* 95
Sententiæ nostrorum & pontificiorum theologorum. 95, 96.

CAP. XVIII.

Pontificiorum argumenta ex Scripturis petita pro infallibilitate conciliorum universalium solvuntur. 97
Eorum rationes pensitantur. 101

CAP. XIX.

Patrum testimoniis respondetur. 106

CAP. XX.

Præmissâ collatione sententiæ nostræ & adversariorum de conciliis oecumenicis, argumenta contra eorum infallibilitatem proponuntur. 110

CAP. XXI.

Contra infallibile judicium pontificis Romani.
Adversariorum rationes proponuntur & solvuntur. 118

CAP. XXII.

Argumenta nostra contra infallibile judicium papæ. 128

CAP. XXIII.

Papæ cum concilio generali judicium non esse infallibile, probatur. 133

CAP. XXIIII.

Quòd concilia sint errori obnoxia, fuisse consentientibus patrum suffragiis comprobatum, ostenditur. 142

III. De judicio privatorum, quod *practicæ discretionis* appellatur.

CAP. XXV.

Quæstio prima. *An quilibet Christianus teneatur uti hoc judicio discretionis in recipiendis interpretationibus aut definitionibus prælatorum, de rebus ad fidem ac salutem pertinentibus; an potiùs in rebus fidei teneatur absolutè submittere suum judicium sententiæ judicum ecclesiasticorum.* 145
Sententia Romanensium quæ sit ostenditur. 145, *&c. quæ nostrorum.* 148

CAP. XXVI.

Pontificiorum argumenta pro absoluta obedientia absque omni examine, unà cum solutionibus. 149

CAP. XXVII.

Argumenta, quibus confirmatur sententia nostrorum pro judicio discretionis. 160

CAP. XXVIII.

Testimonia veterum pro eodem judicio discretionis ab omnibus adhibendo. 167

CAP. XXIX.

Quæstio secunda. *An singuli fideles habeant à Deo tale donum illuminationis, quod eos reddat sufficientes & idoneos ad examinandum, dijudicandum & discernendum in dogmatibus fidei, quid verum, quid falsum, quatenus*

quatenus sunt unicuique eorum ad salutem necessariò credenda vel cavenda. 174

CAP. XXX.

De dono illuminationis, quod facit fideles singulos idoneos ad judicandum de divina veritate illorum dogmatum quibus fidem adhibent. 176

Dari tale donum probatur testimoniis Scripturarum, ibid. rationibus à necessitate luminis infusi. 178

Solvuntur objectiones. 182

CAP. XXXI.

Afferuntur antiquorum testimonia pro discretionis judicio, quod donatur singulis fidelibus à Spiritu sancto. 186

CAP. XXXII.

Quæstio tertia. *An spiritus privatus constituatur judex ex sententia protestantium.* 191

Nostri expresè oppositum docent ibid. Sed Bellarminus odiosè & ineptè affirmativam sententiam nostris affingit, 192. *cujus calumnia examinatur & diluitur.* 192,193

CAP. XXXIII.

Rationibus ostenditur nos non facere privatum spiritum judicem controversiarum. 195

1 *Non facimus privatos quoslibet judices controversiarum, licèt illis judicium discretionis concedamus.* 195

2 *Hoc ipsum judicium discretionis privato eorum spiritui non concedimus.* 197

PRÆFATIO AD ACADEMICOS.

COntroverſiam gravem & celebrem ſuſcepi diſceptandam, eam nimirum quæ inter vos & pontificios agitatur, de judice & norma omnium controverſiarum. Neq; caſu in hanc delatus ſum, ſed conſilio illam elegi, multáſq; ob cauſas cæteris præmittendam putavi. Nam primò (ut rectè obſervavit Bellarminus) quæſtio hæc illa eſt, ex qua cæteræ omnes controverſiæ dependent: quia igitur latiſſimè patet, atq; ad reliquas omnes definiendas viam aperit, principem locum jure poterit ſibi vendicare. Fruſtra enim de religionis negotio cum adverſariis diſputamus, ſi quo judice ſtandum aut cadendum ſit ignoremus: fruſtra etiam ipſum judicem agnoſcimus, ſi quam ille ſententiæ ſuæ, atq; totius juris divini regulam conſtituerit, minimè intelligamus. Viderunt hoc pontificii, atq; idcirco omnes ingenii ſui nervos intenderunt, ut illum judicem dent orbi Chriſtiano, quem ſibi ſatis benevolum & faventem, nobis infeſtum & inimicum ſciunt: ut illam etiam judicandi regulam introducant, quam erroribus ſuis jampridem adaptatam, ac evangelicæ veritati contrariam intelligunt. Quid enim aliud moliuntur, cùm Chriſtum de judiciario hoc tribunali deturbant, ac Jovem ſuum Latialem in eodem collocant? cùm verbi ſcripti unicam normam ſugillant, ac lacinioſam illam traditionum occultarum regulam huic agglutinandam contendunt? Si in hac una quæſtione vicerint pontificii, in cæteris omnibus victoriam ſine ſanguine & ſudore obtinebunt; ſi in hac cadant, in reliquis etiam vincantur eſt neceſſe. Aut hic igitur illis reſiſtendum, aut nobis omnino pereundum eſt. Quanquam haud eſt quod magnopere ab iſtis metuamus, qui in hac pugna ſuperiores nunquam evaſerint, niſi Chriſtum Dei Filium epiſcopo Romano ſubjecerint, niſi omnipotentis Dei verbum divinum, aut anilibus fabulis, aut incertis ſaltem & humanis inventis adæquaverint.

De verb. interp. 3. 3.

Sed illud etiam ut ab hac controverſia exordium caperem incitavit, quòd papiſtæ nuſquam alibi inſolentiùs glorientur, nuſquam ferociùs eccleſiis noſtris inſultent, quàm cùm de judice controverſiarum ſupremo & infallibili declamitant. Nam illud ad ravim uſq; ab omnibus ingeminatur, deeſſe proteſtantibus ſupremi judicis tribunal, cujus authoritate omnes circa religionis cauſam enatæ lites dirimantur. Quocirca nullam habere nos viam controverſiae terminandi, & mutuam concordiam ineundi; quia nullí mortalium abſolutum & infallibile in cauſis fidei judicium concedimus.

E contrà ſubinde jactitant, eccleſiæ ſuæ Romanenſi perpetuò adeſſe judicem conſpicuum & viſibilem, quem litigantes poſſunt ex cathedra pronuntiantem audire, atque in ejuſdem ſemel lata ſententia non minùs ſecurè quàm in oraculo cœlitus demiſſo acquieſcere. Utcunq; igitur inter iſtos oriri ſubinde poſſunt controverſiarum ac contentionum fluctus, ſedari tamen facilè & componi poſſunt: Nam ut coortâ tempeſtate, Neptunus apud Poetam, **Proſpiciens, dicto citiùs tumida æquora placat—Collectáſq; fugat nubes, ſolémq; reducit:** *Sic pontifex Romanus apud papiſtas, quantumvis in fidei materia tumultuantes ac fluctuantes, uno verbulo rem definiens, omnes illico prorſus ad concordiam ac fidei unitatem revocat. Non invidemus iſtis inanem hanc gloriolam, & jucundum inſomnium; eam tamen diſputationem inſtituemus, quæ clarè oſtendet, neq; noſtras eccleſias carere ordinatâ illâ & legitimâ judicandi authoritate, quam fas eſt præpoſitis in fidei ac religionis negotio exercere: nec pontificios habere illam abſolutam, infallibilem, & pluſquam prætoriam in definiendis fidei controverſiis poteſtatem, quam ſuperciliosè nimis, ac ſtolidè ſolent ſibi arrogare.*

Porrò & illud me invitavit ad hanc controverſiam de ſupremo religionis judice pertractandam, quòd ipſi Romanenſes ſupremum hoc & viſibile tribunal, quod vano errore extruxerunt, mutuis ſuis diſſidiis diruunt, & dilacerant. Si enim ab iſtis percunctemur, penes quem conſtitutum ſit ſupremum hoc & infallibile judicium de quo tantopere gloriantur: qui veterem papiſmum amplectuntur, apertè reſpondebunt, hoc eſſe penes œcumenicum concilium, vel ſecluſo pontifice Romano; quem hæreticum eſſe poſſe, & hæreſeos doctorem, concilium Conſtantienſe, Baſilienſe, cum multis doctiſſimis viris, qui claſſem ducunt inter ipſos pontificios arctè tenent, accuratéque defendunt: Jam verò ſi iſtos adeamus qui papiſmum interpolatum vel Jeſuitiſmum potiùs ſequuntur; uno ore clamabunt, concilium etiam generale, ſi pontificis Romani deſit authoritas & approbatio, eſſe corpus mutilum, & errori obnoxium; ejus anathemata irrita eſſe, decreta omnia infirma & invalida. Non alio igitur ſenſu admittent hæc axiomata ſua, **Eccleſia non poteſt errare in judiciis fidei, Concilium generale eſt judex ſupremus & infallibilis omnium controverſiarum,** *quàm ratione capitis, id eſt (ut illi volunt) pontificis Romani. Specioſum nomen eccleſiæ, & conciliorum ubiq; obtenditur; ſed ſolius pontificis infallibilitas ſtabilitur. Eccleſia enim non errat, quatenus adhæret capiti non erranti: concilia infallibiliter judicant, quatenus patiuntur judicia ſua dirigi & corrigi ab eo qui eſt judex infallibilis. Quid igitur, quod attinet ad judicandi certitudinem, eccleſiæ aut conciliis tribuunt Jeſuitæ, quod cuivis hæreticorum conventiculo non poſſint ſat tutò concedere: Nam & illorum decreta continebunt veritatem infallibilem, quatenus fuerint papæ approbatione & authoritate munita & confirmata. E contrà, quid pontifici Romano concedit concilium Conſtantienſe, quod attinet ad ſupremum fidei judicium, quod cuivis alii epiſcopo non concedatur? Conſulite Gerſonem qui huic concilio interfuit; apertè docebit (ex ejuſdem ſententia) ſupremum hunc, & infallibilem Jeſuitarum judicem, eſſe errori obnoxium, concilio ſubjectum, ejus*

ſolius

ſolius determinationem non obligare Chriſtianos ad credendum; uno verbo, contrariam ſententiam, quæ jam invaluit apud papiſtas ferè omnes, eſſe planè hæreticam. Videtis adverſarios inter ſe compugnantes, & ſupremum hoc tribunal, atq; infallibile judicium, quod in ſua eccleſia habere ſe omnes conclamitant, ubi tandem reperiatur nondum conſentientes. Quò igitur utriſque æquioribus utamur, concedemus Conſtantienſi concilio, atq; doctiſſimis pontificiis qui ejus ſententiam amplectuntur, papam non eſſe ſupremum aut infallibilem judicem in eccleſia, ſed membrum deviabile, & ſubditum judicio matris eccleſiæ: dabimus etiam Jeſuitis, concilium univerſale per ſe conſideratum, non eſſe ab errandi periculo liberum, quandoquidem in omni hominum conventu accidere poteſt, ut major pars vincat meliorem: atque contra utroſque defendemus, nullum mortalem, aut cœtum mortalium eſſe illum infallibilem & ſupremum judicem religionis quem quærimus.

Poſtremò, ad papiſtas in hac quæſtione potiſſimum aggrediendos illud me animavit, quòd qui maximè conantur papam extollere, & infallibile ejus judicium confirmare, ſubinde coguntur in dumeta correpere, atque in latebras inanium diſtinctiuncularum ſeſe conjicere. Nam Canum, Bellarminum, Gregorium, reliquóſque ſi conſulas, quales tandem viri ſint hi pontifices Romani, quibus tam divinum privilegium tribuunt; non audent negare permultos ex illis, & fuiſſe, & eſſe poſſe homines impuros, indoctos, ſuperbos, in cœnum omnium peccatorum & libidinum demerſos. Si hinc intuleris, hujuſmodi homines animales & impios non regi Spiritu divino, non percipere ea quæ ſunt Dei, non eſſe idoneos judices ſacroſanctæ religionis, quia animam malignam non ingreditur ſapientia; *audies illico mirificam illam diſtinctionem; Pontifex talis, ut* privata perſona, *vel ut* privatus doctor, *errare poteſt; ſed idem pontifex, ut eſt* vicarius Chriſti, & ſucceſſor Petri in cathedra, *tutus eſt ab errore. At ego me hîc tardiorem agnoſco, quàm ut poſſim capere argutias haſce Jeſuiticas: Cathedra ſiquidem, & officium à Chriſto delegatum, dabunt* authoritatem judicandi, *ſed privatæ perſonæ conditiones dabunt* facultatem & modum judicandi. *Si itaque privata illa papæ perſona ſit adhuc propter inſcitiam & improbitatem errori obnoxia, nè publica quidem illius perſona, cùm ad judicandum prodierit, ab eodem immunis eſſe poterit.*

Sed hîc confugiunt ad aſſiſtentiam Spiritus divini extraordinariam, quam huic cathedræ quaſi trabali clavo affixam ſomniant. Agè igitur, conſcendat hanc cathedram; nunquid in ea conſtitutus ex ſententia adverſariorum omnimodam judicandi infallibilitatem conſequetur? Nè illud quidem; ſed ad hoc opus erit reſtrictionibus multarum diſtinctionum. Sic igitur ſtatuunt, etiam ex cathedra judicantem pontificem errare poſſe in quæſtionibus facti, *ſed non in quæſtionibus* fidei. *Sed hoc nimis laxè dictum vident; ſecundò igitur reſtringunt, etiam in quæſtionibus* fidei *diſcutiendis errare poſſe, ſed quoad* præmiſſas, *non quoad* concluſiones. *Neque hîc conſiſtere audent, ſed qui modeſtiores ac ſapientiores reliquis ſunt, tertium illud adhibent pharmacum; Non poſſe errare judicantem pontificem in fidei determinationibus, ſi maturè procedat, ſi piorum & doctorum virorum conſilium audiat;*

ſed ſi ex negligentia vel ſuperbia proprium ſuum ſenſum ſequatur, poſſe in errores incidere. Quanto ſatius eſſet quod res eſt fateri, papã non minùs quàm quemlibet alium epiſcopum eſſe erroribus obnoxium, quàm hiſce præſtigiis Deo hominibuſq; illuderet? Quandoquidem igitur in hac cauſa tam diſſentientes inter ſe, tamque vacillantes videmus adverſarios, non eſt quòd ullas frontis Jeſuiticæ umbeculas, aut verborum ſeſquipedalium ampullas formidemus. Quinetiam eò lubentiùs hinc capiemus initium pugnæ hujus theologicæ, ut adverſarios ibi nudos & infirmiſſimos eſſe oſtendamus, ubi ſe munitiſſimos, & Vulcaniis armis tectos ſolent jactitare. Sed illud fortaſſe alicui ſubit in mentem, poſt incomparabilem Whitakerum hanc controverſiam tractare, nil aliud eſſe quàm poſt Homerum Iliada condere. Sic ſe res habet planiſſimè. Sed cùm in controverſa theologia omnia ſint jampridem præoccupata, niſi velim ipſe novas controverſias procudere, aliorum præeuntium veſtigiis inſiſtam eſt neceſſe. Quandoquidem igitur unum aliquem ſequi oportet, quicquid tandem in hoc genere tractavero, hunc invictiſſimum ducem ſequar, qui cum nullo hoſte unquam conflixit, quem non fudit & fugavit. Mihi autem in hac militia nondum ſatis exercitato conſultum fuit, hoſtem ex illa parte adoriri, quâ jam antè ab hoc fortiſſimo theologo dejectus ac protritus fuerit. Sed diutiùs quàm par eſt detineo vos hac præfatione minimè neceſſariâ; proximo noſtro die, ad ipſum negotium me accingam: quod ut cedat in Dei honorem, veritatis propagationem, atque communem utilitatem, largiatur Deus Pater, propter Filium ſuum dilectiſſimum; quibus unà cum ſancto Spiritu ſit omnis honos, laus, & gloria, nunc, & in ſecula ſempiterna: Amen.

CAP.

DE JUDICE AC NORMA FIDEI ET CULTUS CHRISTIANI DISPUTATIO.

CAP. I.

Ordo & summa futuræ disputationis.

QUandoquidem decretum est nobis (Deo aspirante) de judice ac norma fidei, & cultus Christiani, omniúmque controversiarum, quæ circa fidei aut cultus materiam versantur, disputare; haud abs re erit in ipso ingressu, ordinem & summam illorum, quæ deinceps fusiùs edisserenda sunt, breviter, & quasi in tabella proponere.

Primò igitur terminos illos qui in hac disputatione ubique occurrunt, uno aut altero verbo explicabimus. Sunt autem numero quinque: Judex; Norma seu Regula; Fides; Cultus; Controversia. 1.

Secundò, quia *judicis*, & *judicandi* vocabulum ambiguum est, nè fraudem nobis in eo struant adversarii, distinguemus triplex judicium: Absolutæ & primariæ authoritatis; Ministerialis & subordinatæ potestatis; Privatæ & practicæ discretionis. 2.

Tertiò, hâc distinctione positâ, de singulis ejusdem membris ordine disputabimus. 3.

De primario & absoluto judice tria quæremus. 1. Quis sit ille supremus judex, qui de tota doctrina fidei salutiferæ ac cultus divini pronuntiaverit & statuerit νομοθετικῶς atque hîc demonstrabimus, alium esse non posse quàm ipsum Deum. 2. Ubi habeatur indubitata hujus sententia, de omnibus credendis, & faciendis, quæ

sunt cognitu & factu necessaria, ac præscripta in ordine ad salutem.
3. An ipsum verbum Dei à nostris rectè vocetur *judex*.

De judicibus subordinatis & ministerialibus quatuor hæc discuriemus: Quinam sint hi judices à Deo subordinati & delegati in negotio religionis; Quanta sit talium judicum in ecclesiis Christianis necessitas; Quæ sit eorundem potestas; Quanta certitudo & infallibilitas in horum decretis ac sententiis.

De judicio privatæ discretionis tria hæc tantummodo indagabimus: 1. An hominibus privatis licitum & necessarium sit, uti hoc judicio discretionis, in recipiendis dogmatibus de rebus ad fidem & cultum pertinentibus; 2. Unde rectitudo, & legitimus usus privati judicii oriatur, & dependeat; 3. An protestantes privatum spiritum uniuscujusque judicem constituant ponendo hoc judicium.

In hisce capitulis propositis, quæ sunt extra litem, brevi solummodo explicatione transigemus: quæ controversa sunt inter nos & pontificios, utriusque partis rationibus explicatis ac pensitatis copiosiùs prosequemur. Quod igitur ordine primum est, ad prædictos terminos elucidandos accedamus.

CAP. II.

Explicatio terminorum, qui subinde recurrunt in hac materia.

1. *Judicem* appellamus propriè, qui jus dicit populo sibi subjecto: idq; vel toti populo generatim, jura condendo, sanciendo, divulgando; vel separatim particularibus personis, jus illud explicando, applicando, atq; lites indè enatas terminando.

2. *Normam* seu *regulam judicandi* dicimus, ipsam legem supremi judicis authoritate in illum finem stabilitam & promulgatam, ut mensura sit recti & obliqui perfecta & adæquata in suo genere. Verbi causâ: In republica Athenienſium, norma omnium judiciorum politicorum erat lex Solonis; in republica Romanorum, jus illud quod populi Romani supremâ authoritate sancitum fuit: sic in ecclesia, norma est theologici judicii illa divinitus inspirata doctrina quam summus ecclesiæ gubernator promulgavit hominibus, unde possint ejus sententiam intelligere, atque ad illam sua judicia & actiones conformare in negotio fidei & cultus divini.

3. *Fidem* hîc capimus tum pro actu credendi, tum pro dogmatibus credendis: utrâque enim significatione passim usurpatur hoc vocabulum *fidei*. Normam igitur fidei cùm dicimus, illud innuimus, ad quod exigi oportet, tum dogmata omnia quæ proponuntur credenda ab ipsis prælatis, tum fides quæ adhibetur iisdem à quibuscunq; privatis. Peccant enim prælati quando dogmata proponunt, peccant etiam privati quando eadem suscipiunt, si normæ prædictæ non consentiant.

Cùm loquimur de *cultu*, utimur hoc vocabulo, ut discrimen constituamus inter opera externæ disciplinæ & ordinis quæ humanâ authoritate præcipi possunt, & opera religionis quæ à solo Deo mandantur, ad Dei honorem & obsequium referuntur, ad consecutionem denique æterni præmii ex paterna Dei misericordia ordinantur. Talium operum normam, non minùs quàm fidei & credendorum, dicimus esse ipsius Dei voluntatem & sententiam nobis patefactam. 4.

Controversiæ nomine comprehendimus propositionem quamlibet de prædictis credendis, sive faciendis, quando in contrarias partes à diversis defenditur. Christum esse Deum verum Patri coessentialem, est dogma fidei Christianæ: sed Arriani hoc dogma in quæstionem vocando, & contrariam partem tuendo, ex dogmate certissimo fecerunt controversiam. Hîc autem observandum est, aliter oriri controversias circa leges ab hominibus latas, aliter circa cœlestem legem à Deo revelatam. De humanis sæpe contenditur, quia legislator, propter prudentiæ defectum, legem sæpe fert non omnibus numeris perfectam & absolutam: sed Deus sapientissimus non potuit errare, aut ullo modo deficere in voluntate sua atque sententia explicanda. Cùm igitur controversiæ moventur, id fit hominum seu perversitate, seu cæcitate, qui aut nolunt, aut non possunt videre, quod à Deo plenissimè & certissimè definitum est. Atque hæc pro terminorum explicatione dicta sufficiant. 5.

Cap. III.

Triplicis judicii distinctio.

Solent pontificii, quando minimè opus est, abundare distinctionibus frivolis & ineptis; sed cùm ex re illorum videtur miscere omnia & confundere, etiam veras & necessarias prætermittunt. In quæstione de judice controversiarum, quò faciliùs persuadeant, nos ecclesiæ omnem judicandi potestatem adimere, ac privato cuivis spiritui summam hanc potestatem concedere, ut plurimùm de judice & judicio confusè loquuntur, cùm ea res accuratâ egeat distinctione. Ut itaque horum fraudibus occurramus, triplicem *judicandi* differentiam ostendemus. De dogmatibus enim fidei, & cultu Dei à diversis judicatur diversimode. Unus judicat αὐτοπιστικῶς & αὐθεντικῶς, hoc est, per *modum supremi principis & legislatoris*: Alius ὑπηρετικῶς, & ἐξηγητικῶς, id est, per *modū ministri publici, & interpretis*: Alius denique ἰδιωτικῶς, & ἀκροατικῶς, per *modum* scilicet *privati hominis, & discipuli, seu auditoris*. Primum judicium vocare possumus *judicium absolutæ & supremæ authoritatis*; Secundum *ministerialis & subordinatæ potestatis*; Tertium *privatæ & practicæ discretionis*. Qui duobus prioribus modis judicant, propriè ac usitatè vocantur *judices*;

ces; qui tertio modo judicant, propter defectum publicæ poteſtatis non appellantur *judices*, quamvis actum judicandi apud ſe exerceant. Explico ſingula membra.

Ille judicat per *modum ſupremi principis & legiſlatoris authoritate abſolutâ*, qui in univerſali leges ſancit, quibus non modò privati, ſed ipſi etiam magiſtratus tenentur. Nam, ut rectè philoſophus, Pol. 4. 4. Δεῖ τὸν μὲν νόμον ἄρχειν πάντων. Et eodem reſpectu à Platone lex vocatur De leg. 4. Διανέμουσι δὴ ἀρχόντων, οἱ δὲ ἄρχοντες δοῦλοι τῷ νόμῳ. Eſt enim legiſlator univerſalis judex, & lex univerſale judicium, cui omnia omnium judicia ſubjici & adaptari debent.

Hinc in ſacra Scriptura legiſlatoris & ſupremi judicis officium & nomen copulantur: Eſaiæ 33.22. *Dominus judex noſter, Dominus legifer noſter, Dominus rex noſter: ipſe ſalvabit nos.* Et Jacobi 4. 12. *Unicus eſt legiſlator & judex.* In religione igitur ille ſummus & univerſalis judex eſt, qui per *modum legiſlatoris* ſanxit, quid credendum, quid in cultu Dei faciendum ſit.

Jam ad ſecundum diſtinctionis membrum accedo. Ille judicat per *modum miniſtri publici*, & *interpretis*, qui habet poteſtatem ſibi delegatam à ſupremo & generali illo judice, ut quod lex definivit in genere, ille juxta regulam legis, ad particulares caſus, controverſias, & perſonas accommodet. Hinc Plato (quem modò laudavimus) eleganter & ſapienter ſcripſit, magiſtratus nil aliud eſſe quàm τοῖς νόμοις ὑπηρέτας. Et ſacra Scriptura paſſim judices omnes, ſive eccleſiaſticos, ſive politicos, ad legem aſtringit, atque ab hac regula deviantes injuſtitiæ & improbitatis accuſat. *Si non dixerint juxta verbum hoc, non erit iis matutina lux*; Eſa. 8. 20. Et Sophoniæ 3. 3. *Judices ejus lupi veſpertini, ſacerdotes ejus polluerunt ſanctum; injuſtè egerunt contra legem.* Miniſterialis itaque judex dicitur qui habet delegatum à ſummo principe, & legiſlatore, jus exponendi, & applicandi, ſed legibus adſtrictam poteſtatem.

Reſtat vltimum diſtinctionis membrum. Ille judicat ἰδιωτικῶς, & per *modum privatæ diſcretionis*, qui de ſenſu, æquitate, aut veritate dogmatis, ſive ſententiæ propoſitæ à judicibus ſuprà nominatis judicat, ſine ulla poteſtate publica, tantùm comprehendendo, approbando, & intellectum ſuum admittendo: Actus enim intelligendi non exercetur ſine actu judicandi. De ſupremi judicis lata ſententia eatenus hoc judicium diſcretionis exercetur, quatenus illud requiritur ad ſenſum ejuſdem comprehendendum: nam genuino ſenſu intellecto, de veritate, ſive æquitate, nulla aut poteſt, aut debet eſſe dubitatio. Sed de judicis cujuſcunque ſubordinati definitionibus adhibetur hoc judicium, non ſolummodo ut intelligatur ejus ſententia, ſed etiam ut æquitas ſeu veritas ejuſdem, & conſenſio cum lege ſupremi judicis percipiatur, & obedientis animo perſuadeatur. Qui hoc judicium privatis eripiunt, homines in belluas planè transformant. Veriſſimè Aquinas, *Unuſquiſque tenetur actus ſuos exami-*

nare

nare ad ſcientiam quam à Deo habet, ſive ſit naturalis, ſive acquiſita, ſive infuſa; omnis enim homo debet ſecundum rationem agere. Cùm igitur dogma proponitur credendum, aut præceptum aliquod faciendum, quia *credere* & *facere* ſunt actus mei, ſi me hominem rationis participem præſtare velim, examinare oportet quicquid proponitur ad ſcientiam meam: atque hoc appello *judicium diſcretionis*. *Quæſt. diſp. de con. art. ult.* 1. Cor. 10. 15.

Jam hæc omnia conjunctim exempli appoſitione illuſtrabimus. Chriſtum eſſe verum Deum judicavit ſupremus judex, illud in Scriptura ſacra quæ legis divinæ authoritatem obtinet revelando, & ut credatur ab omnibus ſanciendo: hæretici hoc veriſſimum dogma in quæſtionem vocârunt: miniſteriali igitur poteſtate juxta hanc legẽ Dei judicavit concilium Nicænum, Chriſtum eſſe Deo Patri coeſſentialem, atque applicando legem Dei ad perſonas particulares, confirmavit ſententiam orthodoxorum, damnavit Arrianorum. Poſtremò, privati etiam Chriſtiani, quotquot divino lumine mentes illuſtratas habuerunt, judicârunt & ſtatuerunt privatim apud animos ſuos judicium illud concilii verum fuiſſe, & divinæ legi conſentaneum; judicia autem contraria Arrianorum conciliorum falſa fuiſſe & hæretica. Videtis hujus triplicis judicii neceſſitatem, & veritatem, quam propoſuiſſe, & declarâſſe ſufficiat; ſi quid in ea ambigni aut controverſi ſit, poſtmodum de eo cum adverſariis diſceptabimus. Progrediendum jam nobis eſt ad quæſtiones illas tractandas, quæ ex ſingulis membris propoſitæ diſtinctionis oriuntur.

CAP. IIII.

De judicio abſolutæ & ſupremæ authoritatis.

DE hoc abſoluto, ſupremo, & authentico judice tria quæruntur. Quis ſit ille ſupremus & abſolutus judex, qui de tota doctrina fidei & cultus divini judicaverit, pronuntiaverit, & ſtatuerit τομοθετικῶς & αὐτοκρατορικῶς, hoc eſt, per *modum ſupremi principis & legiſlatoris*. *Quæſt. 1.*

Huic quæſtioni hac theſi reſpondemus. Solus Deus doctrinam de fide & cultu revelavit, ac ſupremi legiſlatoris poteſtate ſanxit, ac præſcripſit humano generi, ac per illa media ſive organa quib' ſibi viſum fuit promulgavit. Explico hanc theſin; dein argumentis confirmabo. *Theſ.*

Solum Deum cùm dico totam doctrinam fidei Chriſtianæ & cultus ſui tradidiſſe, id volo, illum fuiſſe unicum authorem & legiſlatorem doctrinæ hujus, quibuſcunque tandem mediis illum humano generi communicaverit. Neque hîc in re ullum diſcrimen eſt, ſive dicamus Deum Patrem, ſive Chriſtum Filium ejus, ſive ipſum Spiritum ſanctum eſſe hunc univerſalem judicem & ſupremum legiſlatorem in materia fidei & cultus; quia cùm Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſint unus Deus, eodem res recidit. Jam quod attinet ad organa illa inferiora, quibus uſus eſt Deus in hac doctrina promulganda, propheras ſcilicet & apoſtolos; illorum

miniſterium non impedit quò minùs ſolus Deus dicatur judex & legiſlator ſupremus; ſicuti neque ſcribarum aut præconum opera impedit, quò minùs ſupremus legiſlator aut imperator dicatur ſolus in negotiis civilibus leges condidiſſe, ac populo impoſuiſſe: juxta illud Petri, *Non voluntate humanâ allata eſt prophetia.* Sed *Deus in prophetis, & in Filio locutus eſt patribus noſtris.* 2. Petr. 1. 21. et ad Heb. 1. 1.

Ultimam illam particulam, in qua pono ſolum Deum de fide & cultu judicâſſe κυριοδοτικῶς, per modũ legiſlatoris, aut ſupremi imperatoris, eo fine adjunxi, ut perſpiciatur diſcrimen inter judicium ipſius Dei (quod eſt univerſale, & primarium, & de ipſis rebus in ſe conſideratis) & illud judicium eccleſiæ (de quo poſtea dicemus) quod eſt particulare, ſecundarium, ab hoc Dei judicio derivatum & regulatum, ad particularium denique perſonarum lites & contentiones dirimendas accommodatum: Nam ut nemo ſanus negaverit, Juſtinianum, aliósque imperatores in Romana republica ſupremos judices egiſſe, atque in Codice, Digeſtis, reliquóque corpore juris civilis, de tutelis, de teſtamentis, de criminibus, de ſuppliciis, aliiſque rebus ad politiam pertinentibus judicâſſe, quamvis inferioribus ſuis miniſtris permiſerint, obortas inter cives controverſias, ad legum harum præſcripta judicare: Sic Deum fateri oportet ſupremum & univerſalem judicem in religione conſtituenda, utcunque ponantur ſubordinati judices ad particulares de hoc jure divino ortas controverſias dirimendas. Hoc mihi videtur ipſe Bellarminus concedere, cùm ſcribit, *Eccleſiam non eſſe conſtitutam judicem ſupra ipſam Scripturam, ſed ſupra judicia privatorum hominum; atque judicare non de veritate legis divinæ, ſed de tua intelligentia & mea.* Atque idem alibi concedit judices eccleſiaſticos, *non edere, ſed declarare verbum Dei; atque illorum definitiones, eſſe concluſiones indè deductas.* Univerſale itaque judicium ab ipſo Deo latum agnoſcit; particulare, & ad perſonas litigantes applicatum, ab eccleſia petendum judicat; quod & nos fatemur. Jam igitur theſi ſatis explicatâ, ad confirmationem accedemus. Atq; primò omnia fidei dogmata à ſolo Deo conſtituta docebimus.

Arg. 1.

A *natura fidei.* Nam omnia fidei dogmata ex parte materiæ credendæ debent habere certam, infallibilem, & indubitabilem veritatem: *Fidei* enim *nec falſum, nec dubium ſubeſſe poteſt.* Jam verò hoc ſolius Dei proprium eſt, eſſe ex natura ſua infallibiliter veracem. *Deus verax, omnis homo mendax;* Rom. 3. 4. *Teſtimonium Jehovæ verax, judicia Jehovæ ipſa veritas;* Pſal. 19. In hanc ſententiam præclarè Aquinas; *Omnis creata veritas eſt defectibilis, niſi quatenus per increatam veritatem rectificatur: Unde neque hominis, neque angeli teſtimonio aſſentire, infallibiliter ducit in veritatem, niſi quantum in iis loquentis Dei teſtimonium conſideratur.* Solus igitur Deus eſt author fidei.

Arg. 2.

A *qualitate articulorũ fidei.* Nam propria fidei dogmata tranſcẽdunt captũ creaturæ; ergò à ſolo Creatore potuerunt revelari. Hujuſmodi ſunt Trinitas perſonarũ in unitate eſſentiæ, Filii æterna generatio,

Spiritus

De verbo Dei lib. 3. cap. ult.

De conc. 2. 12.

Gerſon in comp. theol.

Quæſt. diſp. de fide, art. 2.

Spiritus ſancti proceſſio, divinæ naturæ cum humana hypoſtatica unio, reliquique omnes articuli fidei propriè & ſtrictè ſumpti: qui ex eo quòd ſuperant naturalem cognitionem creaturæ, ad nos pervenire non potuerunt, niſi per ſupernaturalem revelationem Creatoris. De hiſce itaque omnibus dici debet illud; *Caro, & ſanguis non hæc revelavit humano generi; ſed Deus Pater qui eſt in cœlis.*

Ex *formali ratione credendi*; quæ ex omnium theologorum ſententia eſt authoritas Dei revelantis. In credendis enim omnibus valet illud Pythagoricum, αὐτὸς ἔφη, *Deus dixit*. Huic columnæ fides innititur: tolle igitur authoritatem Dei revelantis cuicunque dogmati, poterit fortaſſe opinioni ſive ſcientiæ ſubeſſe, fidei autem Chriſtianæ non poterit. *Arg. 3.*

A *præmio fidei, & ſupplicio infidelitati propoſito*: quæ manifeſtè arguunt ſolum Deum dogmata ex fide credenda condere, & præſcribere poſſe humano generi. Nam fidei vitæ æternæ præmium proponitur, infidelitati æternæ mortis ſupplicium intentatur. Sed perabſurdum eſt, ut is conetur fidei dogmata condere, & aliis hominibus imponere, qui fidei præmium credentibus non poteſt reponere, nec infidelitatis ſupplicium inferre; addo etiam, nec ipſum crimen infidelitatis (utpote quod in cordis receſſu latet) certò cognoſcere aut diſcernere. Nam verè Durandus; *Nulla lex poteſt præſcribere actum, cujus tranſgreſſorem non poteſt punire.* Cùm igitur nullus homo aut cœtus hominum poteſt certò dijudicare, quis credat, aut non credat, nec præmium credentibus tribuere, nec pœnam infidelibus inferre; clarum eſt non ad homines, ſed ad ſolum Deum ſpectare, judicare & ſtatuere de omnibus dogmatibus credendis per modum ſupremi legiſlatoris. *Arg. 4.* 1.Pet.1.9. Joan.3.36. *Lib.4.diſt.17. qu.8.*

Jam eadem eſt ratio de operibus cultus, quæ fuit de dogmatibus fidei; quod hiſce argumentis oſtendemus.

A *relatione quæ intercedit inter Deum & eccleſiam.* Solus Deus in ſpirituali gubernatione animarum, eſt *ſupremus monarcha*, eſt *paterfamilias*, eſt *maritus* reſpectu eccleſiæ ſuæ: hæc autem ad Deum relata, *civitas* Dei, *domus* Dei, *ſponſa* Dei appellatur. Jam quis eò impudentiæ proceſſerit, ut alienæ civitati leges præſcribat de colendo rege ſuo; vel alienę domui vel ſponſæ de modo parendi ac inſerviendi domino aut marito ſuo? *Arg. 1.* Eph.2.19. 1 Tim.3.15. Hoſ.2.19.

A *præmio item, & pœna quæ operibus cultus divini annectitur*; Nam quod antè dictum eſt de dogmatibus credendis, id etiam dici poteſt de cultus operibus faciendis: nam opera cultus piè obſervata annexam habent ex munificentia divina promiſſionem mercedis æternæ; ſpreta autem vel neglecta, comminationem mortis æternæ: unde colligi poteſt ſolum Deum, qui eſt vitæ & mortis Dominus, poſſe hujuſmodi opera præſcribere, & imperio legiſlatoris mandare. *Arg. 2.* 1.Tim.4.8. Matt.7.19.

A *prohibitione divina*; Nam ipſe Deus expreſſâ lege hanc ſupremam authoritatem cultus ſui conſtituendi ſibi ſoli vendicavit. *Quod* *Arg. 3.*

præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino: nec addas quicquam, nec minuas; Deut. 12. 32. Unde etiam illud Salvatoris, *In vanum colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum*; Matt. 15. 9.

Arg. 4. Quia opera cultus pendent ex voluntate Dei colendi: unde non colitur omnino Deus illis operibus, quibus an velit se coli nécne non indicavit. Sed voluntatem Dei nemo potest scire hac in re, nisi ipso Deo revelante & mandante. *Quis enim cognovit mentem Domini, aut quis fuit ei à consilio?* Huic rei illud attestatur, quòd omnes quotquot unquam ex proprio sensu operibus suis adinventitiis Deum colere putârunt, illum non honorârunt, sed irritârunt; imò dæmonia, aut proprii sui cordis idola, potiùs quàm Deum coluisse inveniuntur. *Fornicati sunt in adinventionibus suis; & iratus est Dominus*, &c. Psal. 106. 39. Ex hisce omnibus patet, à supremo judicio solius Dei pendere, quæ dogmata sint nobis in fide Christiana credenda, quæ opera in cultu ipsius Dei præstanda. Jam patrum testimonia audiamus.

Tertullianus, de anima; *Quis revelabit quod Deus texit? Præstat per Deum nescire, quia non revelaverit, quàm per hominem scire, quia ipse præsumpserit.*

Hilarius, de Trin. lib. 5. *Non potest Deus nisi per Deum intelligi, sicut nec honorem à nobis Deus nisi per Deum accipit. Namque honorandus esse non intelliget, nisi ipse docuerit honorandum: Dei honorem per Deum docemur. Non est de Deo humanis judiciis sentiendum: neque enim nobis ea natura est, ut se in cœlestem cognitionem suis viribus efferat. A Deo discendum est, quid de Deo intelligendum sit; quia non nisi se authore cognoscitur.* Item; *Non cogitando, aut disputando, veritatem homo assequi potest; sed audiendo, & discendo ab eo, qui solus scire potest & docere.*

Lactantius, lib. 7. cap. 2. *Scientia veritatis rerúmque cœlestium non potest esse in homine, nisi Deo docente percepta.*

Ambrosius, ep. lib. 5. ep. 31. *Cœli mysterium doceat me Deus ipse qui condidit, non homo qui seipsum ignoravit.*

Augustinus, lib. 1. de consens. evangelist. cap. 8. *Deum sic colere oportet quomodo seipsum colendum esse præcepit.*

Damascenus, lib. 1. cap. 1. *Deus nihil nescius, & quodcunque conducibile est providens, quicquid conducit nobis agnoscere ipse revelavit.*

Ipsi etiam pontificii adstipulantur.

(N) Parisiensis, de fide cap. 1. *Fides est virtus, per quam obedientiæ suæ debitum Deo solvit intellectus humanus.*

Gerson, de err. circ. præc. NON OCCIDES; *Nec papa, nec generale concilium determinando de fide aliud faciunt, quàm quòd declarant talia esse de fide.*

Mirand. de fide, & ord. creden. *Omnis religio supernis revelationibus nititur, aut niti præsumitur.*

Canus,

Canus, lib. 2. cap. 7. *Ingenuè fatemur non eſſe nunc novas revelationes expectandas, ſive à ſummo pontifice, ſive à concilio, ſive ab eccleſia tota.*

Hiſce omnibus teſtimoniis illud concluditur, ſolum Deum patefeciſſe, ac ſuâ patefactione tanquam ſupremum religionis legiſlatorem ſanxiſſe, & judicâſſe, quid nobis credendum in materia fidei, quid faciendum in cultu Dei: ac niſi Deus de hiſce rebus ſuum judicium patefeciſſet, nemo mortalium, neque tota eccleſia conglobata poſſet de fide & Dei cultu certò aliquid judicare.

Occurram unicæ objectioni quæ vehementiſſimè urgetur à pontificiis: nam etſi concedunt, ipſum Deum præſcripſiſſe & revelâſſe totam doctrinam de fide & cultu, tamen non admittunt illum eſſe judicem ſupremum & generalem omnium de fide & cultu controverſiarum: atque tali argumento utuntur;

Judex ſupremus & generalis ità debet dicere ſententiam, ut altera pars litigantium evidenter ſciat ſe viciſſe, altera pars evidenter ſciat ſe cauſam amiſiſſe, quantum eſt ex parte hujus judicis: Sed Spiritus ſanctus per Scripturam non ità judicat, nec poteſt judicare. Sic Gretſerus, in colloq. Ratisbon. ſeſſ. 9. Et paulò pòſt, quaſi inſultans ipſi Deo, *Jam adſit* (inquit) *Spiritus ſanctus, jam judicet, jam me condemnet; jam Adſum dicat Spiritus ſanctus, Erras Jacobe Gretſere. Sed hæc non dicit Spiritus ſanctus; ergò non eſt judex ſupremus & generalis.* Object. (nihil)

Contumeliam Spiritui ſancto illatam ipſi vindicandam relinquo: ad argumentum quod attinet, reſpondeo, 1. In omni controverſia de doctrina fidei, aut præceptis morum ad ſalutem neceſſariis, Spiritum ſanctum tam perſpicuè judicâſſe per Scripturas, ut omnes intelligant ejus ſententiam, quibus aures & oculi ſpirituales non deſunt. Jam abſurdum eſt negare judicium à Spiritu ſancto eſſe pronuntiatum de re quacunque, quia ſurdi aut cæci ſententiam ejus latam non percipiunt. Verbi causâ; de vera Chriſti incarnatione ſententiam definitivam, cámque planam & evidentem tulit Spiritus ſanctus, *Verbum caro factum*, Joan. 1. 14. & multis aliis in locis. At Cerdon, Valentinus, Apelles, Manichæi, aliíque hæretici veritatem humanæ ejus naturæ negabant: neque contra ſe pronuntiatam Spiritus ſancti ſententiam agnoſcebant, unde evidenter ſcirent ſe causâ cecidiſſe. Quæro jam à Gretſero utrùm à Spiritu ſancto in Scripturis judicatum ſit contra ſententiam iſtorum hæreticorum. Reſp. 1. (nihil)

Si judicatum agnoſcit, tum falſa fuit major propoſitio ſyllogiſmi propoſiti; quia hæretici non indè vident evidenter ſe condemnatos: ſi Spiritus ſanctus non judicavit hanc controverſiam, quæro unde catholica eccleſia judicium ſuum de eadem mutuata ſit. Non illa ex ſuo ſenſu, aut enthuſiaſmis anabaptiſticis determinat fidei myſteria; ergò ſequitur Spiritus judicium in Scripturis conſignatum.

2. Reſpondeo, Spiritum ſanctum judicare & condemnare hæreticos, Reſp. 2.

ticos, non nominatim dicendo, Tu Arriane, tu Valentiniane, tu papiſta erras; hoc enim pertinet ad judicem inferiorem & miniſterialem: ſed veritatem contrariam illorum erroribus ſanciendo, unde & poſſunt & debent (jam à Deo judicati & condemnati, quod attinet ad ipſorum errores) judicari & condemnari nominatim, quod attinet ad ipſas hæreticorum perſonas. Primo modo judicantur & condemnantur à Spiritu ſancto ὁμοθύμως, ſecundo judicantur ab eccleſia συμφώνως, ut antea diſtinximus. Sic ipſe Chriſtus, Joan. 5. 45. dicit Moſem accuſare Judæos, neque tamen ille dixit, Vos Judæi erratis. Hîc Chriſtus verum dicit: ſed tamen illud in lege poſuerat, unde illorum error revincebatur, & Chriſti doctrina confirmabatur. Uno igitur verbo concludimus, argumentum hoc frivolum eſſe, neque contra nos facere; qui non defendimus, Deum nominatim judicâſſe de omnibus hæreticis, atque eos condemnâſſe; ſed judicâſſe, ac ſententiam claram protuliſſe de omnibus fidei dogmatibus, ex qua ſententia omnes hæreſes contrariæ manifeſtâ & neceſſariâ conſequentiâ judicantur & condemnantur: *Rectum* enim *eſt judex ſui & obliqui*. Atque hæc de prima quæſtione.

Cap. V.

Contrariæ papiſtarum & orthodoxorum ſententiæ proponuntur.

HActenus oſtenſum eſt religionem noſtram Chriſtianam, tam quod attinet ad dogmata fidei, quàm ad opera cultus divini, à ſolius Dei revelantis & præcipientis authoritate dependere. Sit itaque hoc fixum & ſtabilitum, Deum, atque ſolum Deum eſſe ſupremum illum legiſlatorem, atque judicem univerſalem, qui de fide ac cultu ſupremâ authoritate ſtatuerit, pronuntiaverit, & ſententiam ſuam eccleſiæ promulgaverit. Neque hac in re diſſentiunt pontificii; nam & illi à ſolo Deo religionem Chriſtianam arceſſunt; ſed in eo labuntur, quòd Dei ſententiam ac mentem, non ex ſolo verbo ſcripto, ſed ex traditionibus non ſcriptis petendam arbitrantur.

Bellarm. de verbo Dei, lib. 4. cap. 7.

Agè igitur, ad ſecundam quæſtionem progrediamur; in qua diſcutietur unde petenda ſit Dei ſententia de omnibus fidei dogmatibus, & cultus divini præceptis.

Quæſt. 2.

De verbo Dei, lib. 4. cap. 3.

Pontificiorum ſententiam Bellarminus ſic expoſuit; *Nos* (inquit ille) *aſſerimus in Scripturis non contineri expreſsè totam doctrinam neceſſariam, ſive de fide, ſive de moribus; & proinde præter verbum Dei ſcriptum, requiri etiam verbum Dei non ſcriptum, id eſt, divinas & apoſtolicas traditiones.* Sic Caniſius, *Catech. de præc. eccleſ.* *Dogmata quæ in eccleſia ſervantur & prædicantur, quædam habemus è doctrina ſcripto prodita, quædam ex apoſtolorum traditione in occulto tradita, quorum utraque parem vim habent ad pietatem.* Sic papiſtæ, in colloquio Ratisbonenſi, defendunt Scri-

pturam

pturam non eſſe ſolam aut unicam normam fidei & cultus, ſed traditiones neceſſariò præter hanc admittendas eſſe.

Noſtri theologi è contrà ſtatuunt, ex verbo Dei, prophetarum, evangeliſtarum, & apoſtolorum ſcriptis comprehenſo, integram doctrinam & perfectam de fidei dogmatibus & cultus operibus contineri, atquè indè hauriri poſſe, vel totidem verbis poſitam, vel bonâ & neceſſariâ conſequentiâ deducendam. fc.

Ut verbo igitur expediam: dicunt papiſtæ, in verbo ſcripto non contineri omnia ad fidem & cultum neceſſaria, ac proinde ex traditionibus non ſcriptis quędam dogmata fidei, & præcepta cultus petenda: nos dicimus, omnia hæc in Scripturis contineri, atque ex hiſce diſci ſumíque poſſe; idcóque traditiones, quod ad fidem & cultum attinet, non eſſe neceſſarias. Videtis hafce opiniones adverſâ fronte pugnare: jam priùs quàm argumenta utriuſque partis proponamus, præmittemus paucula, quæ huic controverſiæ meliùs intelligendæ, & faciliùs expediendæ viam munient. (1ma

Primò igitur obſervandum eſt, nos de eccleſię ſtatu loqui in quo Deus deſiit per prophetas aut apoſtolos divinitus & extraordinario modo inſpiratos hominibus loqui, & novas revelationes eccleſiæ ſuæ patefacere: Nam fatemur, ante Moſen, verbum Dei non ſcriptum, ſed extraordinariâ revelatione patriarchis communicatum, & traditione continuâ ad poſteros ritè propagatum, fuiſſe ſufficientem regulam fidei & cultus divini. (2da

Secundò, Et illud damus, apoſtolis viventibus ac prædicantibus, atque canone novi Teſtamenti nondum conſignato, illorum evangelium vivâ voce traditum, non minùs regulam fuiſſe fidei & cultus, quàm ſcripta Moſis & prophetarum: ſed poſt conſignatum canonem, atq; illos αὐτοπτας Dei amanuenſes è vivis ſublatos, dicimus canonem fidei & cultus non aliundę peti poſſe, quàm ex ipſorum ſcriptis, quæ ſola obtinent in eccleſia ſacroſanctam ipſius Dei authoritatem; quod poſtea probabimus. (3tia

Tertiò, Non omnes traditiones eccleſiæ rejicimus; nam hiſtoricas quaſdam, & cæremoniales amplectimur: ſed negamus dogmata fidei, aut præcepta cultus, ex traditionibus non ſcriptis ſtabiliri poſſe. (4ta

Quartò, Dogma fidei appellamus, cùm propriè & ſtrictè loquimur, propoſitionem à Deo revelatam, quæ ſuperat captum naturæ, & proponitur credenda, tanquam ad ſalutem ſcitu neceſſaria. Fundamentalia & radicalia dogmata ſunt, quæ uſitato & appropriato nomine vocantur articuli fidei: rami ab hiſce ſuppullulantes ſunt, quæ univerſales articulos explicant & determinant. Verbi causâ, articulus fidei eſt, Chriſtum fuiſſe crucifixum, mortuum, ſepultum, & quæ ſequuntur in ſymbolo: dogma etiam neceſſarium eſt, & ramus indè ſuccreſcens, Chriſtum hâc ſuâ morte expiâſſe peccata noſtra, ſatisfeciſſe deo Patri, & conſimilia; quibus determinatur & expli-

catur,

catur quod positum est generaliter & implicitè in ipso articulo.

Quintò, Quod non est articulus aut dogma fidei, si materiam spectes; potest tamen esse propositio fide theologicâ credenda, si modum revelandi attendas. Nam quævis propositio physica, astrologica, historica, fit objectum fidei, si à Deo in Scripturis nobis proponatur: ut solem esse luminare majus, lunam luminare minus; Rachelem fuisse facie decorâ, Leam lippis oculis; Paulum fuisse ter virgis cæsum, ter naufragium fecisse, & ejus generis infinita: quæ ideo credi debent, quòd ab ipso Deo in Scripturis patefacta sunt; neque tamen dogmata fidei, multò minùs articuli, aut vocantur, aut habentur à theologis. Unde patet stolida Tanneri in colloquio Ratisbonensi assertio, qui, Tobiam canem habuisse, esse fidei nostræ articulum magnis clamoribus contendit. Hisce prælibatis, ad argumenta adversariorum perpendenda veniamus.

Gen. 1. 16. & 29. 17. 2 Cor. 11. 25.

Cap. VI.

Argumenta pontificiorum.

PRo traditionibus, contra Scripturæ sufficientiam & perfectionem, multis argumentis utuntur pontificii; quæ legere licet apud Canum, loc. theol. lib. 3. cap. 3. Gregorium de Valentia, anal. fid. lib. 5. cap. 3. Bellarminum, de verbo Dei, lib. 4. cap. 4. & sequentibus: quorum sophismata licèt à nostris theologis præclarè sint confutata, nos tamen præcipuis istorum objectionibus occurremus.

Arg. 1. Multa dogmata fidei credenda sunt, quæ in sacris Scripturis non reperiuntur; ut, esse aliquos libros verè divinos, atque hos qui sunt in manibus esse illos: quæ nullo modo ex Scripturis haberi possunt: Imò, omnes veteres uno ore testantur non aliunde nos habere, Scripturam esse divinam, & qui sunt libri sacri, quàm ex traditione non scripta: igitur maximum fidei dogma non ex verbo scripto, sed ex traditione non scripta petitur.

Sol. 1. Respondeo 1. Hoc argumentum, utcunque insolubile videatur papistis, esse tamen frivolum, & causam omnino non attingere. Nam cùm defendimus, Scripturas sacras à Deo revelatas continere omnia fidei dogmata ad salutem necessaria, id præsupponimus tanquam principium nulli Christiano negandum, ipsas Scripturas à Deo dimanâsse. Id itaq; volumus, si agnoscantur, admittantur, si legantur, exhibere nobis perfectam doctrinam credendorum. Non debent itaq; ipsas Scripturas sub examen vocare; sed hisce positis, & illarum divinâ authoritate approbatâ, ostendere aliquod fidei dogma quod ex illis non petatur. Perinde igitur nobiscum agunt, ac si contra illum, qui defenderet Aristotelis ὄργανον continere omnia quæ facere possunt perfectum dialecticum, quis exciperet, Imò hanc propositionem

poſitionem ibi non haberi, hunc librum eſſe conſulendum, nec poſſe aliquem indè fieri dialecticum, niſi hoc priùs in animum inducat ſuum.

Secundò falſiſſimum eſt quod ſumit Bellarminus, Ex ſola traditione haberi, eſſe aliquos libros canonicos, & quinam illi ſint: eccleſia enim proponit ſolummodo hoſce libros filiis ſuis, ac pro officio ſuo monet, ac oſtendit illos à Deo prodiiſſe; ſed hujus rei πληροφορία & indubitata fides, non ex ſola traditione eccleſiæ, ſed ex ipſorum librorum divina majeſtate (quâ referunt cœleſtem ſuum Patrem) & Spiritus illuminantis internâ perſuaſione gignitur. Tria igitur concurrunt ut hoc dogma recipiam, Eſſe quoſdam libros canonicos & divinos, atque hos ipſiſſimos eſſe quos in manibus habemus: primum eſt eccleſiæ traditio, quæ id affirmat, & ipſos libros mihi in manum tradit; ſecundum eſt ipſorum librorum divina materia; tertium eſt interna Spiritus efficacia, ex hac ipſa Scriptura illuminans oculos mentis meæ ut percipiam Deum in illis loquentem, & flectens cor ut fidem adhibeam illis tanquam oraculis divinis. Imperitè igitur Bellarminus id ſoli traditioni eccleſiæ deputat, quod ſola traditio nunquam efficit: imperitiùs adimit ipſis Scripturis, quod nulli unquam mortalium fide theologicâ certum eſſe poteſt niſi ex ipſis. Quemadmodum ſi tabellio ad me deferat literas ab amico, atque dicat ſe ex manu illius eas accepiſſe; non ex ſola illius traditione, ſed multò magis ex ſigillo, ex characterum forma, ex ipſa materia mihi perſuadeo illas eſſe genuinas: ità ſe res habet in perſuaſione noſtra de Scripturarum divina authoritate. *Sol. 2.*

Poſtremò, quod addit, omnes veteres uno ore teſtari, non aliunde nos habere Scripturam eſſe divinam, quàm ex traditione non ſcriptâ, impudens commentum eſt; neque omnes veteres, neque omnes novi, neque omnes pontificii id conceſſerint. *Sol. 3.*

Origenes teſtatur contrarium; *Si quis cum omni ſtudio, & reverentiâ quâ dignum, prophetica dicta conſideret, in eo ipſo dum legit & diligentiùs intuetur, certum eſt quòd aliquo diviniore ſpiramine mentem ſenſumq; pulſatus agnoſcet, non humanitus eos eſſe prolatos quos legit, ſed Dei eſſe ſermones; & ex ſemetipſo ſentiet non humanâ arte nec mortali eloquio, ſed divino cothurno libros eſſe conſcriptos.* *De princ. lib. 4. cap. 1.*

Auguſtinus etiam; *Perſuaſiſti mihi (O Deus ſcilicet) non qui crederent libris tuis, ſed qui non crederent eſſe culpandos: nec audiendos eſſe, ſi qui mihi fortè dicerent; Unde ſcis illos libros unius veraciſſimi Dei Spiritu eſſe humano generi miniſtratos?* *Confeſſ. lib. 6. cap. 5.*

Sed nec omnes moderni, imò nec ipſi pontificii cum Bellarmino ſentiunt. Non Melchior Canus; *Univerſis doctrinæ Chriſtianæ principiis aſſentior per infuſam fidem, non quòd Joannes dixerit, aut quivis alius homo; ſed quòd Deus revelaverit; hinc autem Deus revelavit. Immediatè credo à Deo motus per inſtinctu ſpecialem.* Et paulò poſt; *Loc. theol. lib. 2. cap. 8.*

Si generaliter quæratur, unde fideli conſtet, ea quæ fide tenet eſſe à Deo revelata, non poterit eccleſiæ authoritatem inducere, quia unum de revelatis eſt, eccleſiam errare non poſſe. Non eſt eccleſiæ authoritas ratio per ſe movens ad credendum, ſed cauſa ſine qua non crederemus.

Sed neque Gregorius de Valentia concedet, non aliunde nos habere Scripturam eſſe divinam, quàm ex ſola traditione; qui poſt multa argumenta introducta ad ſtabiliendam divinam authoritatem fidei Chriſtianæ tandem ſubjungit hæc verba notatu digniſſima; *Habemus argumenta pro authoritate Chriſtianæ doctrinæ fecimus, illud autem neſcio an ſit argumentum omnibus majus, quòd qui verè Chriſtiani ſunt, ità ſe animo divinitus affectos (quod ad fidem attinet) ſentiunt, ut præcipuè quidem propter nullum argumentum, ſed propter aliud neſcio quid, quod longè fortiùs quàm ulla argumenta animis noſtris perſuadet (eſt autem revera divinum ipſum teſtimonium) ad firmiter credendum moveri ſe intelligant.* Anal. fid. lib. 1. cap. 20.

Baptiſta Mantuanus agnoſcit, non ex ſola traditione nos habere Scripturarum libros eſſe divinos, ſed ex ipſis. *Perſuaſi* (inquit) *ſumus Scripturam à prima veritate fluxiſſe. Sed unde ſumus ità perſuaſi, niſi ab ipſa?* De patient. lib. 3. cap. 32.

Atque hæc de primo argumento adverſariorum.

Arg. 2. Scriptura ambigua eſt & perplexa multis in locis, ità ut in plurimis dogmatibus ſenſus ejus haberi non poſſit abſque traditione: ſola igitur non ſufficit ad fidei regulam, ſed eccleſiæ traditio conjungenda eſt.

Sol. Fatemur Scripturam in locis aliquot particularibus obſcuram eſſe; ſed dicimus tamen nullum eſſe dogma fidei, quòd non poſſit bonâ & neceſſariâ conſequentiâ indè deduci, etiamſi non ſemper expreſſis & claris verbis poſitum legatur. Difficultas enim deductionis, non novæ regulæ neceſſitatem, ſed doni interpretationis neceſſitatem oſtendit; quod donum in doctoribus eccleſiæ nonnullis ſemper reſidere agnoſco. Quæro enim, ubi ſenſus obſcurus eſt, utrùm eccleſiæ traditio affingat ſenſum novum, atque alienum ab ipſis verbis; an expromat & eliciat illum, quem Spiritus ſanctus per verba intendebat. Si novum infert & alienum, non hæc traditio, ſed deceptio appellanda eſt: ſi genuinum & nativum tantummodo elicit & exponit, dogma illud quod ſic elicitur Scripturæ doctrina eſt, non ἀγράφου traditionis. Bellarminus in hiſce obſcuris dogmatibus numerat æqualitatem divinarum perſonarum, proceſſionem Spiritus ſancti à Patre & Filio, peccatum originis, Chriſti deſcenſum ad inferos: ſed hæc omnia juxta ſenſum orthodoxorum intellecta, ex ipſis Scripturis deduci affirmo, idque ab omnibus theologis conceditur. Hæc igitur exempla nihil conferunt vel ad Scripturæ regulam enervandam, vel ad traditiones non ſcriptas ſtabiliendum.

Arg. 3. Credendum eſt beatam Mariam ſemper fuiſſe virginem, contra

errorem Helvidii, ut semper tota ecclesia credidit: & tamen nullum est de hac re in Scripturis testimonium; ergò dogma aliquod fidei, ex sola traditione pendet.

Quicquid credendum est, non statim ut dogma fidei credendum est; credimus Paulum Romæ sub Nerone fuisse martyrio consummatum, credimus sub Constantino Nicænum concilium damnâsse Arrianos; hæc tamen creduntur fide humanâ & historicâ, non infusâ & theologicâ: non valet igitur argumentum, Credendum est Mariam semper mansisse virginem, ergò est dogma fidei. *Resp. 1.*

2. Respondeo, Helvidium præcipuè taxatum à veteribus tanquam hæreticum, non quòd beatæ Mariæ virginitatem perpetuam dogma fidei esse negavit, sed quòd sententiam contrariam tanquam de fide, falsò & temerè detortis Scripturarum aliquot testimoniis, asseruit. Quemadmodum igitur propriè hæretici vocantur, qui pertinaciter ea rejiciunt, quæ in sacris Scripturis docentur: ità latiore vocabuli significatione hæretici censeri possunt, qui impudenter procudunt opiniones, eásque sacris Scripturis affingunt, cùm in illis non tradantur. *Resp. 2.*

Postremò, dico patres (si qui fuerunt qui Helvidium hæreticum propriè dictum, atque hanc doctrinam de beatæ Mariæ virginitate perpetua, fide catholicâ credendam statuerunt) existimâsse etiam illam ex Scripturis bonâ & necessariâ consequentiâ deductam esse: Pro nobis itaque faciunt, qui dogmata fidei ex solis Scripturis deducenda affirmamus. Sed revera patres plerique non tam contendebant beatæ Mariæ perpetuam virginitatē (etsi verè affirmatā) pro fidei dogmate credendam, quàm Helvidii impudentem, & nullis fulcimentis subnixam opinionem, non esse admittendam. Sic Hieronymus, contra Helv. tom. 2. *Sed ut hæc quæ scripta sunt non negamus; ità ea quæ non sunt scripta renuimus. Natum esse Deum de virgine credimus, quia legimus: Mariam nupsisse post partum non credimus, quia non legimus.* Sic ipse Epiphanius, ubi contendit astruere beatæ Mariæ perpetuam virginitatem, fatetur tamen non habendum hoc esse inter necessaria de fidei veritate dogmata, imò conqueritur quòd homines hæc necessaria negligentes, cum periculo in alia inquirunt. Basilius autem, in ὁμιλίᾳ εἰς ἁγίαν τοῦ Χριστοῦ γέννησιν, apertè scribit quòd *virginitas Mariæ in dispensatione incarnationis necessariò credenda sit; quid autem postea secutum fuerit, non esse curiosè nobis quærendum.* Neque tamen illis credendum est, qui temerè negant illam permansisse virginem, cùm id probari nullo modo, contraria autem assertio, si non expressis testimoniis Scripturarum, probabilibus tamen patrum argumentationibus, & traditione constanti stabilita sit. Ut verbo expediam, Neque illi patres, qui ex Scripturis putant deduci posse perpetuam beatæ Mariæ virginitatem, Bellarmino suffragantur; cùm is è contrà defendat esse traditionem ἄγραφον: neque illi qui veram hanc sententiam statuunt, *Resp. 3.* *Ambros. ep. 81.*

ſed minimè in Scripturis fundatam; cùm hi non aiunt eſſe dogma fidei.

Arg. 4. Credendum eſt Paſcha celebrandum eſſe die Dominico, quia hæretici habiti ſunt Quartadecimani; at hoc in Scripturis non extat. Argumentum hoc acriter urgent Gretſerus & Tannerus in colloquio Ratisbonenſi, ſeſſione 10. qui ſic colligunt; Si hæretici ſunt habiti qui negârunt Paſcha die Dominicâ eſſe celebrandum, tum articulus fidei eſt; ſed non reperitur in Scripturis. Rurſus, Celebratio Paſchatis eſt cultus divinus; ſed ab eccleſia præcipitur, in Scripturis non mandatur: ergò Scriptura non continet omnes fidei articulos, nec præcipit omnia opera cultus; ſed ex traditionibus nonnulla petuntur.

Sol. Ut huic argumento occurratur, ſciendum eſt, diverſam fuiſſe Paſchatis obſervationem apud antiquos. Aſiaticæ eccleſiæ permultæ lunâ decimâ quartâ hoc feſtum obſervandum putabant, in quamcunque ſeptimanæ diem incidiſſet; aliæ autem, non alio die quàm Dominico decimam quartam proximè ſequente obſervandum ſtatuerunt; quòd eo die Chriſtus à mortuis reſurrexiſſet. Hinc epiſcopi quidam orientales in Paleſtina congregati ſub Theophilo Cæſarienſi, & occidentales Romæ convocati ſub Victore, atque aliis etiam in locis, decreverunt Paſcha, non lunâ decimâ quartâ, ſed die Dominico quartam decimam ſequente eſſe ab omnibus obſervandum; cui decreto cùm quædam Aſiaticæ eccleſiæ parere nollent, Victor Romanus eas pro excommunicatis denuntiat. Hiſce ad meliorem rei cognitionem præmiſſis, reſpondeo, Nunquam hoc pro dogmate fidei habitum fuiſſe; ſed pro ritu, & cæremonia, in qua omnes Chriſtianos convenire optimum fuiſſet. Si enim dogma fidei eſſet, tum Joannes apoſtolus, Philippus, Polycarpus, contra fidem ſenſerunt, & articulum fidei violârunt; nam illi lunâ decimâ quartâ Paſcha celebrârunt, ut refert Polycrates. Sed regerit Gretſerus, fuiſſe liberum uſque ad definitionem eccleſiæ, poſt definitionem Victoris tranſiiſſe in articulum fidei. Bis peccat in hoc Jeſuita. Nam utcunque fidei Jeſuiticæ articuli creſcere poſſunt, fidei tamen Chriſtianæ non poſſunt: explicantur quandoque ab eccleſia, nunquam conduntur articuli fidei. Sed illud etiam falſum eſt, Quartadecimanos pro hæreticis habitos ſtatim poſt definitionem Victoris: voluit quidem Victor illos tanquam hæreticos ab eccleſiæ communione excludere; ſed graviter temerarium hunc conatum reprehenderunt epiſcopi permulti, & nominatim ſanctiſſimus Irenæus, atque ob diverſam obſervationem Paſchatis negant eccleſias illas eſſe abſcindendas. Multis pòſt annis definita fuit hæc res in concilio Nicæno, non tamen dogma fidei, ſed ritus eccleſiaſticus habetur. Id ex Athanaſio, qui concilio interfuit, manifeſtum eſt. Sic enim ille, *In negotio Paſchatis patres hanc clauſulam apponunt, Viſum eſt ut omnes obtemperarent: de fide verò non ſcripſerunt, Viſum eſt; ſed,*

Euſeb. lib. 5. cap. 21.

Euſeb. cap. 23.

(a)

cap. 22.

Euſeb. lib. 5. cap. 23.

De ſynodis Arimini & Seleuc.

Sic

Sic credit catholica ecclesia: Quid apertius quàm Paschatis observationem juxta sententiam patrum Nicænorum à fidei quæstionibus esse separatam? Sed si non sit dogma fidei, cur Quartadecimani contrarium tenentes, inter hæreticos relati sunt? Verissimè hoc explicatum est à scriptore pontificio, cujus verba apponam: is autem est Alfonsus de Castro. *Cæterùm hîc admonere oportet lectorem, nè putet Quartadecimanos ideo dici hæreticos, quia 14. lunâ Pascha celebrabant; sed quia ità esse necessariò faciendum credebant.* Nam post statutum ecclesiæ, qui lunâ 14. Pascha celebrat, quamvis malè agat, non tamen est hæreticus censendus, nisi ità esse necessariò faciendum crediderit. Hęc autem sententia convincitur hæreseos, quia hæresis est tenere, cæremonias & judicia legis veteris obligare tempore legis evangelicæ. Quartadecimani igitur schismatici habendi sunt, quà resistunt universalis ecclesiæ decreto, quæ Paschatis observationem ad diem Dominicum restrinxit; hæretici, quà repugnant verbo scripto, quod Christianos ab observatione festorum Judaicorum liberos pronuntiat. *li. 12. in verb. Pascha.*

Illud tandem diluendum est, quod objectum fuit, Paschatis observationem & quidem die Dominico esse cultum divinum; non autem præcipi in Scriptura, quam nos defendimus esse unicam regulam fidei & cultus.

Sed distinguendum est inter ipsum opus, & circumstantiam operi annexam. Ipsa opera quæ exercentur in celebratione Paschatis, qualia sunt prædicatio verbi, commemoratio passionis & resurrectionis Christi, invocatio Dei, gratiarum actio pro redemptionis beneficio, atque id genus alia, sunt opera cultus, & ab ipso Deo mandata: temporis autem circumstantia, non est opus cultus, sed ritus ecclesiæ præcipiens solenne tempus huic cultui publicè exercendo. (n)

Credere oportet parvulos esse baptizandos, atque hunc baptismum ratum esse, sed hoc ex Scripturis solis probari non potest: ergò sola Scriptura non est regula omnium credendorum. *Arg. 5.* (n)

Non totidem verbis hoc ponitur in Scriptura, sed ex iis quæ ponuntur bonâ & necessariâ consequentiâ deduci potest, quod perinde valet. Nam Scripturæ docent hoc sacramentum esse infantibus necessarium; Scripturæ ostendunt infantes esse in fœdere, & fuisse olim sigillo fœderis obsignatos; Scripturæ testantur regnum cœlorum ad infantes pertinere, per baptismum autem in consortium hujus regni Christianos admitti. *Quibus autem Deus gratiam suam promittit, illis etiam media gratiæ quorum capaces sunt promisisse judicandus est,* sic statuit Cyprianus, epistol. lib. 3. ep. 8. *Sol.* Joh. 3. Mat. 19.

Credunt protestantes nullum esse Dei verbum, nisi quod sacris Scripturarum voluminibus consignatum habetur: at hoc in tota Scriptura nusquam asseritur: ergò admittimus aliquod fidei dogma, quod non est positum in Scripturis. *Arg. 6.*

Sol. Omnia illa loca quæ demonſtrant Scripturarum ſufficientiam & perfectionem in ordine ad ſalutem, oſtendunt nullum eſſe aliud Dei verbum, unde dogmata ſalutifera peti debent: Si enim eſſet, hoc quod habemus ſcriptum, per ſe ſufficiens & perfectum non eſſet. Illa autem loca poſtea nos proferemus. Atque hæc præcipua ſunt papiſtarum argumenta, quibus oppugnant ſacrarum Scripturarum perfectionem; jam ea excutienda ſunt quibus traditionis neceſſitatem ſtabilire conantur.

Cap. VII.

Alia pontificiorum argumenta pro traditionum neceſſitate, contra Scripturarum unicam regulam.

Arg. 1. ORditur Bellarminus à teſtimoniis Scripturarum, & 1. objicit illud Joannis 16. 12. *Multa habeo vobis dicere, ſed non poteſtis portare modò*: et Joannis 21. 25. *Sunt autem alia multa quæ fecit Jeſus, quæ ſi ſcribantur, ipſe mundus libros non caperet.* Patet ex hiſce multa geſta & dicta Domini ſcripta non fuiſſe: non eſt autem credibile apoſtolos hæc non tradidiſſe eccleſiis: ergò præter ſcriptum verbum, ſunt etiam traditiones non ſcriptæ; ad quas (inquit Bellarminus) proculdubio referre oportet inſtitutionem ſacramentorum, aliáque quæ non extant in ſacris codicibus.

Sol. 1. In priore loco nihil invenitur pro traditionibus non ſcriptis: non enim dixit apoſtolus, *Multa habeo* quæ non poteſtis in poſterum ſcribere, ſed *quæ nunc non poteſtis portare*: poſtea autem Spiritu ſancto illuminati, & portare ea potuerunt, & prædicare mundo, ac demum ſcriptis toti eccleſiæ commendare. Non itaque apocryphas traditiones, ſed myſteria evangelii dicit Servator eos tum portare non potuiſſe. Sed concedamus fuiſſe hęc quædam quæ jam ſcripta non habentur; quis tam impudens & temerarius qui audeat quænam illa fuerunt aſſignare? Auguſtinus apertè ſcribit; *Quænam ſunt iſta quæ ipſe non dixit, temerarium eſt velle præſumere & dicere*; Tract. 97. in Joan.

Sol. 2. Ad alterum locum quod attinet, fatemur multa eſſe quæ fecit Jeſus, quæ tamen ab evangeliſtis ſcripta non fuerunt; ſed hæc multa, non dogmata fuerunt ad ſalutem neceſſaria, ſed miracula aut dicta, quæ à nobis ſine ullo religionis aut ſalutis detrimento ignorari poſſunt. Sic ipſe Joannes, cap. 20. verſ. 30. 31. *Multa alia ſigna edidit Jeſus, quæ non ſunt ſcripta in hoc libro; Hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis Jeſum eſſe illum Chriſtum Filium illum Dei, & ut credentes vitam habeatis per nomen ejus.*

Arg. 2. Secundum teſtimonium petitur ex 1. ad Cor. cap. 11. ver. 20. *Laudo*

vos

vos quòd per omnia mei memores eſtis, & ſicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis: Hæc autem præcepta nuſquam ſcripta inveniuntur. Huic teſtimonio illud adjungit, ver. 34. *Cætera, cùm venero, diſponam.* Quid autem diſpoſuerit, nuſquam ſcriptum invenitur. Meritò autem cenſent catholici, eum non ſolùm diſpoſuiſſe quæ ad ritus & cæremonias pertinebant, ſed etiam tradidiſſe alia graviora de ordinatione miniſtrorum, de ſacrificio altaris, de aliorum ſacramentorum forma & materia: nec hæretici poſſunt ullo modo contrarium oſtendere.

Sol.

Loquitur apoſtolus de præceptis ad externam politiam ſpectantibus: nos autem non tuemur omnes ritus, & cæremonias eſſe nominatim in Scripturis traditas; ſed affirmamus, neceſſariam fidei doctrinam in illis contineri.

Adhæc, ut demus doctrinam neceſſariam *traditionis* nomine hoc in loco deſignari, atq; tunc illam totam non fuiſſe ſcriptis conſignatam, & ad Corinthios tranſmiſſam; ideóne ſequetur, nè nunc quidem in toto Scripturæ corpore haberi doctrinam fidei integram & perfectam?

Poſtremò, quòd Bellarminus ait, Catholicos ſuos meritò cenſere, Paulum de ſacramento altaris, & de reliquis papiſticis ſacramentis multa tradidiſſe, nec poſſe contrarium oſtendi; ridiculum ſe nimis præbet, dum ſomnia ſuorum pro argumentis obtrudit, & nobis imponit ut illud improbemus, quod ille debuit probare, nec ullo modo potuit.

Arg. 3. 2 Theſ. 2. 15.

Itaque fratres tenete traditiones quas accepiſtis; ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam noſtram. Inter has traditiones dicit Bellarminus apoſtolum docuiſſe Theſſalonicenſes, quando eſſet venturus Antichriſtus: hoc autem nuſpiam in Scripturis inveniri, quod confirmat teſtimonio Auguſtini, qui dicit illos ſciviſſe, nos autem hoc non poſſe ſcire, qui apoſtolum vivâ voce docentem non audivimus: hinc tandem concludit, Ergò omnia non ſunt ſcripta quæ apoſtolus docuit: quod etiam patrum aliquot teſtimoniis oſtendit.

Sol.

Nihil hæc contra nos faciunt, contra ipſos papiſtas autem plurimùm: nam nos non negamus ea quæ Paulus tradidit, ſive per epiſtolam, ſive per ſermonem, fuiſſe à Theſſalonicenſibus diligenter retinenda; ſed defendimus, doctrinam illam evangelicam quam illis tradidit, ſive vivâ voce, ſive per epiſtolam, in quantum continet doctrinam ſaluti neceſſariam, eſſe jam, ſi non in illis epiſtolis, tamen in reliquis Scripturis perfectè comprehenſam: nec contrarium ex hoc loco evinci poteſt.

Quod autem dicit, apoſtolum tradidiſſe Theſſalonicenſibus, quando Antichriſtus eſſet venturus, neque illud jam in Scripturis reperiri; Primò, falſum eſt: non enim docuit, neque aſſerit ſe docuiſſe horam, aut diem, aut annum adventus Antichriſti; ſed ſolummodo qualis futurus eſſet, & quid adventum ejus remoretur. Secundò,

dò, frivolum eſt: ſumatur enim, Paulum docuiſſe Theſſalonicenſes, quando venturus eſſet Antichriſtus, neque id jam extare in ſacris literis; tamen cùm hoc à nobis ignorari poſſit ſine jactura fidei catholicæ, non eſt reputandum inter neceſſaria fidei dogmata, de quibus diſputamus. Poſtremò, eſt Bellarmino & ipſis pontificiis inimicum: nam illi defendunt, omnes apoſtolicas traditiones quę ad Dei verbum non ſcriptum pertinent, in ſcrinio pectoris ſui ipſum papam cuſtodire: At hanc jam amiſit; neque enim ille docere nos poteſt quando venturus eſt Antichriſtus: Ineptè igitur cùm de doctrina fidei neceſſaria quæritur, traditionem non ſcriptam, non ſolùm minimè neceſſariam, ſed etiam ſibiipſis ignotam proferunt.

Arg. 4. *O Timothee, depoſitum cuſtodi*; 1. Tim. 6. 20. *Bonum depoſitum cuſtodi*; 2. Tim. 1. 14. *Quæ audiſti à me per multos teſtes, commenda fidelibus hominibus qui idonei erunt & alios docere*; 2. Tim. 2. 2. In his locis nomine *depoſiti* non poteſt intelligi Scriptura, ſed theſaurus doctrinæ, intelligentia dogmatum divinorum, id eſt, tam ſenſus Scripturarum quàm aliorum dogmatum; quam doctrinam propagari volebat apoſtolus per traditionem. Nam ſi loqueretur de verbis ſcriptis, non tam anxiè Timotheo commendáſſet hoc depoſitum; Scripturæ enim facilè conſervantur in thecis, & à librariis: apoſtolus autem vult ſervari per Spiritum ſanctum in pectore Timothei, &c.

Sol. Quòd nomine *depoſiti* Bellarminus intelligi dicit theſaurum doctrinæ catholicæ cum vero ſenſu ejuſdem, quamvis alii aliter ſentiunt, ego tamen non repugno; illud etiam concedo, voluiſſe ut hoc depoſitum traderet eccleſiæ Timotheus, ac vivâ voce propagaret: Sed hiſce conceſſis non ſequetur, aut ipſam hanc doctrinam, aut verum ejus ſenſum aliunde quàm ex fonte Scripturarum petendum: Nam ſenſus Scripturarum non eſt quiddam extraneum ab ipſis Scripturis, hauriendum ex apocryphis traditionibus; ſed eſt ipſa mens & anima Scripturarum, ad quam ſcrutinio earundem pervenitur. Quòd autem probationis loco attulit Bellarminus, *Si de verbis Scripturæ locutus fuiſſet, non tam anxiè Timotheo hoc depoſitum commendâſſet; Scripturæ enim facilè conſervantur in thecis, & à librariis*, reſpondeo, nos minimè id affirmare, apoſtolum ſub *depoſiti* nomine nuda verba Scripturæ intelligere, ſed doctrinam Scripturæ ex verbis ritè intellectam, quæ non tam in theca à librario, quàm in mente à quolibet Chriſtiano, & præcipuè à verbi miniſtro conſervanda eſt. In hoc autem turpiſſimè labitur Jeſuita, quòd ſemper Scripturæ ſenſum à verbis ipſis divellit; quaſi verba à prophetis & apoſtolis Spiritu dictante conſcripta, ſenſum in ſe aut nullum, aut incertum haberent; ac proinde non ex ipſis, ſed ex traditionibus non ſcriptis verus verborum ſenſus peteretur.

Reſtat jam alter ille locus, *Quæ audiſti à me per multos teſtes, ea committe fidelibus hominibus*, &c. Hæc de traditionibus non ſcriptis intelligi oportere concludit Bellarminus; quia apoſtolus non dicit,

Quæ

Quæ scripta sunt, sed *quæ audisti*: nec addit, Committe librariis, sed *committe fidelibus*. Sed ridicula planè est hæc argumentatio; quid enim impedit, quò minùs eandem doctrinam quam in sacris Scripturis legimus, etiam alio prædicante audiamus? An necesse est ut diversa planè doctrina sit ea, quæ sacris libris commissa est scribendo, ab illa, quæ vivâ voce fidelibus commendata est prædicando? Nunquam hoc evicerit Bellarminus; verbum igitur auditum à verbo scripto nullâ prorsus ratione distinguit.

Ex 2. ep. Joan. vers. 12. *Cùm multa haberem scribenda ad vos, nolui per chartam & atramentum, &c.* Ex his intelligimus, multa ab apostolo Joanne dicta esse discipulis, & per discipulos ecclesiæ universæ, quæ tamen scripta non sunt. *Arg. ult.*

Respondeo primò, Ut concedamus Bellarmino ipsam conclusionem, nihil agit contra nos: neque enim singula dicta apostolorum sacris literis contineri docemus, sed dogmata omnia ad salutem necessaria, quod defendi potest etiamsi innumera ab illis dicta fuerunt, quæ scripta non sunt. Secundò, Ex hoc loco nihil aliud haberi potest quàm multa à Joanne dicta quæ in hac epistola non scribuntur; sed quomodo fidem faciet, ea in aliis Scripturæ libris non haberi? Postremò, Ut concedatur aliquas traditiones ab apostolis fuisse ecclesiæ commendatas, id restat, ut etiam demonstrent, suas quas obtrudunt ipsissimas esse. Hîc autem semper miserè coguntur id emendicare, quod nunquam poterunt à nobis obtinere. *Sol.*

CAP. VIII.

De testimoniis patrum, conciliorum, & patrum.

FAbianus papa, in epist. 2. postquam docuerat singulis annis sacrum chrisma renovandum esse, ità subjungit; *Ista à sanctis apostolis & eorum successoribus accepimus, vobisque tenenda mandamus.* Sunt igitur traditiones apostolicæ. *Arg. 1.*

Ex adulterinis illis epistolis decretalibus dogmata religionis constitui non possunt: sunt enim barbarie & ineptiis oppletæ; nec veterum episcoporum illas esse putavit quispiam, cui vel cor sanum vel sinciput. Quod attinet ad hanc traditionem de chrismate quotannis renovando, præclarus ille Fabianus (quasi illam ad apostolos referre, non esset satis honorificum) scribit ipsum Servatorem nostrum, postquam cœnâsset cum discipulis, & lavâsset illorum pedes, chrismatis conficiendi modum docuisse. Sed cur nemo evangelistarum illud in sacros codices retulit? cur ipse Platina in vita Fabiani scribit, non Christū, sed ipsum hunc Fabianū statuisse, ut singulis quibusq; annis in cœna Domini chrisma renovaretur, ac vetus combureretur? Sed ut concedamus epistolā veram ac genuinā, traditionem insuper hanc ab apostolis derivatā; negamus tamen annuam hanc chrismatis confectionē, esse rem cognitu ad salutē necessariā, sed liberā cæremoniolam. *Sol.*

Arg. 2. Sanctus Innocentius in epist. 1. ad Decentium, cap. 3. docet esse quasdam apostolicas traditiones, atque inter has nominatim recenset confirmationem parvulis conferendam, & à solo episcopo, idque sub certa forma verborum: hanc autem formam *nè adscribere quidem*, inquit, *se audere, nè prodat secretum.* Sunt ergò non scriptæ traditiones.

Sol. Extra oleas vagatur adversarius, instat enim in traditionibus *rituum* cùm quæritur de traditionibus *dogmatum.* Adhæc, se manifestâ superstitione implicatum ostendit Innocentius ille, cujus authoritate nititur Bellarminus: nam stultâ superstitione plenum est quod dicit, *se formam hujus consecrationis non adscribere, nè prodat secretum ecclesiæ.* At prodiderunt innumeri pontificii, & nominatim ipse Bellarminus, qui formam confirmationis non dubitavit omnibus legendam proponere: ea autem apud papistas est ejusmodi; *Consigno te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Sed hoc esse inventum pontificiorum, non traditionem apostolorum indè patet, quòd apostoli formam *baptismi* atque *cœnæ Dominicæ* omnibus prodiderunt: non igitur propter mysterii reverentiam, formam *confirmationis* (si quam à Christo accepissent) occultâ traditione involvissent. Huc & illud accedit, quòd eadem forma verborum non retinetur ab omnibus papistis: Gerson duplicem formam recenset, atque apud alios aliæ inveniuntur. Atque hæc de paparum testimoniis: nam Leonem mitto, qui quadragesimale jejunium ad apostolos falsò refert.

Bellarm. de sacr. confirm.

Object. Conciliorum trium testimonia proferuntur, Nicæni primi, Nicæni secundi, & Constantinopolitani quarti, quod *octavum generale* vocatur. *Nicænum ex doctrina non scripta damnavit hæresim Arrii*; Theodoret. lib. 1. hist. cap. 8.

Respons. Quod attinet ad Nicænum primum, respondeo, Arrium, qui negavit Christum esse Deo Patri coessentialem, non ex traditionibus occultis, sed ex Scripturis manifestis revictum fuisse. Christi enim vera divinitas est fundamentale dogma fidei nostræ, quod quisquis ex Scripturis probari non posse dicit, Arrio vel maximè favet. Neque scribit Theodoretus, dogma hoc de vera Christi divinitate ex sola traditione posse confirmari: quinetiam totidem verbis Constantinus apud eum asserit, apostolos & prophetas evidenter docere quid de divino numine sentiendum sit, atque quæstionem illam inter Arrianos & catholicos agitatam posse sacrarum literarum testimoniis dissolvi. Atque hîc fraudem Bellarmini observate. Scribit Theodoretus, Arrianos ex *non scriptis vocibus, piè tamen excogitatis, damnatos fuisse*: ille autem, verbulo uno immutato, dicit Theodoretum asserere, ex doctrina non scripta fuisse damnatos. At pater ille nihil aliud voluit, quàm quòd vox illa ἀμοούσιος totidem syllabis in Scriptura non occurrat; sed voces alias, eandem vim habentes, quamplurimas ex Scripturis

Hist. lib. 1. cap. 7.

Hist. lib. 1. cap. 8.

ipse

ipse Theodoretus eodem in loco affert. Sed subjicit Bellarminus, Arrianos non minùs quàm orthodoxos Scripturas protulisse, atque eapropter ex traditione, non ex Scripturis damnatos fuisse. Acutè. Sed non ità senserunt patres, qui huic negotio interfuerunt. Alexander episcopus Alexandrinus, in epistola sua ad episcopum Constantinopolitanum, scribit, *Arrianorum dogmata non traditionibus, sed Scripturis contrariari*; atque eodem in loco, Christi veram, & Patri consubstantialem divinitatem multis Scripturarum testimoniis confirmat; atque tandem subnectit, *se Arrianos ex Scripturis convicisse*. Athanasius *voces Scripturæ* ab hæreticis usurpari concedit; sed eos *sacrarum Scripturarum argumentis lapidandos* docet. Atque in epist. ad Jovinianum, *Vera & pia in Christum fides ex sacris literis liquet & agnoscitur*. Et in epistola de synodis Arimini & Seleuciæ celebratis, dicit, *Nicænos patres ità definiisse, ut qui illorum scripta legat, facilè reminiscatur ejus in Christum religionis, quæ è sacris literis annuntiatur*. Et in epist. synodali ad Augustum, *Optima visa est ea fides quam prophetæ & evangelistæ & apostoli prædicarunt*.

In Conc. Nican.

Orat. 2.

Hilarius etiam ad Constantium imperatorem sic scribit; *Fidem imperator quæris? audi eam, non de novis chartulis, sed de Dei libris. Non aliqua ad scandalum, neque quæ extra evangelium sunt defendam*. At si cum Bellarmino sensisset Hilarius, dicere debuisset, Fidem quæris imperator? audi eam, non de antiquis chartulis, sed de antiquis traditionibus: defendam enim illud quod est extra evangelium, sed tamen quod ex traditione non scripta facilè confirmabo. Jugulásset procul dubio Arrianos Jesuita plumbeo isthoc pugione. Atque hæc de Nicæno primo.

Venio ad Nicænum secundum, quod imaginum venerationem ex traditione non scripta recipiendam docuit. Fateor, talia dogmata non ex Scripturis, sed ex rancidis traditionibus peti posse. Sed nostra defensio est, Scripturam esse unicam & perfectam regulam, quod attinet ad dogmata religionis; imaginum autem cultus est aberratio superstitionis: nos itaque hoc concilium nihil moramur. Habeant sibi papistæ idololatricum illud conventiculum, & idola sua ex traditione cæca introducta; quandoquidem *in simulachris non religio, sed mimus religionis est*, ut scitè Lactantius, inst. 2. 19.

Postremò, quod attinet ad octavum concilium generale, in quo patres profitentur se servaturos omnes traditiones, non solùm apostolicas, sed etiam ecclesiasticas; Primò, affirmo concilium hoc fuisse idololatricum, & proinde floccifaciendum: Secundò, dico illam patrum professionem stultissimam esse; non enim solummodo promittunt, se servaturos traditiones apostolicas & ecclesiasticas; sed (quod puduit Bellarminum adjungere) omnes etiam regulas, quæ vel ab universalibus vel à particularibus conciliis, vel a quolibet deiloquo patre ac magistro ecclesiæ traditæ sunt. Atque hæc sunt Bellarmini concilia, quibus an causam nostram labefactaverit,

Tom. 3. concil.

Can. 1.

verit, qui verbum ſcriptum doctrinæ ſalutiferæ unicam & perfectam regulam defendimus, cuivis æquo arbitrio judicandum permittimus.

Reſtant teſtimonia patrum diſcurienda, quæ ſic congeſta ſunt à Bellarmino, ut mihi videatur potiùs voluiſſe nos multitudine & numero teſtimoniorum obtundere, quàm pondere ac veritate ſuperare. Quibus omnibus nè pari prolixitate reſpondere neceſſe ſit, velim ut in memoriam revocetis, 1. Nos concedere traditiones quaſdam hiſtoricas ab eccleſiaſticis viris ad nos propagatas, quibus fidem derogare ſtultum & temerarium eſt; fidem tamen intelligimus materiæ reſpondentem, humanam ſcilicet & acquiſitam, non illam quam catholicam & theologicam appellamus. 2. Non negamus traditiones quaſdam cæremoniales, hoc eſt, ad ritus & externam eccleſiæ politiam ac *diſciplinam* pertinentes: quas licèt ad fidei Chriſtianæ eſſentiam minimè neceſſarias arbitramur, tamen propter pacem ac conformitatem in eccleſia retinendam, à privatis hominibus, neque tollendas, neque mutandas confitemur. 3. Dicimus ſpurias multas traditiones, ſub nomine apoſtolorum venditatas fuiſſe, quæ revera erant figmenta impoſtorum. Poſtremò, aſſerimus veteres ſub nomine *traditionis* doctrinam Scripturarum in eccleſiis orthodoxis perpetuâ ſucceſſione traditam ſæpiſſime denotare. Hiſce poſitis quæ veriſſima & manifeſtiſſima ſunt, videamus an Bellarminus teſtimoniis allatis evicerit, ſolam Scripturam non eſſe perfectam regulam, quod attinet ad dogmata fidei catholicæ, & opera cultus divini; ſed traditiones non ſcriptas, etiam de dogmatibus & cultu, illi huic neceſſariò conjungendas. Si hoc non probent patres citati, magno conatu magnas nugas egit.

Arg. 1. Ignatium producit, qui hortatur omnes *apoſtolorum traditionibus tenaciùs inhærere*, atque has traditiones *cautelæ gratiâ ſcriptas* ſe aſſerit *reliquiſſe*; Euſeb. lib. 3. cap. 35.

Sol. Reſpondeo, In Græco Euſebio non fit mentio traditionum in plurali numero, ſed τῆς ἀποστολικῆς παραδόσεως, *apoſtolicæ traditionis*: ex quo mihi fit veriſimile, Ignatium loqui non de traditionibus apocryphis, ſed de apoſtolicæ doctrinæ traditione, quæ ſacris literis conſignata habetur. Neque obſtat, quod dicit, ſe etiam hanc traditionem ſcriptam reliquiſſe; quid enim impedit quò minùs viri catholici eandem doctrinam, quam ex apoſtolorum ſcriptis didicerunt, ſuis ſcriptis illuſtrare atque omnibus propagare contendant? Sed Bellarminus ait ſe tres traditiones reperiſſe in epiſtolis Ignatii, de quibus nulla mentio in ſacris Scripturis, nempe diem Dominicum, ordines minores, & quadrageſimam.

Sol. Dies Dominicus nititur praxi apoſtolorum in ſacris literis commendatâ; quadrageſimæ obſervatio & ordinum minorum diſtinctio pertinent ad externam diſciplinam & ritus, non ad dogmata & cultus: Sunt itaque hæ inſtantiæ à propoſito alienæ. Poſtremò, incertæ ſunt authoritatis illæ epiſtolæ, quæ circumferuntur nomine

Ignatii,

Ignatii, imò certum est, si non omnes, at illas, ex quibus papistæ conantur stabilire traditiones suas, esse adulterinas. Nam illius ad Philippenses epistolæ, quam plurimi faciunt pontificii, nec Eusebius nec Hieronymus ullam mentionem faciunt.

Egesippus apud Eusebium, lib. 4. cap. 8. apostolicas traditiones quinque libris comprehendit; unde probatur apostolos non omnia scripsisse quæ docuerunt. *Arg. 2.*

Nihil aliud dicit Eusebius, quàm illum quinque libris complexum esse τὴν ἀπλανῆ παράδοσιν τοῦ ἀποστολικοῦ κηρύγματος, quæ verba explicationem potiùs evangelii ab apostolis prædicati, quàm occultarum traditionum relationem innuunt. Hasce enim traditiones volunt papistæ perfectioribus quibusdam, & excellentioribus, in occulto expositas & commissas fuisse; at verbum illud κήρυγμα, publicam promulgationem, qualis fuit evangelicæ doctrinæ, non clanculariam & privatam institutionem, qualem suis traditionibus assignant, videtur denotare. Cui rei fidem facit, quod idem Eusebius scribit, hunc Egesippum, in quinque illis libris prædictis, tum suam sententiam, tum episcoporum catholicorum de doctrina consensum indicâsse. Postremò, ut concedamus apostolos non omnia scripsisse quæ docuerunt, tamen si omnia fidei necessaria dogmata scripto commendârunt, sufficit ad nostræ causæ defensionem, nec ex Egesippi libris (si extarent) contrarium probaret Bellarminus. *Sol.* *lib. 4. cap. 22.*

Dionysius Areopagita, cap. 1. ecclesiasticæ hierarchiæ, sic scribit, *Primi illi nostri sacerdotalis muneris duces, summa illa & supersubstantialia, partim scriptis, partim non scriptis institutionibus nobis tradiderunt.* *Arg. 3.*

Si per *summa & supersubstantialia* intelligat suas speculationes, nos ultro fatemur, apostolos illam doctrinam in scriptis non reliquisse, sed negamus ea ad fidei dogmata pertinere: sin velit, Christianæ nostræ fidei & religionis mysteria salutifera non esse ab apostolis plenè comprehensa in Scripturis, nos suppositio huic & ψευδονύμῳ Areopagitæ fidem non adhibemus. Bellarminus dicit hunc Dionysium esse authorem non contemnendum, & scripsisse ante annos mille, sed quid hoc ad Pauli discipulum Areopagitam, qui aut omnino non scripsit, aut scripsit ante annos mille quingentos? *Sol.*

Polycarpus apud Eusebium lib. 5. cap. 19. referebat multa quæ dicta à Domino ab apostolis ipse audierat, & de virtutibus ejus, & de doctrina. Si de doctrina scripta ageretur, nihil singulare diceretur de Polycarpo; igitur de doctrina non scripta agitur. *Arg. 4.*

Malè colligit Bellarminus, Retulit verba audita ab apostolis, ergò non scripta: nam eadem quæ scripta sunt, eadem fuerunt quoad summam doctrinæ cum illis quæ audita sunt, apostolis prædicantibus atque scribentibus eandem doctrinam. At nihil singulare diceretur de Polycarpo, si eandem doctrinam retulit, quam in scriptis habemus; hanc etenim & nos possumus referre. Imò hoc singulare *Sol.*

fuit, quòd Polycarpus potuit hanc doctrinam ab ipsis apostolis prædicatam tanquam oculatus & auritus testis referre, quod nos non possumus. Sed quid multis opus est? Ipse Irenæus apud Eusebium testatur, ea quæ Polycarpus referebat fuisse omnia σύμφωνα ταῖς γραφαῖς.

Arg. 5. Justinus Martyr, in fine secundæ apologiæ, multa tradit observata à Christianis quæ non scribuntur in divinis literis; ea autem dicit ab ipso Christo tradita fuisse apostolis: ut, quòd agant sacros conventus diebus Dominicis; quòd eucharistiam nemini tradant, nisi priùs baptizato, quòd vinum in cœna Dominica aquâ temperatum adhibeant, &c.

Sol. Respondeo, diei Dominici observationem habere approbationem Scripturarum; itaque inter non scriptas traditiones haud posse collocari: eucharistiam autem non esse dandam illis qui baptismum non susceperunt, apertè deduci ex Scripturis, quæ vetant dare hæc mysteria infidelibus aut impuris. Infidelis autem est, qui fidei sacramentum non suscipit, cùm possit illud habere. Quod spectat ad mistionem aquæ cum vino, dico esse ritum à veteribus nonnullis olim observatum; sed nec dogma fidei, nec essentialem partem sacramenti. Quia enim vinum forte fuit in illis regionibus calidis, paululum aquæ admiscebant. Si hoc ab apostolis factum fuit juxta consuetudinem regionum illarum in quibus vivebant, tamen ad sacramenti essentiam non pertinere indè manifestum est, quòd nec ullus evangelistarum ejus rei meminit, cùm institutionem sacramenti narrant; nec ipse Paulus, cùm a Christo traditam institutionem repetit in 1. epist. ad Corinth. cap. 11. ver. 23.

Arg. 6. Irenæus multa præclara dicit pro traditionibus non scriptis. *Si apostoli Scripturas non reliquissent, oporteret sequi ordinem traditionis. Multi barbari sine atramento scriptam habent in cordibus suis salutem, & custodiunt veterem traditionem*; lib. 3. cap. 4. Et cap. 2, 3. & 4. docet, non esse aliam viam perveniendi ad veritatem, quàm consulendo ecclesias, in quibus est successio episcoporum ab apostolis, & considerando quam illæ dicant esse apostolicam traditionem: nam ex hac traditione habetur sensus Scripturarum difficilium, non ex Scriptura.

Sol. Præclarè loquitur Irenæus pro doctrina apostolica per traditionem ecclesiæ propagatâ, sed pro traditionibus occultis, in Scriptura non fundatis nihil loquitur. Hoc autem verissimum esse, verbis ipsius Irenæi demonstrabo. In primo capite lib. 3. scribit, apostolos *primùm prædicâsse evangelium, dein per Dei voluntatem Scripturas nobis reliquisse fundamentum, & columnam fidei nostræ futuram.* Sine fundamento igitur asseritur, quicquid extra Scripturas docetur. Item in secundo capite ejusdem libri, papistas nostros vivis coloribus depingens, sic scribit; *Cùm ex Scripturis arguuntur hæretici, in accusationem convertuntur ipsarum Scripturarum, quasi non rectè habeant, neque*

sint

ſint ex authoritate, & quia variè ſint dictæ, & quia non poſſit ex his inveniri veritas ab his qui neſciunt traditionem. Eſt igitur hæreticorum vox, Veritatem ex Scripturis inveniri non poſſe, ſi non adjungantur occultæ traditiones. Poſtremò, quòd per *apoſtolicam traditionem per ſucceſſiones epiſcoporum ad nos propagatam*, non occulta illa myſteria, quæ olim jactitabant veteres hæretici & nunc pontificii, ſed evangelicam doctrinam intelligere oporteat omnibus prædicatam, & ſacris Scripturis comprehenſam, exinde manifeſtum eſt, quòd Irenæus, cùm exemplum proferet hujus traditionis, non miſſæ ſacrificium, non imaginum cultum, non cæremonias papiſticas, ſed *Deum omnipotentem, factorem cœli & terræ, Patrem eſſe Domini noſtri Jeſu Chriſti*, eccleſiæ traditionem vocat. Jam facile eſt Bellarmini objectionibus occurrere. *Si apoſtoli non reliquiſſent Scripturas, oporteret ſequi ordinem traditionis*; hoc eſt, ſi Scripturæ non extarent, oporteret tamen doctrinam eandem ab apoſtolis vivâ voce traditam retinere, & ad poſteros noſtros propagare. At *multi Barbari* (inquit Irenæus) *ſine atramento ſcriptam habent in corde ſalutem, & veterem traditionem cuſtodiunt. Non loquitur de traditione Scripturæ, quia Scripturas non habebant*, inquit Bellarminus. Ineptè. Poſſunt enim Scripturæ doctrinam à miniſtris acceptam in corde cuſtodire, qui illam characteribus deſcriptam nunquam legerunt. Atque hanc eſſe mentem Irenæi luce meridianâ clarius eſt: nam immediatè poſt illa verba, *Cuſtodientes veterem traditionem*, ſubjungit ipſe hanc explicationem, *Credentes in unum Deum fabricatorem cœli & terræ, & in Jeſum Chriſtum*, &c. Hæc fuit illa vetus traditio, quam Barbari illi cordibus inſcriptam habuerunt: hæc fuit illa quam ab apoſtolicis eccleſiis petendam, contra Marcionis & Valentini blaſphemias, aſſeruit ſanctiſſimus Irenæus. Talem traditionem nobis proponant Romanenſes, nunquam illis repugnabimus. Poſtremò, ſi quid difficultatis oriatur in negotio fidei, eccleſias orthodoxas conſulendas fatemur; ità tamen ut illæ explicent verum ſenſum Scripturarum, non inferant ſua inventa Scripturis. Bellarminus autem ſenſum Scripturarum non ex ipſis Scripturis depromendum putat, ſed ex traditionibus ſuis non ſcriptis; quod ſæpe ab illo dicitur, ſed nunquam probatur.

Arg. 7. Euſeb. lib. 6. hiſt. cap. 11.

Clemens Alexandrinus, in lib. de Paſchate, dicit *interqueri ſibi à fratribus, ut ea, quæ à præſbyteris apoſtolorum ſucceſſoribus voce ſibi ſolâ tradita eſſent, deſcriberet in libris, ac poſteris traderet. Neſcio* (inquit Bellarminus) *quid clarius pro traditionibus dici poſſit.*

Sol.

Reſpondeo primò, Probandum fuit Bellarmino, hasce traditiones non ſcriptas, fuiſſe aut de fidei dogmatibus, aut de operibus cultus; nam traditiones hiſtoricas aut rituales non negamus: contra nos igitur nihil facit dictum Clementis. Secundò, Liber ille non extat; non poteſt itaque ullam papiſticam traditionem ex illo confirmare.

Origenes

Arg. 8. Origenes in cap. 6. epiſt. ad Rom. *Eccleſia*, inquit, *ab apoſtolis traditionem accepit, etiam parvulis baptiſmum dare.* Et hom. 5. in lib. Numer. *In eccleſiaſticis obſervationibus ſunt nonnulla, quæ cùm omnibus facere neceſſe ſit, eorum tamen ratio non omnibus patet.* Et enumerat multas traditiones non ſcriptas.

Sol. Reſpondeo, baptiſmum infantium eſſe traditionem apoſtolicam, ſed talem quæ nititur tum publicâ praxi, tum manifeſtâ doctrinâ apoſtolorum; non igitur referre illam oportet in catalogum traditionum occultarum. Ad alterum teſtimonium quod attinet, reſpondeo, Origenem loqui de traditionibus rituum, non dogmatum; quod cuivis patebit ipſum locum inſpicienti. Quanquam haud conceſſerim Origeni, Sub novo Teſtamento obſcuros & ænigmaticos ritus condi oportere, quia tales quidam erant ſub veteri. Tempora enim diſtinguenda ſunt.

Arg. 9. Euſebius Cæſarienſis, lib. 1. de demonſtratione evangelicâ. cap. 8. dicit *apoſtolos perfectiorem quandam doctrinam perfectis hominibus tradidiſſe, qui eam capere poterant: illis autem qui animas adhuc affectibus obnoxias gerebant, curationisque indigentes, ea tradidiſſe, quæ iis convenire arbitrabantur; idque partim literis, partim ſine literis.*

Sol. Reſpondeo primò, Utcunque alii aliis præſtant ſapientiâ & ſanctitate; tamen nemo reperitur, qui animam affectibus obnoxiam non gerit, & curationis indigentem: ſi itaque valeat illa diſtinctio Euſebii, perfectiora illa nulli mortalium revelanda eſſent.

Secundò, Dico nullam doctrinam aut perfectiorem aut excellentiorem cogitari poſſe, quàm ea quæ omnibus publicè prædicata, & ſacris literis conſignata eſt. Doctrina enim quæ Deum unum in eſſentia, trinum in perſonis, quæ Chriſtum incarnatum, & pro redemptione humani generis paſſum, quæ regenerationem noſtram per internam Spiritus ſancti operationem, quæ reſurrectionem mortuorum deprædicat, eſt infinitis gradibus altior & ſublimior quàm ulla non ſcripta, in qua traditionarii poſſunt inſtare.

Poſtremò, Utcunque ritus quoſdam non ſcriptos commemorare poterunt adverſarii, dogmata tamen neceſſaria extra Scripturas nunquam reperient. Eadem fortaſſe fidei dogmata ab apoſtolis, pro diverſo captu auditorum, fuerunt quandoque planiùs & generaliùs explicata, quandoque pleniùs, diſtinctiùs, & accuratiùs; ſed eadem & una tamen fides omnibus prædicata. Sic Aquinas in 16. Joan. lect. 3. *Non eſt intelligendum quòd aliqua ſecreta doctrinæ taceantur fidelibus parvulis, ſeorſum docenda majoribus: ſed omnibus fidelibus proponuntur quæ ſunt fidei, aliter tamen proponenda ſunt rudibus, aliter peritis.* Polan. ſyntag. lib. 1. cap. 47. In novis editionibus hæc jam interpolata ſunt.

Arg. 10. Athanaſius in lib. 1. de decr. concilii Nicæni, *Ecce* (inquit) *nos ex patribus ad patres per manus traditam fuiſſe hanc ſententiam demonſtravimus:*

stravimus. Ergò Athanasius probat traditiones non scriptas.

Respondeo, Loquitur de ἀμυήτῳ, atque postquam ostenderat, hujus vocabuli sententiam à patribus ad patres per manus traditam, concludit illis verbis, *Ecce demon stravimus*, &c. Sed nunquid negat in sacris Scripturis hanc doctrinã contineri, quam ex patribus ad patres per manus etiam traditam affirmat? Nihil minùs: imò, in hoc ipso libro apertè id asserit, ubi sic scribit; *Quisquis est studiosioris animi, cognoscet has voces, tametsi in Scripturis non reperiantur, habere tamen eam sententiam quam Scripturæ volunt, & hoc ipsum sonare apud illos quibus aures ad pietatem sunt integræ & minimè vitiatæ.* Nihil igitur contra nos dicit Athanasius, qui non defendimus omnia *vocabula*, sed omnia *fidei dogmata* in Scripturis contineri. *Sol.*

Basilius in lib. de Spiritu sancto, cap. 27. *Dogmata*, inquit, *quæ in ecclesia servantur ac prædicantur, partim ex conscripta doctrina habemus, partim ex apostolorum traditione in mysterio ad nos delata recepimus:* atque ad has traditiones non scriptas refert symbolum apostolicum, unctionem olei in confirmatione, signum crucis in consecrationibus adhibitum, abrenuntiationem Satanæ & pompis ejus in baptismo, &c. *Arg.* 11.

Si traditiones omnes eo loco nominatæ à Basilio ad substantiam fidei pertinerent, deberent utique omnes ab ipsis pontificiis retineri: at non retinentur. Nam quænam fuerunt verba illa invocationis super panem & vinum, quorum etiam meminit eo in loco, papistæ non possunt ostendere: traditionem de ter immergendis infantibus in baptismo, abrogatam fuisse non audent negare; ritum precandi facie versus orientem versâ, ab ipsa ecclesia Antiochena quam Petrus fundavit neglectum fuisse non possunt ignorare; nam illos inter precandum ad occidentem spectare solitos indè colligitur, quòd ecclesia illorum contrarium ab aliis ecclesiis situm habuit; nam in ea altare non ad orientem, sed ad occasum spectabat. At hæc omnia enumerantur à Basilio, quamvis à Bellarmino astutè prætermittuntur. Venio igitur ad ea in quibus Bellarminus instat; atque primò respondeo, symbolum apostolicum, quoad substantiam doctrinæ in eo contentam, non ex traditione, sed ex Scripturis hausturn; impropriè itaque vocari traditionem non scriptam. Chrismatis usum in confirmatione, atque signum crucis ad cæremonias pertinere affirmo. Renuntiationem Satanæ in baptismo, si rem spectes, necessariam agnosco; nam qui fidem in Christum suscipit, eâdem operâ diabolo renuntiat: si ipsam solennem formam quæstionum ac responsionum attendas, ritum utilem & convenientem, sed liberum & in ecclesiæ potestate positum sentio. Traditiones itaque à Basilio approbatæ causam nostram non impugnant, quia partim referuntur ad cæremonias ecclesiæ, non ad dogmata fidei, partim *Sol.*

ab ipsis pontificiis non minùs quàm à nobis negliguntur.

Arg. 12. Nazianzenus oratione 1. in Julianum, postquam dixerat propter dogmata Testamenti veteris & novi nostram doctrinam visam fuisse Juliano mirabilem, addit continuò, *Cæterùm majorem atque insigniorem ob eas ecclesiæ figuras quas traditione acceptas in hunc usque diem servamus.* Per *figuras* autem intelligit disciplinam & ordinem ecclesiæ, rationem psallendi, modum imponendæ pœnitentiæ, &c.

Sol. Hæc omnia à proposito aliena sunt: neque enim negamus disciplinam bene institutam, & ritus ad ædificationem accommodatos, multum facere ad decus ecclesiæ; sed defendimus, doctrinam fidei & cultus, ex solis Scripturis, non ex occultis traditionibus petendam; contra quam sententiam Nazianzenus nec dixit, nec cogitavit quicquam.

Arg. 13. Chrysostomus in 2. Thess. 2. in illa verba, TENETE TRADITIONES, &c. *Patet*, inquit, *quòd non omnia per epistolam tradiderint apostoli, sed multa sine literis. Eâdem verò fide digna sunt tam ista quàm illa.* Et hom. 3. in epist. ad Philippenses, *Non frustra*, inquit, *ab apostolis sancitum est, ut in celebratione venerandorum mysteriorum, memoria fiat eorum qui hinc discesserunt. Noverant illis multum hinc emolumenti fieri, multum utilitatis.*

Sol. Ad priorem locum respondeo, nihil aliud indè colligi posse, quàm tunc temporis Paulum non omnia per epistolam, sed quædam vivâ voce Thessalonicensibus tradidisse; jam autem, in toto canone Scripturarum omnia fidei dogmata non esse comprehensa, indè colligi nullo modo potest. Quod igitur Chrysostomus infert, *Traditio est, nihil quæras amplius*; nisi certò constet esse traditionem verè apostolicam (ut leviſſimè loquar) temerè dictum, & præter mentem apostoli, atque sanctorum patrum, qui in traditiones inquirendum putabant. Consulite Cyprianum epist. lib. 2. ep. 3.

Ad alterum locum quod attinet, Nego ab apostolis institutum fuisse, ut talis memoria fieret mortuorum, qualem in illo loco memorat Chrysostomus; nam statim subjungit, *orandum fuisse pro mortuis fidelibus, ut Deum erga illos placatum reddamus.* At hoc repugnat doctrinæ apostolorum, qui *justificatos per fidem pacem habere apud Deum* apertè prædicant; non itaque pro illis placandus est orationibus nostris, nec Chrysostomo fides adhibenda, cùm id apostolis tribuit, quod cum apostolica doctrina pugnat. Huc adde, quòd nec Christus nec Paulus hujus rei ullam mentionem faciunt.

Arg. 14. Theophylactus docet legem jejuniorum apostolicam esse traditionem, Cyrillus Hierosolymitanus in catechesibus nihil ferè explicat aliud quàm traditiones non scriptas.

Sol. Jejuniorum præscriptio, atque ad certos dies limitatio, pertinet ad externam disciplinam, & ordinem ecclesiæ, non ad

dogmata

dogmata fidei: quamvis igitur admittamus hanc traditionem eſſe apoſtolicam, nihil indè contrà nos concludi poteſt. Sed neque hoc concedimus, quia repugnant alii patres. Caſſianus dicit hanc obſervationem quadrageſimę, quamdiu eccleſiæ primitivæ perfectio inviolata manſit, penitus non fuiſſe; ſed poſt apoſtolorum tempora à ſacerdotibus fuiſſe introductam. Euſebius haſce leges jejuniorum ad Montanum hæreticum refert. Socrates, lib. 5. cap. 21. oſtendit omnes ferè eccleſias in quadrageſimæ obſervatione varias habere conſuetudines: unde colligit, *Quoniam nemo de ea præceptum literarum monumentis proditum poteſt oſtendere, perſpicuum eſt apoſtolos liberam poteſtatem in eadem cujuſque menti & arbitrio permiſiſſe, ut quiſque nec metu, nec neceſſitate inductus, quod bonum ſit ageret.* Ad Cyrilli Hieroſolymitani traditiones quod attinet, ad ritus & cæremonias pertinent; de iis itaque nihil opus eſt ut pluribus reſpondeam.

Collat. 21. cap. 30.

lib. 5. cap. 16.

Epiphanius, hæreſ. 55. *Termini*, inquit, *nobis poſiti ſunt, & fundamenta, & ædificatio fidei, & apoſtolorum traditiones, & Scripturæ ſanctæ, & ſucceſſiones doctrinæ.* Et hæreſ. 61. *Oportet*, inquit, *& traditione uti: non enim omnia à divina Scriptura accipi poſſunt:* & ſimilia, hæreſ. 75.

Arg. 15.

In priore loco Epiphanius Melchiſedechianos refellit, qui ſanctum hunc virum, non hominem, ſed virtutem quandam ipſo Chriſto majorem ſomniabant. Ex Scripturis probat Epiphanius fuiſſe hominem, ex traditione non ſcripta parentes ejuſdem commemorat; dein ſubjungit verba à Bellarmino allata. Unde patet Epiphanium non de dogmaticis, ſed de hiſtoricis traditionibus loqui, quibus nos illam fidem tribuimus, quam rei natura, quámque authorum exiſtimatio meretur; non autem tenemur illico credere eſſe apoſtolicam traditionem, quicquid unus aut alter è patribus ab apoſtolis acceptam affirmaverit.

Sol.

In poſteriore loco, ubi dicit ex traditione aliqua eſſe accipienda, hanc traditionem apoſtolicam illico profert, *peccatum eſſe poſt decretam virginitatem ad nuptias converti.* Hoc pontificii contra nos urgere non poſſunt, quia apud iſtos pontifex Romanus, etiam poſt ſolenne votum, dat poteſtatem nubendi, id eſt (ut Epiphanius ex traditione aſſerit) *peccandi:* Quia ipſe Epiphanius hoc eodem in loco dicit, *non obſtante tali decreto, melius eſſe nubere, quàm occultis jaculis indies ſanciari.* At ſi peccatum eſſet, nullo reſpectu fieri oporteret. Cùm igitur in hac traditione ſua, neque cum pontificiis, neque cum Scripturis conſentiat, fruſtra & ridiculè Bellarminus Epiphanii authoritatem nobis obtrudit.

Durand. lib. 4 diſt. 38. qu. 2.

Damaſcenus, lib. 4. cap. 17. *Plurima*, inquit, *apoſtoli ſine*

Arg. 16.

ſcripto tradiderunt. Et in orat. 1. pro imaginibus ſacris, multa habet in hanc ſententiam.

Sol. Damaſcenus in utroque loco imaginum cultum ſtabilire conatur, quem cùm ex Scripturis ſe probare non poſſe intelligit, ad traditionem non ſcriptam ſe recipit. Nos autem Damaſcenum, utcunque virum doctum & acutum, authorem tamen recentem & ſuperſtitionis labe maculatum, liberè hac in cauſa repudiamus: præſertim cùm ipſe nos alibi docuerit, *nihil ultra prophetas, apoſtolos, & evangeliſtas perquirere*. Atque hæc fuere Bellarmini teſtimonia ex Græcis patribus.

lib. 1. cap. 1.

Sequuntur patres Latini, inter quos claſſem ducit Tertullianus, qui in lib. de corona militis ſic ſcribit; *Nonnullas obſervationes ſine ullius Scripturæ inſtrumento, ſolius traditionis titulo, deinde conſuetudinis patrocinio vendicamus. Harum diſciplinarum ſi legem expoſtules Scripturarum, nullam invenies; traditio tibi prætenditur auctrix, conſuetudo confirmatrix, & fides obſervatrix*. Atque idem traditione utendum docet in lib. 1. contra Marcionem; lib. 2. ad uxorem; lib. de velandis virginibus, & lib. de præſcript. hæret.

Arg. 1.

Sol. Reſpondeo, Tertullianum jam in Montani caſtra tranſiiſſe; non mirum itaq; ſi traditiones non ſcriptas ſuſcipit, qui Montani paracletũ ſuſceperat. Secundò, loquitur Tertullianus de obſervatione quorundam rituum, non de conſtitutione dogmatum; nos autem ritus utiles & decoros traditione ſolâ à majoribus ad nos propagatos retineri poſſe non negamus. Quanquam pleroſque ritus hoc in loco nominatos ipſi papiſtæ abrogârunt; nobis igitur eorum neglectionem objicere, aut illos tanquam apoſtolicos aliis obtrudere minimè debuerunt. In 1. lib. contra Marcionem nihil reperio quod cauſæ noſtræ obeſſe poſſit: ſi quid ibi de traditione dicatur, intellexit traditionem doctrinæ evangelicæ omnibus palàm prædicatæ, non ſecretas illas papiſtarum traditiones, paucis quibuſdam ſapientioribus in occulto concreditas. Neque ex 2. ad uxorem potuit aliquid proferre Bellarminus. In libro autem de velandis virginibus noſtram cauſam agit apertiſſimè: nam in ipſo initio explodit conſuetudines omnes veritati evangelicæ non conſentaneas; atque dicit Chriſtum *veritatem* ſe, non conſuetudinem, cognominâſſe. Poſtremò, Liber de præſcriptionibus adverſus hæreticos totus noſter eſt: nam in eo ſubruit illud traditionum fundamentum, apoſtolos ſcilicet quædam quæ ſunt omnibus abſolutè neceſſaria omnibus prædicâſſe, alia verò ſecretiora paucis ſapientioribus clam tradidiſſe. Sic enim de hæreticis loquitur, papiſtas noſtros vivis coloribus depingens; *Confitentur nihil apoſtolos ignorâſſe, nec diverſa inter ſe prædicâſſe: ſed non omnia volunt illos omnibus revelâſſe; quædam palàm & univerſis, quædam ſecretò & paucis demandâſſe*. Deinde producit eadem loca, quæ à papiſtis contra nos proferuntur. Mox ſubjungit & illud, *Incredibile eſt vel ignorâſſe apoſtolos plenitudinem prædicationis*,

"

"

"

vel

vel non omnem ordinem regulæ omnibus edidiſſe. Illud itaque obſervetur, Utcunque Tertullianus ritus quoſdam ex traditione acceptos alicubi commemorat; doctrinam tamen fidei, non partim in Scripturis, partim in occultis traditionibus, ſed totam & integram in apoſtolica doctrina omnibus palàm propagatà reperiri affirmat. Quod autem dicit, *hæreticos non ex Scripturis, ſed ex traditione revincendos*, contra nos non facit: nam traditionem vocat, non clanculariam illam doctrinam quam papiſtæ obtrudunt, ſed doctrinam evangelii in eccleſiis orthodoxis perpetuâ ſucceſſione traditam & defenſam: hæreticos etiam tales deſignat, qui Scripturas mutilârunt, rejecerunt, imperfectas eſſe clamârunt, atque traditionum aſſumento perficiendas. Non mirum ſi tales ad eccleſiæ doctrinam vivâ voce traditam revocat.

Cyprianus epiſt. lib. 1. epiſt. 12. *Ungi quoque neceſſe eſt*, inquit, *eum qui baptizatus eſt*, &c. At nihil de chriſmate habetur in Scripturis. Idem lib. 2. ep. 3. vult in calice Dominico aquam vino miſceri, atque illud appellat *Dominicam traditionem.* *Arg. 2.*

Reſpondeo, Unctionem baptizatorum ad ritus pertinere, non ad dogmata fidei; ac proinde hanc inſtantiam eſſe à cauſa quam tractamus alienam. Secundò, dico Cypriani ſententiam defendi non poſſe, nè ab ipſis quidem pontificiis: nam illi fatentur baptiſmum validum & efficacem eſſe, ſi adminiſtretur ſub debita forma, etſi ritus illi omittantur; at Cyprianus per hanc unctionem docet baptizatum fieri unctum Domini, & recipere gratiam Chriſti; quod nullo modo admittendum eſt. Hîc itaque cum Auguſtino dicimus, *Literas Cypriani non ut canonicas habeo, ſed ex canonicis conſidero.* Canonicæ autem literæ nullam ungendi neceſſitatem imponunt. Quod attinet ad alterum locum, manifeſtum eſt Cyprianum non tam contendere aquam vino miſcendam eſſe, quàm ſolùm aquam non eſſe offerendam. Agit enim contra aquarios, atque tandem contra eos ſic concludit; *Unde apparet ſanguinem Chriſti non offerri, ſi deſit vinum calici.* Obiter etiam vino hanc aquam miſcendam eſſe docet: ſed illud prius ex Scripturis confirmat, hoc poſterius ex ſignificandi tantummodo ratione deducit; vult enim hanc miſtionem ſignificare unionem Chriſti cum eccleſia, atque ſubnectit hæc verba, *Si vinum tantùm quis offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis.* Sed quis non videt hanc unionem piorum cum Chriſto ipsâ receptione vini & panis multò meliùs ſignificari, quàm illâ miſtione quam urget Cyprianus? Cùm itaque Chriſtus hujus miſtionis nullam mentionem fecerit, dicimus rem liberam eſſe, neque de neceſſitate ſacramentinam *in euchariſtia celebranda id utiq; nos facere oportet, quod Chriſtus fecit, & quod faciendum eſſe mandavit.* Cypr. ibid. *Sol.*

Hilarius in libro contra Conſtantium docet nomen ipſum ἑμοούσιος eſſe retinendum, licèt non habeatur in Scripturis: docet etiam conſubſtantialitatem Patris & Filii eſſe credendam, licèt expreſsè non *Arg. 3.*

ſit dictum in Scriptura, Filium eſſe Patri conſubſtantialem.

Sol. Nugas agit Bellarminus, qui de vocabulis diſputat, cùm de dogmatibus diſputandum eſſet. Vocabula nova, ſi ad Scripturæ ſenſum explicandum conferant, & excogitari poſſe, & recipi debere admittimus: dogmata nova, extra Scripturas inventa, nullo modo in fidem recipimus. Chriſtum autem eſſe Patri conſubſtantialem, etſi totidem ſyllabis non dicatur in ſacris literis; tamen manifeſtiſſimè ex iiſdem confirmatur; quod à nobis ſuprà oſtenſum eſt ex ſententia Athanaſii, Hilarii, aliorúmque.

Arg. 4. Ambroſius, de ſacr. lib. 1. cap. 1. 2. explicat ritus qui ab univerſa eccleſia ſervantur in baptiſmo, ſed ſcripti non ſunt; docet quadrageſimam á Chriſto præceptam; docet ſymbolum apoſtolicum ab apoſtolis non eſſe ſcriptum. Similia habet Hieronymus in ep. ad Marcellum, & in dialogo adverſus Luciferianos.

Sol. Pro nobis reſpondit Bellarminus cùm agnoſcit haſce traditiones non ſcriptas de ritibus quibuſdam eſſe, non de dogmatibus. Ad quadrageſimam quod attinet, antea reſponſum eſt: fatemur Chriſtum per quadraginta dies jejunâſſe, atque ab hoc exemplo Chriſti aliquos perpetuam legem eccleſiis obtrudere voluiſſe; ſed de modo hujus jejunii quadrageſimalis, de temporis ſpatio, de ipſo authore nihil certi traditur ab ipſis patribus: ad humana itaque inventa pertinet, non ad fidei dogmata. Symbolum fidei noſtræ quod attinet; cùm traditionem non ſcriptam appellant patres, nihil aliud volunt, quàm hoſce articulos hoc ordine digeſtos non haberi in ullo libro Scripturarum; ſed doctrinam tamen iiſdem contentam in evangelicis atque apoſtolicis libris fundatam tota eccleſia unanimi conſenſu agnoſcit: quid igitur hoc ad occultas & clancularias traditiones papiſtarum?

Arg. 5. *Epiſt. 118.* Ultimo in loco Auguſtinum introducit pro traditionibus non ſcriptis hunc in modum loquentem; *Illa quæ non ſcripta ſed tradita cuſtodimus, quæ quidem toto terrarum orbe ſervantur, dantur intelligi vel ab ipſis apoſtolis, vel plenariis conciliis (quorum eſt in eccleſia ſaluberrima authoritas) commendata atque ſtatuta retineri: ſicut quòd Domini paſſio, & reſurrectio, & aſcenſio in cœlum, & adventus de cœlo Spiritus ſancti anniverſariâ ſolennitate celebratur.* Atque paulò pòſt generales haſce totius eccleſiæ obſervationes diſtinguit ab obſervationibus liberis & variantibus.

Sol. Reſpondeo, horum feſtorum obſervationem non ad fidei dogmata, ſed ad externos ritus pertinere: nos autem ritus ſalubriter & ſapienter (præſertim à tota eccleſia) inſtitutos magni facimus. Secundò, apertum eſt, dubitare Auguſtinum an horum feſtorum ſolennitas ab apoſtolis, an à conciliis dimanârit: certum igitur eſt, non haberi inter dogmata fidei; nam ea omnia ſunt conciliis univerſalibus antiquiora. Poſtremò, quòd diſtinguit haſce univerſales cæremonias à quibuſdam, quæ in particularibus eccleſiis uſurpantur,

Augu-

quas liberas vocat, quaſi haſce alteras neceſſarias ſtatueret, dico Auguſtinum non neceſſitatem ad ſalutem intellexiſſe, ſed neceſſitatem ex hypotheſi, ſi quis vellet ſcandalum & ἀταξίαν vitare. Nam ſi unus aut pauci præſumerent ritum utilem & univerſali eccleſiâ receptum floccifacere, turbarent ordinem eccleſiæ, & ſcandalum fratribus præberent.

Aliud teſtimonium Auguſtini affertur ex 2. de baptiſmo contra Donatiſtas, cap. 7. & aliis locis, in quibus docet baptiſmum hæreticorum non eſſe repetendum; atque Auguſtinus vocat hanc doctrinam *conſuetudinem ex apoſtolica traditione venientem*: ergò habemus hanc maximi momenti doctrinam ex traditione ſolummodo non ſcriptâ. *Arg. 6.*

Reſpondeo, nihil aliud velle Auguſtinum, quàm in literis apoſtolicis non inveniri præceptum directum, vel de repetendo, vel de non repetendo baptiſmo hæreticorum, neque etiam exemplum aliquod in alterutram partem: atque hanc ob cauſam vocat ſuam ſententiam *conſuetudinem ex traditione tantummodo apoſtolicâ venientem*. Quid hoc eſt? Non occultam aliquam traditionem paucis ſecretò communicatam, ſed traditionem appellat perpetuam conſuetudinem eccleſiæ, nullo expreſſo præcepto aut exemplo confirmatam, ſed ex ipſa praxi apoſtolorum receptam, & fundamentis Scripturarum radicatam. Hoc poſſum multis Auguſtini teſtimoniis probare, ſed duobus contentus ero. *Sol.*

Prius deſumitur ex lib. 1. contra Donatiſtas, cap. 7. ubi de hæreticorum baptiſmo loquitur, atque hæc verba habet, *Nè videar humanis argumentis agere, profero ex evangelio certa documenta*, &c. Bellarminus reſpondet *nos omiſiſſe verba quædam interjecta de definitione concilii univerſalis*; quod fatemur à noſtris brevitatis causâ factum. Sed quid tum? dicit Bellarminus hanc quæſtionem *non potuiſſe fieri ex Scripturis ante concilii determinationem: ac poſteaquam concilium explicavit ipſam rem, jam poſſe certa documenta ex Scripturis afferri: nam Scripturæ à concilio explicatæ probant quod antea non probabant.* Nihil dici potuit vitioſius, aut theologo indignius. Nam conciliorum explicatio, non novam virtutem, aut novum ſenſum inſerit Scripturis, ſed ſenſum inſitum explicat & expromit. Non itaque *probant quod antea non probabant*, ſed homines indocti & imperiti vident & percipiunt id ex illis probari, quod antea non videbant. Sive itaque hæc doctrina de hæreticorum baptiſmo non reiterando, probetur ex evangelio poſt concilii determinationem, ſive ante, nihil refert; ſemper enim dogma Scripturæ cenſebitur, non ἀγράφου traditionis. Imò eò clariùs apparet hoc dogma eſſe in evangelio fundatum, quòd poſt maturam concilii determinationem ità judicatum ſit.

Alium locum non minùs perſpicuum habemus in ipſo initio libri 6. *Poterat jam ſufficere, quòd toties repetitis rationibus, adjunctis eti-*

am

am Scripturarum documentis oſtendimus. Atque dicit hoc tam apertè à ſe demonſtratum, ut *corde tardiores poſſint hujus quæſtionis veritatem intelligere.* Reſpondet Bellarminus, Auguſtinum id velle, *ſe conjecturas quaſdam ex Scripturis attuliſſe, quæ per ſe non ſufficiebant ad probationem, ſed poſt concilii definitionem aliquid valebant ad veritatem confirmandam.* Sed parùm honorificè tractat Auguſtinum, quem dicit non argumentis certis, ſed infirmis & incertis conjecturis diſputare. Hoc genus, non diſputandi, ſed nugandi Auguſtinus damnat; *Si ambiguè poſitis uti vellemus, innumerabilibus uteremur, quæ cauſam noſtram nihil adjuvarent. Sed talia nihil aliud agunt, quàm quòd malam cauſam vel moras faciendo ſuſtentant.* Auguſtinus igitur non conjecturas ſuas ex Scripturis, ſed ipſarum Scripturarum documenta adhibuit. Atque ſic patrum teſtimoniis ſatisfactum eſt.

CAP. IX.

Solvuntur quatuor alia Bellarmini argumenta.

PAtrum teſtimoniis ratiunculas quaſdam ſuas adjungit Bellarminus, invalidas eas quidem & jejunas; quas tamen, nè quid omiſiſſe videamur, breviter diſcutiemus & diſſipabimus.

Rat. 1. Omnes hæretici communi conſenſu rejecerunt traditiones: Valentiniani & Marcioniſtæ id fecerunt, ut teſtantur Irenæus lib. 3. cap. 2. & Tertullianus de præſcript. Cyprianus etiam errorem ſuum de anabaptiſmo non aliter defendere potuit, quàm traditiones non ſcriptas rejiciendo. Sic Donatiſtæ Scripturas urgebant, quibus tamen Auguſtinus eccleſiæ traditionem objicit, lib. de unit. eccl. cap. 19. Arriani quoque nihil præter Scripturas admittere volebant. Cùm igitur hæretici traditiones rejiciant, oportet catholicos eaſdem retinere.

Cypr. ad Pomp.

Sol. 1. Nos non penitus rejicimus traditiones (ut ſæpe dictum eſt) ſed dogmata fidei ex traditionibus non ſcriptis haud eſſe petenda defendimus; quam eſſe omnium patrum conſtantem ſententiam poſtea demonſtrabimus. 2. Quod Bellarminus audacter aſſerit, omnes hæreticos rejeciſſe traditiones non ſcriptas, manifeſtè falſum eſt, & fronte Jeſuiticâ dignum mendacium: nam in eo plurimi hæretici conveniunt, quòd doctrinam ſuam quam ex Scripturis probari non poſſe vident (papiſtarum more) ex occultis traditionibus confirmare contendunt; atque eoſdem locos Scripturarum quos ad ſuas traditiones ſtabiliendas afferunt papiſtæ, antiqui etiam hæretici attulerunt. Inſtabo in illis ipſis quos Bellarminus imprudentiſſimè nominavit, Valentinianis & Marcioniſtis; de quibus ſic Irenæus, eodem lib. & cap. quem citavit Bellarminus; *Cùm ex Scripturis arguuntur, in accuſationem convertuntur Scripturarum, quaſi ex his ve-*

Lib. 3. cap. 2.

ritas

ritas ab iis inveniri non poſſit, qui neſciunt traditionem. Atque hæc verba Pauli torquent, SAPIENTIAM LOQUIMUR INTER PERFECTOS, *quam ſapientiam unuſquiſque eorum dicit eſſe fictiones ſuas.* Videtis igitur illos hæreticos potiſſimùm nixos traditionibus non ſcriptis, Traditio autem quam ab illis rejectam queritur Irenæus, nihil aliud fuit, quàm doctrina Scripturarum ſymbolo apoſtolico comprehenſa. Inſpicite (quæſo) per otium ipſum Irenæum, ut perfidiam & impudentiam adverſariorum in citandis patribus intelligatis.

Neque Tertullianus papiſtis favet in hac cauſa, imò perſpicuè docet, hæreticos traditionem eccleſiæ, hoc eſt, Scripturarum veram doctrinam perpetuâ ſucceſſione propagatam, rejicere; ſed traditiones occultas, & non ſcriptas, non minùs quàm pontificios noſtros, ſub apoſtolorum nomine venditâſſe. Appono ejus verba; *Non omnia voluit illos omnibus revelâſſe; ſed quædam palàm & univerſis, quædam ſecretè & paucis demandâſſe: quia ſcripſit Paulus,* O TIMOTHEE DEPOSITUM CUSTODI, &c. Hiſce addo Auguſtinum, qui ſcribit, *omnes inſipientiſſimos hæreticos, qui ſe Chriſtianos vocari volunt, audacias figmentorum ſuorum hac occaſione evangelicæ ſententiæ colorare, ubi Dominus ait,* ADHUC MULTA HABEO VOBIS DICERE. Bellarminus dicit omnes hæreticos conſpirare in rejiciendis traditionibus; Auguſtinus omnes conſpirare in urgendis, atque niti illo loco, quem inter præcipua ſua teſtimonia afferre ſolent papiſtæ. Quod de Cypriano objectum eſt, non potuiſſe illum anabaptiſmum defendere niſi ad ſolas Scripturas appellando & traditiones non ſcriptas rejiciendo, reſpondeo; Non illud vitio vertendum eſt huic patri, quòd ex Scripturis ſolis hanc cauſam decidi voluit, ſed quòd Scripturas malè intellectas ad ſuum errorem ſtabiliendum detorſit. De Arrianis antea reſponſum eſt, illos ſcilicet ex Scripturis, non ex traditionibus fuiſſe revictos: quòd autem vocabulum ἰμοούσιον rejecerint quia in Scripturis non invenitur, ad cauſam hanc non ſpectat; nos enim non vocabula omnia, ſed dogmata ex Scripturis peti volumus.

Rat. 2.

Tract. 97. in Joan.

Omnes gentes habuerunt ſuas traditiones non ſcriptas; Judæi habuerunt multas traditiones extra Scripturas; omnes profanæ reſpublicæ legibus non ſcriptis magnâ ex parte reguntur; nobiliſſimi philoſophi Pythagoras & Socrates nihil ſcripſerunt; denique in jure civili eadem authoritas tribuitur conſuetudini non ſcriptæ & legi ſcriptæ.

Origen. Hom. 5. in Num.

Reſpondeo, nos non traditiones promiſcuè, ſed traditiones de fide aut cultu dogmaticas rejicere. Ad Judæos quod attinet, negamus illos traditiones tales habuiſſe, nam in Moſe & prophetis quæ ad fidem & cultum ſpectabant perfectè tradeban-

Sol.

tur: quod Bellarminus fatetur doctissimos pontificios agnovisse; quibus eat fidem abroget, ut Cabalistis atque Talmudistis accedat, ego non intelligo. Ad profanas respublicas quod attinet, quæ partim scriptis legibus, partim non scriptis reguntur, illud dico, non esse eandem rationem. Nam quæ humanum captum non superant, possunt humanis judiciis committi: sed religio est quiddam supra captum hominis, ac proinde certis & immutabilibus legibus ab ipso Deo præscribenda. Philosophorum autem exempla potiùs evertunt, quàm confirmant causam pontificiam: nam videmus doctrinam illam non scriptam Pythagoræ ac Druidum planè evanuisse; quod & sacræ doctrinæ contingeret (sublatis extraordinariis revelationibus) si scripto non committeretur. Ad jus civile quod attinet, ex ipso jure respondemus, *valere consuetudinem quando deficit lex*: sed negamus legem divinam deficere in materia sive fidei, sive cultus: in hisce itaque rebus traditionibus non scriptis nihil opus est. Valeant quandoque in rebus minoris momenti, ut in historicis relationibus, in ritibus externis, sed in ipsa summa religionis nihil valeat extra Scripturas, multò minùs contra Scripturas introductum. Nam *contra legem scriptam non valet consuetudo.*

Rat. 3. Ecclesiæ catholicæ dignitas requirit traditiones non scriptas. Nam ecclesia præstat omnibus sectis, quòd ipsa sola noverit omnia mysteria veræ religionis. At si omnia essent apertissimè scripta, nullum esset privilegium ecclesiæ. Nam nihil minùs scirent Judæi & Pagani de mysteriis fidei nostræ, quàm nos ipsi, atque antistites nostri sciunt.

Sol. Dignitas ecclesiæ non pendet ex nuda cognitione mysteriorum sacrorum, sed ex viva & efficaci scientia, quæ conjunctam habet cordis sanctificationem. Nam ad scientiam quod attinet rerum sacrarum, homines improbi, imò ipsi diaboli possunt esse in Scripturis peritiores multis piis & fidelibus. Non igitur in eo consistit privilegium veræ ecclesiæ, quòd habeat doctrinam quandam secretam, & apocrypham sibi soli notam, sed quòd doctrinam evangelii publicam, & omnibus oblatam, sola quoad salutem efficaciter comprehendat, quam alii sine fructu quasi eminus intuentur. Adhæc, quamvis Judæi & Pagani videre & legere possunt mysteria nostra in libris scriptis, tamen quia illis fidem non adhibent, ecclesiæ privilegium non consequuntur: non itaque tantum sciunt quantum fideles, ut Bellarminus falsò somniavit. Postremò, cùm traditiones illæ, quæ *non scriptæ* dicuntur quia in Scripturis non extant, *in aliis tamen libris passim legantur*; Judæi & Pagani non minùs possunt illas traditiones quàm Scripturas cognoscere. Nam quæ tandem traditio illa est, quæ in aliquo libro jam non legatur? De imaginibus colendis, de indulgentiis, de purgato-

rio,

rio, déque ritibus ſacramentorum extant magna volumina; neque difficilius eſt Turcis & Paganis hoſce libros parare & legere, quàm codices ſacros. Si valet igitur argutatio Bellarmini, periit tota dignitas catholicæ eccleſiæ; nam neque ſacras Scripturas, neque traditiones ſibi ſoli reſervavit, ſed utraſque ſcripto jam commiſſas toti mundo evulgavit.

Dignitas myſteriorum multorum ſilentium requirit, nec decet ut in Scripturis, quæ toti mundo leguntur, explicentur. Si enim ad videnda tremenda myſteria non licet admittere ullos non baptizatos, quomodo licebit eis eadem ſcripto tradere. Hinc apoſtolus, 1. Cor. 2. 6. *Sapientiam loquimur inter perfectos.*

Quod de dignitate myſteriorum ſilentium requirente aſſerit Bellarminus, ethnicum & profanum eſt: nam myſteria altiſſima & maxima Chriſtus omnibus paſſim prædicare juſſit. Nam ſine controverſia eſt illud myſterium longè maximum, quòd *ipſe Deus ſit conſpicuus factus in carne, juſtificatus in Spiritu*, &c. 1. Tim. 3. 16. hæc tamen omnia, aliáque ſalutiferæ fidei myſteria, & prædicari, & in ſcripta referri voluit Deus ſapientiſſimus. Unde Tertullianus contra Valentinianos, *Nihil veritas erubeſcit, niſi ſolummodo abſcondi.* Sed non licet admittere non-baptizatos ad videnda tremenda myſteria; multò minùs igitur licebit eadem iis ſcripto tradere. Miror incogitantiam Bellarmini, qui non videt ſe ipſos evangeliſtas reos agere myſteriorum proditorum: nam hi ſcriptis tremenda illa quæ appellat myſteria, hoc eſt, cœnæ Dominicæ rationem atque inſtitutionem, omnibus videndam & legendam divulgârunt. Cùm adminiſtrantur hęc myſteria, qui non ſunt baptizati minimè admitti debent, quia in illis partem nondum habent: ſed ad lectionem inſtitutionis in ſacris literis patefactam ſi accedant, nihil indè incommodi conſequetur. Poſtremò, quod apoſtolus dixit, *Sapientiam loquimur inter perfectos*, non probat aliquam partem doctrinæ ſalutiferæ ſub occulta traditione fuiſſe paucis quibuſdam ſapientioribus concreditam: ſed hanc doctrinam quæ omnibus eſt prædicata, impiis & carnalibus ſtultitiam videri, à fidelibus autem ſano ac perfecto corde præditis ſapientiam reputari. Atque ſic Bellarmini argumentis reſponſum eſt, jam noſtras copias in aciem producemus.

Rat. 4.

Sol.

Cap. X.

REſtat jam ut argumentis confirmemus ſententiam noſtram, quæ Scripturam, eámque ſolam, ponit perfectam ac totalem regulam fidei ac cultus, traditiones autem non ſcriptas ab hac fidei & cultus materiâ penitus excludit. Agemus contra adverſarios, 1. Expreſſis Scripturarum teſtimoniis; 2. Rationibus indè deductis; 3. Omnium antiquorum conſentientibus ſuffragiis.

In Scripturis accumulandis multi non erimus, ſed loca quædam ſelectiora excerpemus. Atque primâ in acie illa teſtimonia locabimus, quæ expreſsè prohibent omnem additionem aut detractionem verbo divino à quocunque mortali faciendam.

Teſt. 1. Deuteron. 4. 2. *Non addetis ad verbum hoc quod vobis loquor, nec auferetis ex eo.* Et 12. 32. *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito Domino; nec addas quicquam nec minuas.* Et Deuteron. 5. 32. *Cuſtodite & facite quæ præcepit Dominus Deus vobis; non declinabitis neque ad dextram, neque ad ſiniſtram.* Hiſce etiam adjicere poſſumus illud Paulinum, Gal. 1. 8. *Etiamſi nos, aut angelus è cœlo annuntiaverit vobis, præter id quod annuntiavimus, anathema eſto.* Hæc omnia conjungo, quia eundem planè ſcopum habent, atque eò tendunt, ut in negotio religionis & fidei, totam eccleſiam ad Dei vocem & verbum alligent, additamenta autem omnia & inventa humana excludant.

Hæc atque hujuſmodi teſtimonia frivolis argutiis eludere conantur adverſarii, ſed fruſtrà.

Primò, Reſpondet Bellarminus, in hujuſmodi locis non agi de verbo ſcripto tantùm, ſed etiam de verbo non ſcripto, hoc eſt de traditionibus. Non enim Moſes ait, Non addetis ad verbum quod *ſcripſi*, ſed quod ego *præcipio*. Neque Paulus ait, Si quis evangelizaverit præter id quod *ſcripſimus*, ſed præter id quod *evangelizavimus*. Intelligenda itaque ſunt hæc loca tam de verbo non ſcripto, quàm ſcripto: neque aliud probant, quàm verbo Dei nihil addendum eſſe: non autem concludunt verbo ſcripto nihil additum fuiſſe; nam ipſe Deus addidit traditiones non ſcriptas.

Sed contrà, Utcunque Moſes dicat, *Ad verbum quod præcipio*, non ad verbum quod *ſcribo*, illud tamen de ſola ſcripta lege intelligi ſic oſtendo. Traditiones non ſcriptæ ex ſententia adverſariorum non toti populo palàm promulgantur, ſed paucis ſapientioribus & perfectioribus clam committuntur. Moſes autem hoc in loco de doctrina loquitur toti Iſraeli promulgatâ; nam in 1. verſu capitis 4. ſic exorditur, *Nunc ergò Iſrael attende ad ſtatuta judiciáque quæ doceo vos.* Tum ſubjungit, *Nè addite ad verbum illud, quod ego præcipio vobis.* Verbum igitur hoc erat illud idem, quod toti Iſraeli promiſcuè promulgatum erat: at hoc eſt verbum ſcriptum, non traditiones occultæ.

Quod

Quod etiam attinet ad Pauli locum, facilè probabimus illum etiam de solo verbo scripto intelligendum esse; nam loquitur de illo verbo quod annuntiatum publicè fuit toti ecclesiæ Galatarum. Non enim ad prælatos solos scripsit suam epistolam, neque ad illos sapientiores & perfectiores, quibus thesaurus ille traditionum occultarum committi solet; sed ad Galatas generatim: atque hosce monet, ut anathema dicant vel angelo, si evangelizaverit illis præter id quod apostoli ipsis evangelizârunt. At quod omnibus evangelizârunt, id etiam in scripta retulerunt; præter scriptum igitur verbum, si quis aliud non scriptum annuntiet, anathemate feriendus est. Atque hîc ipsum Bellarminum contra seipsum testem producam. Nam dicit *omnia ab apostolis scripta esse, quæ ipsi palàm omnibus vulgò prædicaverant*. At hîc apostolus nihil aliud admittit præter id quod omnibus est vulgò annuntiatum; nihil igitur præter verbum scriptum. Accedat expositio ipsius Augustini; *Si quis sive de Christo, sive de ejus ecclesia, sive de quacunque alia re, quæ pertinet ad fidem vitámque nostram; non dicam, Si nos, sed (quod Paulus adjecit) si angelus de cœlo vobis annuntiaverit, præterquam quod in Scripturis legalibus & evangelicis accepistis, anathema sit.* Bellarminus verba illa, *præter id quod evangelizavimus vobis*, interpretatur, præter id quod in Scripturis & traditionibus non scriptis accepistis: at Augustinus, præter id quod in Scripturis legalibus & evangelicis accepistis. Utri creditis? nunquid vafro Jesuitæ, an sanctissimo Augustino?

Gal. 1. 8.

De verbo Dei lib. 4. cap. 11.

Contra literas Petiliani lib. 2. cap. 8.

Secundò, respondet Bellarminus, apud Mosen prohiberi, non additiones omnes, sed verbo scripto contrarias & repugnantes; atq; sic apud Paulum per vocabulũ *præter* intelligitur *contra*. Non igitur prohibet nova dogmata & præcepta, nisi sint contraria illis quę annuntiavit apostolus. Atque hoc indè probare conatur, quòd libris Mosis additi sunt postea prophetarum libri; atque ipse apostolus multa alia docuit, postquam ad Galatas illam epistolam scripserat. Sed hæc omnia nullius momenti sunt. Nam quod dicit, prohiberi tantùm additiones contrarias & corrumpentes ipsam legem Dei, insulsum planè commentum est. Non est enim hæc additio ad legem divinam, sed manifesta abrogatio legis divinæ. Verbi causâ, Deus legem tulit, nè sacerdotes ex alia tribu quàm ex Levitica assumantur. Jam si quis dicat, ex qualibet tribu promiscuè esse eligendos, hic non tam additionem, quàm abrogationem & eversionem legis divinæ afferret. Ineptè igitur additionem de contraria doctrina solummodo intelligendam affirmat. Quanquam & illud etiam dici potest, omnem additionem esse contrariam legi scriptæ, quia lex scripta perfectionem suam prædicat, & additionem omnem hac expressâ lege prohibuit, solúmque Deum Dominum religionis constituendæ, & cultus sui definiendi agnovit. Sed instat adversarius, prophetas & apostolos multa addidisse libris Mosaicis, ergò verba prædicta de additione corrumpente exponenda sunt.

Reſpondeo, prohibitionem de non addendo, ad populum Iſraelis, non ad Deum Iſraelis; ad ſubditum, non ad ipſum legiſlatorem pertinere. Quæ autem ſcripta à prophetis & apoſtolis canoni addita ſunt, ea Deus ipſe addidit, non homines qui ejus amanuenſes extiterunt. 2. Dico prophetas, non nova dogmata aut novum cultum introduxiſſe, ſed Moſaicæ doctrinæ explicationem uberiorem: ſic etiam apoſtoli ipſi ex Moſe & prophetis ſuam doctrinam perpetuò confirmârunt. Additiones igitur prophetarum & apoſtolorum papiſticas traditiones nullo modo confirmant: quia hæ authoritate divinâ factæ ſunt, & verbo ſcripto appoſitę; illæ temeritate humanâ excogitatæ, & in tenebris demerſæ: hæ verbum antea ſcriptum explicârunt; iſtæ verbum Dei ſcriptum obſcurârunt. Adhæc, prophetæ & apoſtoli multis miraculis oſtenderunt ſe fuiſſe viros divinitus miſſos & inſpiratos, & proinde verbum illorum fuiſſe verbum Dei per illos loquentis: at qui traditiones non ſcriptas obtrudunt eccleſiæ, utcunque obtendunt apoſtolicam authoritatem, nullo tamen idoneo argumento id poſſunt fidelibus perſuadere. Atque hæc de primo noſtro teſtimonio.

Teſt. 2. Jam ſecundo in loco ea teſtimonia producemus quæ verbum ſcriptum perfectum agnoſcunt, idque in ordine ad ſapientiam cœleſtem & ſalutiferam procreandam. Sic pſalmiſta, pſal. 19.8. *Lex Jehovæ perfecta, convertens animam; teſtimonium Domini fidele, ſapientiam dans parvulis.* Sic Paulus ad Tim. ep. 2. cap. 3. ver. 15, 16, & 17. *A puero ſacras literas nôſti, quæ te poſſunt ſapientem reddere ad ſalutem. Tota Scriptura divinitus eſt inſpirata, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad inſtitutionem quæ eſt in juſtitia; ut perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum perfectè inſtructus.* Quod parvulos, hoc eſt, rudes & imperitos, ſapientes reddit, idque ad ſalutem; imò, quod hominem Dei, hoc eſt, verbi interpretem & miniſtrum, perfectum facere poteſt, & ad omne bonum opus perfectè inſtructum, id contineat neceſſe eſt perfectam doctrinam fidei & cultus divini: at hoc ſacræ Scripturæ facere poſſunt, teſte Davide, & Paulo. Jam ſi fingamus cum pontificiis, plurima & altiſſima Chriſtianæ fidei & pietatis myſteria, non in verbo ſcripto haberi, ſed propter reverentiam illis debitam apud pauculos ſapientiores recondita conſervari; tum ex ſtudio Scripturarum neque docti neque indocti poſſent ſapientiam ſalutiferam adipiſci; quod teſtimoniis allatis apertè contradicit.

Quid ad hæc papiſtæ? Jeſuitę, in colloquio Ratisbonenſi, perfectionem Scripturarum non audent negare; dicunt igitur nullam *debitam* iis *perfectionem* deeſſe, ſed hanc quam nos ſupponimus, ut omnia dogmata fidei & cultus expreſsè contineant, non eſſe illis debitam. *Seſſ. 4.* Quemadmodum igitur hominem perfectum vocamus, licèt alas non habeat, quia hæ homini non debent adeſſe; ità Scripturas perfectas dicamus, licèt omnia fidei dogmata non contineant, quia

non

non debent continere. Sed quæ tandem est hæc debita perfectio? Id explicant hisce verbis; *Scripturæ dicuntur perfectæ quoad perfectionem credibilitatis, & exactissimæ veritatis.* Sed hæc facillimè refelluntur: nam hanc credibilitatem habet omnis propositio vera, quæ vel ut principium nobis per se innotescit, vel ex principio evidenti consequentiâ deducitur. Debita autem perfectio Scripturarum considerandæ est in ordine ad finem suum; finis autem est, hominem Dei instruere sufficienter ad salutem. Jam verò perfectio *credibilitatis* aut *exactissimæ veritatis* non sufficit ad hunc finem, sed requiritur insuper *perfecta comprehensio* doctrinæ salutiferæ. Hæc perspicua sunt, itaque tandem exorsrum adversarios hanc confessionem notatu dignissimam; *Nos minimè Scripturam imperfectionis accusamus, imò fatemur palàm eam esse perfectam, & sufficienter tradere omnia quæ ad religionem spectant: non solùm quia ea quæ omnibus simpliciter scitu necessaria sunt apertè tradit, sed etiam quia ex illa ea quoque omnia mediante authoritate infallibili ecclesiæ deducuntur.* Si omnia quæ spectant ad religionem ex Scripturis deducuntur mediante infallibili authoritate ecclesiæ, tum certum est omnia in Scripturis contineri quæ ad religionem nostram pertinent. Nam ecclesia quæ ex Scripturis deducit quod in illis non continetur, non tam deduxisse, quàm seduxisse dicatur: nec infallibili authoritate munitur, sed manifesto errore deluditur. Propriâ itaque confessione distinctionem suam funditus everterunt Jesuitæ. Sed hos mittamus.

Sess. 8.

Sess. 5.

Bellarminus respondet, Scripturam perfectè instruere hominem Dei, quia multa expressè continet, & quæ non continet ostendit unde sint petenda.

Primò, opponimus Bellarmino supradictos Jesuitas, qui tandem coacti agnoverunt, omnia ad religionem spectantia in Scripturis ità contineri, ut ab ecclesia indè possint deduci. Atque hoc nobis satis est ad causam obtinendam, imò plùs valet quàm si dicerent privatum quemvis posse omnia ex Scripturis deducere. Nam de privati cujuslibet deductionibus dubitare liceret; at secundum istos, quod ecclesia deducit ex Scripturis, deducitur infallibiliter; ecclesia autem potest omnia ad religionem spectantia deducere ex Scripturis; ergò infallibiliter verum est, omnia in Scripturis esse posita quæ ad religionem spectant.

Secundò, perfectio hæc quam Scripturis concedit ridicula est, & planè (si rem ipsam spectes) nulla: nam ostendere aliud quod potest perficere hominem Dei, atque ad illud remittere eos qui quærunt perfectionem, signum est imperfectionis, non perfectionis in ipsis Scripturis sacris. Quemadmodum igitur delirus haberetur, si quis assereret puerum, qui vel leviter delibâsset autem dialecticam, posse quemvis perfectè instruere ad omnia dialectici munera obeunda, quia posset paucula ejus artis præcepta monstrare, atque in reliquis ad peritum aliquem magistrum remittere; sic delirat, & stolidissimè

dissimè abutitur vocabulis, qui dicit Scripturam perfectè instruere, hoc est, remittere nos ad traditiones non scriptas ex quibus perfectè instruamur.

ob Sed illud etiam arripit, apostolum dixisse, Scriptura *mutilem* esse ad perficiendum hominem, non *sufficientem*; & proinde sola Scriptura juvare & prodesse potest ad hominem perfectè instruendum, sed effectum perfectæ instructionis sola producere non potest.

Sol Respondeo, Fatemur, quicquid est utile ad aliquem finem consequendum, non idcirco sufficiens esse; sed dicimus illum gradum utilitatis hoc in loco tribui Scripturis, qui unà secum sufficientiam necessariò trahit. Nam Scriptura dicitur *potens σοφίσαι εἰς σωτηρίαν* at hoc requirit sufficientiam. Præterea, ex utilitate Scripturæ, quam ponit apostolus, nascitur tandem ille fructus, qui facit hominem Dei perfectum, & instructum ad omne opus bonum. At hic fructus apertissimè indicat, non modò utilitatem, sed sufficientiam Scripturarum.

ob Postremò, argutatur Bellarminus apostolum hanc utilitatem & perfectionem non solùm toti corpori Scripturarum, sed singulis libris tribuere, quia dicit, *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est*, &c. at singuli libri non habent hanc absolutam sufficientiam quam nos urgemus, ergò apostolus talem non cogitavit.

Sol. Respondeo, hoc in loco particulam *omnis* idem valere quod *tota*, atque apostolum non cuilibet parti, sed toti Scripturæ simul sumptæ tribuere hoc effectum perfectè instruendi. Nam si cuilibet particulæ hoc tribueret, tum sequeretur etiam, unum quemlibet versiculum divinitus inspiratæ Scripturæ posse hominem sapientem efficere ad salutem, & perfectè instructum ad omne opus bonum; quod est falsum & absurdum. Adhæc, dicimus singulos libros atque partes Scripturæ seorsum sumptas habere illam perfectionem & sufficientiam, ad quam sigillatim ordinatæ sunt; omnem autem Scripturam simul sumptam habere omnimodam & absolutam sufficientiam. Quemadmodum omnia humani corporis membra sufficientia sunt ad omnia hominis munia obeunda, licèt singula ea tantùm possint ad quæ propriè destinantur: sic omnis Scriptura sufficiens dicitur ad perfectè instruendum hominem in omnibus quæ spectant ad religionem, licèt singulæ partes ea tantùm doceant, ad quæ à Spiritu Dei informatæ sunt. Hęc de secundo testimonio.

Test. 3. Tertiò, ea loca citabimus, quę homines in negotio fidei & religionis ad solum verbum scriptum remittunt & adstringunt: nam hoc facto ostendunt Scripturam esse solam & perfectam normam religionis. Multa in hanc sententiam occurrunt. Deutr. 17. 18. &c. ipse rex jubetur *describere sibi exemplum legis, & legere in eo omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Jehovam Deum suum*; prohibetur etiam ab

hac

hac lege scripta *dextrorsum aut sinistrorsum recedere*. Nulla mentio de traditionibus non scriptis, sed ex solo libro Dei timorē Dei ac veram religionem petere jubetur: est itaq; sola ac perfecta norma. Sic Esa. 8. 20. *Ad legem & testimonium: si non dixerint secundum verbum hoc, non erit eis matutina lux.* Qui igitur à lege scripta discedunt, in errorum tenebras ruunt: at qui statuunt de religionis negotio secundum traditiones quasdam occultas & non scriptas, non dicunt secundum verbum hoc quod innuit propheta, cui sacerdos ipse non minùs quàm populus adstringitur. Sic ipse Christus, Luc. 16. 29. *Habent Mosen & prophetas: illos audiant.* Hîc fratres epulonis quos ille dives voluit pœnas inferni, in quas ipse inciderat, effugere, atque regnum cœleste, quod ille perdiderat, acquirere, remittit solummodo ad Mosen & prophetas: ergò solus Moses & prophetæ potuerunt omnem salutiferam doctrinam illis impertire. Paulus etiam, Act. 24. 14. fidei suæ professionem publicam facit, sub hac formula, *Confiteor me Deo servire, credens omnibus quæ scripta sunt in lege & prophetis.* Cur non addidit, Et omnibus etiam quæ reconduntur in traditionibus non scriptis? nisi quia verbum scriptum erat fidei unica norma & mensura, cui Deus servos suos adstringere voluit.

Sed hisce atque omnibus locis consimilibus respondent papistę, id tantùm probari, remitti & adstringi homines ad verbum scriptum, sed non ad illud solum; atque hîc contra nos producunt verba illa quæ habentur Deutr. 32. ver. 7. *Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi; majores tuos, & dicent tibi.* Et illud apostoli, *Tenete traditiones*; &c. 2. Thes. 2. 15. Ergò non tantùm ad scriptum verbum, sed ad traditiones majorum remittit nos Scriptura in negotiis fidei.

Sed hæc nullo modo infringunt testimonia à nobis allata: nam in priore loco Moses non remittit Judæos ad patres suos, ut ab illis discant traditiones quasdam non scriptas ad fidem aut Dei cultum pertinentes, sed ut ex illorum relatione discant Dei admiranda beneficia erga majores suos præstita. In religionis enim causa notum est illud Dei monitum planè contrarium, Ezech. 20. 18. *In præceptis meis ambulate, & non in præceptis patrum vestrorum.* Jam verò apostolus, cùm jubet tenere traditiones, alloquitur populum Thessalonicensem, cui palàm illas traditiones antea annuntiaverat: non itaque verba illa de occultis papistarum traditionibus sunt intelligenda, sed de illa doctrina quæ vivâ voce prædicata ab apostolis, toti populo postea literis commendata fuit. In locis Scripturarum congerendis non immorabimur diutiùs.

Cap. XI.

Reſtat jam ut rationes afferamus, non ex ſenſu noſtro deprompras, ſed in iiſdem Scripturis fundatas.

Reg. 1. Sola Scriptura habet veras normæ proprietates; ergò ea ſola eſt norma fidei noſtræ. Percurram præcipuas, quas oſtendam Scripturis ſacris, iiſque ſolis competere.

1 Primò, Norma rerum divinarum habere debet authoritatem publicam Dei ipſius, qui ſolus agnoſcitur legiſlator eccleſiæ, in rebus quæ fidem & cultum continent. Nam ut in politicis non eſt cujuſlibet normam juris præſcribere; ſed ea ſemper ſtabilienda eſt ſupremi principis authoritate: ſic in theologicis & divinis, non cuivis licet fidei & cultus normam conſtituere; ſed ſoli Deo, qui ſupremam authoritatem habet in eccleſia. Jam quod attinet ad verbum ſcriptum, illud quidem Dei ipſius authoritate ſtabilitum eſſe agnoſcunt, non modò proteſtantes, ſed papiſtæ: verbum autem illud apocryphum, & non ſcriptum, à Deo manâſſe, negantibus orthodoxis, dicunt papiſtæ, ſed non probant. Noſtram igitur normam, quia haud dubiam habet authoritatem, pontificii non poſſunt rejicere: illorum autem regulam, quia à Deo ſtabilita non oſtenditur, nemo tenetur recipere.

2 Secundò, Norma juris divini debet eſſe nota, promulgata, & expoſita omnibus, qui ad hanc normam credere & vivere tenentur. Nam ut in republica ignorantia juris neminem excuſat; ſic nec in eccleſia: excuſaret autem, ſi ità in occulto haberetur, ut quilibet fidelis non poſſet hanc normam ad res fidei examinandas, quoties opus eſſet, accommodare & adhibere. Jam verbum ſcriptum ità eſſe omnibus expoſitum patet, juxta illud dictum Servatoris, *Habent Moſen & prophetas: audiant illos*; Luc. 16. 29. Cui conformis fuit Act. 17. 11. praxis Beroenſium, qui auditâ Pauli prædicatione, illico hanc normam adeunt & conſulunt. Sed illa altera traditionum norma, quam papiſtæ obtrudunt, non eſt nota, promulgata, & expoſita omnibus, imò de induſtria fuit ſemper in occulto recondita, ut ſi quis uti eâ velit ad fidei controverſias dijudicandas, oporteat illum ſapientiores neſcio quos, qui ſunt harum traditionum cuſtodes, adire, atque illis cæcam obedientiam præſtare: nam præclara hæc norma nunquam fuit mundo promulgata: caret igitur & hâc ſecundâ normæ proprietate.

3 Tertiò, Norma fidei & religionis Chriſtianæ debet eſſe conſtans & immobilis: hæc autem in Scripturis conſtantem & immobilem regulam habet; non enim poſt conſignatum canonem, aliæ Scripturæ uno ſeculo, aliæ altero procuduntur: Sed in

traditi-

traditionibus non scriptis omnia ferè vaga sunt, volatica, mutabilia; quod multis exemplis ostendi potest. Imaginum cultus ignotus fuit aliquot seculis post tempora apostolica; tandem ex prætensa traditione exoritur, mox exploditur, dein revocatur; & quia fundamento mobili nitebatur, nunquam potuit constans robur in ecclesia obtinere, sed pro arbitrio prælatorum, aliquando viguit, aliquando jacuit. Eadem inconstantia in cæteris omnibus invenitur, quæ extra Scripturas ex traditionum lacuna hauriuntur. Traditio igitur quæ nullam constantiam aut firmitatem in se habet, non potest esse regula fidei, quæ firma & constans esse debet.

Quartò, norma debet esse finita & determinata; nam quod indeterminatum est, id sciri non potest, multò minùs potest esse norma ad alia scienda & exploranda. Sic videmus normam juris civilis certis & determinatis voluminibus contineri: sic norma Scripturarum habet certos & determinatos prophetarum & apostolorum libros. Sed traditionum non scriptarum certus numerus aut catalogus nulli mortalium, nè pontifici quidem Romano adhuc innotuit. Neque volunt pontificii traditiones suas determinare & specificare; ut quoties in fidem Christianam portenta errorum invexerint, habeant hoc refugium, *Traditio est, nihil quæras amplius*. Sed nos regulam ἀπέραντον & indeterminatam non curamus.

Ultimò, regula seu norma debet esse proportionata & adæquata rei regulandæ & mensurandæ: nam unica & eadem norma, est mensura homogenei *per se* & *primariò*, heterogenei *per accidens* & *secundariò*. Si itaque Scriptura sit norma fidei, debet esse totalis & adæquata norma; ac proinde traditio non erit tanquam norma partialis huic conjungenda. Scriptura enim sola mensurat omne homogeneum, hoc est, sibi consonum, quatenus ad ipsam applicatum convenire ei & aptè quadrare dignoscitur; mensurat etiam omne heterogeneum, hoc est, dissonum & alienum, quatenus ad hanc amussim relatum non convenire perspicitur. Qui igitur aliam regulam ipsi Scripturæ superaddit, is regulæ proprietatem & naturam huic planè adimit. Nam regula rectè definitur, μέτρον ἀδιάψευστον, πᾶσαν πρόσθεσιν καὶ ἀφαίρεσιν μηδαμῶς ἐπιδεχόμενον, *mensura infallibilis, quæ nullam vel additionem vel detractionem patitur*. Atque sic demonstratum est, proprietates normæ verbo scripto optimè convenire, traditionibus autem, quas verbum non scriptum appellant, nullo modo competere: sit itaque hæc prima ratio pro unica norma Scripturarum.

Illud Dei verbum est unica fidei & cultus norma in hoc seculo, secundum quod Christiani judicabuntur in futuro. Nam qui secundum normam à Deo propositam credunt & vivunt, coronâ

Rat. 2.

immortalitatis donantur; qui hanc fidei & pietatis normam rejiciunt & spernunt, æternis pœnis cruciantur. Jam ob spretum & violatum verbum Dei quod publicè omnibus annuntiatum est, improbos puniendos esse passim docent Scripturæ. *Qui rejicit me, nec recipit verba mea, habet qui condemnet ipsum: sermo quem locutus sum, ille judicabit eum in die ultimo*, Joan. 12. 48. Et 2. Thes. 1. 8. *Ultionem illis infliget Christus in adventu suo, qui non auscultârunt evangelio ejus.* Hæc de verbo Dei publicè prædicato, & in sacrum codicem jam relato verissimè dicuntur: sed de verbo Dei non scripto, hoc est, de traditionibus quibusdam occultis, Dei populo nunquam prædicatis, sed pauculis sapientioribus clam commissis; Christianos in ultimo illo judicio quòd illis fidem non adhibuerint iri condemnatum, nè suspicandi quidem ulla extat occasio. Non sunt itaque norma sive fidei sive vitæ Christianæ.

Rat. 3. Illa est sola regula fidei, ex qua sola, cùm instituuntur fideles, petuntur dogmata, & confirmantur; ex qua etiam sola errores revincuntur & damnantur authoritate certâ & infallibili: sed ex verbo scripto solummodo sic petuntur dogmata, & refelluntur errores. Hoc Christus ipse docet, cùm Pharisæos, Sadducæos, atque ipsum adeò diabolum, ex solis Scripturis revincit; cùm discipulos suos de morte sua, de resurrectione, de aliis fidei dogmatibus, ex solis Scripturis instituit, Luc. 24. 27. Hoc Paulus etiam ostendit, qui prædicans parvis & magnis, nihil dixit *extra ea quæ prophetæ ac Moses futura prædixerunt*, Act. 26. 22. Jubemus igitur adversarios, si traditiones pro fidei norma haberi volunt, vel unicum locum proferre, ubi dogmata fidei aut cultus, post canonem Scripturæ propositum & promulgatum, ex doctrina non scripta aut depromuntur, aut depromi oportere innuuntur. Mirum est, illam alteram normam papisticam, unde pontificii maximam partem suorum dogmatum petere coguntur, à peritissimis architectis, prophetis scilicet, Christo, & apostolis, ad fidei & cultus materiam mensurandam unquam fuisse adhibitam. Hoc cuivis sobrio & sapienti facilè persuadebit, hanc traditionum normam, regulam Lesbiam & adulterinam esse, nec ad fidei limites mensurandos unquam à Deo constitutam.

Rat. 4. Si verbum scriptum ea omnia fidei dogmata continet, quæ sunt ad vitam æternam cognitu necessaria, tum est totalis non partialis regula fidei nostræ salutiferæ: at hoc ex confessione ipsorum adversariorum habetur; nam Bellarminus scribit, *ea quæ sunt simpliciter necessaria apostolos voluisse omnibus prædicare*: nec hoc solum, sed illud etiam adjungit, *omnia scripta esse ab apostolis, quæ sunt omnibus necessaria, & quæ ipsi omnibus vulgò prædicaverant.* Quæ igitur suorum perfectioribus in occulto tradita somniant papistæ, non fuerunt dogmata ad salutem necessaria, sed mandata de ritibus, & politia ecclesiæ administrandâ, quæ libera sunt, & pro variis temporum & occasionum

De verbo Dei non scripto lib. 4. cap. 11.

occasionum circumstantiis mutabilia. Atque hinc apostolus ad Coloss. 1. 23. nihil aliud à Christianis requirit, quàm ut *firmi & fundati permaneant in fide evangelii prædicati omni creaturæ:* ac vitam æternam illis promittit qui hoc fecerint. At si concedatur aliud Dei verbum, non publicè annuntiatum, sed apud paucos sapientiores reconditum; temerè vitam æternam promisit apostolus illis, qui dimidiatam tantummodo normam suscipiunt. Longè aliter pontificii, qui anathemata & gehennam non minùs illis intentant, qui traditiones non scriptas haud agnoscunt, quàm illis qui verbum scriptum repudiant. Sed id nullam habet æquitatem: nam si Deus hasce traditiones, non Christianis promiscuè, sed paucis selectis viris revelari voluit per apostolos; tum nec promiscuè ab omnibus credi voluit, sed ab illis solis quibus privatim revelatæ sunt. Nam quod Deus credi voluit ab omnibus, id passim & palàm prædicari voluit per universam terram ministerio apostolorum, & ab omnibus audiri, ut colligitur ex 10. ad Rom. ver. 14. usque ad 19. Non voluit traditiones sic prædicari; non sunt igitur dogmata fidei, aut partialis norma fidei nostræ catholicæ.

Normam fidei salutiferę divina providentia salvam & incolumem conservavit, & ad finem mundi proculdubio conservabit. At verbum illud non scriptum, de quo garriunt papistæ, Deus passus est interire & evanescere. Nam isti docent traditiones hasce non scriptas non minùs partem fuisse verbi divini sub veteri Testamento, quàm sub novo; ipso Mose quædam scribente, quædam dogmata Josue aliisque viris prudentioribus in occulto tradente. At nos verbum illud à Mose & prophetis scriptum, post tot annorum centurias proferre possumus; verbum autem illud non scriptum adversarii producere nullo modo possunt. Si igitur traditio non scripta, erat altera pars verbi divini, & altera norma fidei & cultus sub veteri Testamento; tum altera pars verbi divini, quod ad vetus Testamentum attinet, funditus interiit. Sed ad novum Testamentum accedamus; nam huic etiam appensum volunt aliud verbum non scriptum, ad quod omnes suas traditiones referre solent. At hoc etiam (si quid tale fuit) periisse ostendemus. Refert Bellarminus ex Eusebio, Egesippum quinque libris complexum fuisse hasce apostolicas traditiones, quas verbum Dei non scriptum appellitant: sed hosce libros jam periisse idem Bellarminus confitetur. Refert etiam Clementem Alexandrinum, traditiones, quas accepit à presbyteris apostolorum successoribus, scripto commisisse: sed nec iste liber apparet, nec pontificii, nisi impudentissimè mentiri velint, possunt nobis quænam fuerunt hæ traditiones commemorare. Hic igitur fateantur necesse est, magnam partem verbi divini periisse, si occultæ traditiones verbo divino accensentur.

Norma fidei eo modo & per illos viros exhibita est ecclesiæ, quibus obsequium fidei meritò debetur ab omnibus; sed traditiones

Rat. 5.

Euseb. lib. 4. hist. cap. 8.

Euseb. lib. 6. hist. cap. 11.

Rat. 6.

non ſcriptæ haud ità pervenerunt ad eccleſiam. De norma verbi ſcripti, hoc perſpicuum eſt; nam verbum hoc prophetis & apoſtolis primò publicè prædicantibus, tum Dei nutu conſcribentibus ad nos pervenit. Hos autem fuiſſe divinitus inſpiratos, & extraordinariâ aſſiſtentiâ Spiritus ſancti ab errando liberos, ipſe Deus multis modis palàm teſtatus eſt. Horum igitur doctrinæ fidem noſtram ſubmittere tutò poſſumus, imò neceſſariò debemus. At de traditionibus (utcunque *apoſtolicæ* vocentur à pontificiis) diſpar ratio eſt: nam ultro fatentur non fuiſſe publicè prædicatas ab apoſtolis eccleſiæ Dei, nec fuiſſe ab illis in ſacrum canonem relatas. Quo igitur jure fidei obſequium ſibi vendicant? Dicunt apoſtolos eas clam paucis prudentioribus tradidiſſe, hoſce autem aliis eaſdem eodem modo commiſiſſe, atque ſic perpetuâ ſerie ad nos tandem derivatas fuiſſe. Exempli causâ, In eccleſia Romana Petrus haſce traditiones Lino, Cleto, Clementi, aliiſve presbyteris concredidit: in Antiochena, Evodio, Ignatio, ac conſimilibus: ad eundem modum arbitrantur, in Alexandrina, Hieroſolymitana, aliiſque eccleſiis hoc verbum Dei non ſcriptum clam depoſitum fuiſſe apud paucos viros electos, & reliquis ſapientiores. Quæro jam an tota eccleſia debeat fidei obſequium hiſce traditionibus hoc modo propagatis. Oſtendo non debere duplici ratione.

Primò, Quia utcunque ipſi apoſtoli in tradendo errare non potuerunt, tamen hi quibus traditiones commiſſæ finguntur, in referendo ab errore immunes non fuerunt. Nam fieri potuit ut illi apoſtolos non rectè intellexerint; fieri potuit ut rectè intellecta memoriæ malè mandârint; fieri denique potuit, ut nonnulli ab apoſtolis & apoſtolorum ſucceſſoribus dixerint ſe ea accepiſſe, quæ nunquam acceperunt. Cùm itaque illi, qui haſce apoſtolicas dictas traditiones aliis primò divulgârunt, & fallere & falli potuerunt; illorum relationibus fides Chriſtianorum nunquam fuit obligata.

Secundò, Non modò falli & fallere potuerunt iſti traditionum depoſitarii, ſed etiam de facto errârunt, falſas, contrarias, frivolas traditiones ſub apoſtolorum nomine venditando. Neq; hîc loquor de improbis impoſtoribus, ſed de viris alioquin bonis, qui tamen hac in re decepti alios deceperunt. Clemens Romanus octo libros apoſtolicarum conſtitutionum nobis reliquit: at in illis quàm multa reperiuntur non apoſtolica? Lib. 1. cap. 7. ſancit ſub perſona apoſtolorum, Chriſtianis prorſus abſtinendum eſſe à lectione librorum omnium qui à Gentilibus conſcripti ſunt. At hæc conſtitutio repugnat praxi totius eccleſiæ, & maximè Romanæ, quæ libros Ariſtotelis non modò legendos proponit Chriſtianis, ſed ex his fundamenta ſcholaſticæ ſuæ theologiæ extruxit. Lib. 4. cap. 10. nugatoriam traditionem proponit, nimirum, ut ſacerdotes, ſi quid pecuniæ ab improbis inviti acceperint, illam in ligna, & carbones comparandos, nullo autem modo in cibos coemendos inſumant.

Lib.

Lib. 5. cap. 16. tradit Judam abfuiſſe cùm Chriſtus cœnam celebraret; at Lucas oſtendit adfuiſſe, cap. 22. ver. 13. &c. Sed mittamus Clementem.

Papias Hieroſolymitanus traditiones ab apoſtolis acceptas obtendit, ſed ſub eorum nomine paradoxa aliquot & errores diſſeminavit; atque cauſam affert Euſebius, quòd apoſtolicas diſputationes non rectè acceperit, nec ritè conſideraverit. Irenæus vir ſanctus & doctus, lib. 2. cap. 39. ſcribit Chriſtum annos quinquaginta vixiſſe, ídque Joannem aliósque apoſtolos tradidiſſe, ſicut (inquit) omnes ſeniores teſtantur, qui in Aſia apud Joannem convenerunt. Quid potuit afferri majore fide dignum pro traditione quacunque ſtabilienda? Novimus tamen ex hiſtoria evangelica hanc traditionem à veritate eſſe prorſus alienam. Poſſem ex Clemente, Origene, Baſilio, aliíſque multas commemorare traditiones, quibus fidem adſtringere Chriſtianorum, aut ſtultum, aut impium ſit. Sed quorſum hæc omnia? Ut liquidò conſtet traditiones, nec eo modo, nec per eos viros quibus obſequium fidei debeatur ad nos perveniſſe. Neque hîc moror papiſtas qui dicunt ſe jam regulas quaſdam habere, quibus facilè diſcernantur genuinæ traditiones ab adulterinis. Cur enim ego credam, Canum, Bellarminum, Valentiam, aut ipſum pontificem Romanum poſt tot ſecula has regulas reperiſſe, quas Clemens pontifex Romanus, quas Papias, & Irenæus, viri probi & ſancti; quas denique Origenes, Baſilius, Epiphanius, viri doctiſſimi, nunquam habuerunt? Non autem habuiſſe ex erroribus illorum convincitur.

Si traditiones eſſent verbum Dei & norma fidei, tum Deus non minùs providiſſet de illis ſcripto mandandis, ídque per viros θεοπνεύστους, quàm de libris propheticis & apoſtolicis. Nulla enim veriſimilis ratio afferri poteſt, cur altera pars regulæ ad perpetuam rei memoriam, & Chriſtianorum certam inſtructionem, conſcribi Deus voluerit; alteram clancularià tantummodo traditione propagari. Nam quæcunque ratio fuit partialis regulæ conſcribendæ, eadem erit totalis & perfectæ regulæ conſcribendæ. Sed negant hoc adverſarii, & ratiunculas aliquot congerunt, quibus efficiant haſce traditiones non oportuiſſe in ſacrum codicem referri.

Primò, Dicere ſolent, traditiones non fuiſſe ſcripto vulgandas propter dignitatem myſteriorum in illis contentorum, quę ſilentium requirunt. Sic ſenſit Clemens Romanus cùm dicit conſtitutiones ſuas non eſſe divulgandas διὰ τὸ ἐν ἀπορρήτοις φυτευθῆναι.

Sed hæc ratio planè frivola eſt: nam videmus altiſſima fidei noſtræ myſteria, qualia ſunt, trinitas perſonarum in unitate eſſentiæ divinæ, Verbi æterna generatio, incarnatio, paſſio pro redimenda eccleſia, aliáque quamplurima, & publicè prædicata fuiſſe, & poſtmodum ſcripto conſignata. Cum hiſce myſteriis ſcriptis ſi quis con-

" Euſeb. lib. 3. cap. 36. "

" Bellar. de verb. Dei lib. 4. cap. 9 Canus loc. theol. lib. 3. cap. 4. Valent. anal. fidelib. 8. cap. 6.

Reſt. 7. "

" Bellar. de verb. Dei lib. 4. cap. 8. Canon. apoſtol. can. ult. "

conferre velit traditiones non ſcriptas, hæc infinitis gradibus altiora & auguſtiora inveniet.

Secundò, Et illud obtendunt, majori in pretio ac veneratione haberi doctrinam ſacram, dum non omnia illius capita quibuſvis de media plebe hominibus ſcripto evulgantur, ſed apud doctiores veluti theſauri cuſtodiuntur: nam quod remotum eſt, admirationem parit; quod facilè adiri & obtineri poteſt, in contemptum facilè incidit.

Valent. anal. fid. lib. 8. cap. 6.

Sed quis credat Jeſuitæ, Deum tam ſolicitum fuiſſe de traditionibus à contemptu vindicandis, de verbo ſcripto non fuiſſe? aut eundem traditiones haſce in majori pretio quàm ſacras Scripturas haberi voluiſſe? Quid, quòd nè ſic quidem omnino cautum eſt venerandis illis traditionibus? Nam utcunque à prophetis & apoſtolis conſcriptæ non fuerunt, à viris tamen longè inferioribus (quod minùs honorificum fuit) conſcriptæ ſunt. Videte igitur vertiginem papiſtarum: cauſantur traditiones ab apoſtolis non fuiſſe ſcriptas nè vulgatæ vileſcerent; at iſti eaſdem jam ſcripto mandârunt, & omnes ferè libros ſuos hiſce traditionibus proponendis, propugnandis, explicandis commaculârunt; ut jam nulla papiſtica traditio ſit reconditus theſaurus, ſed *toto notiſſima fabula mundo.*

Tertiò, Propter hominum in dogmatibus fidei intelligendis diverſam capacitatem, docent quædam, quæ ab omnibus comprehendi poſſunt, fuiſſe omnibus vulganda; qualia ſunt dogmata Scripturarum: quædam, quæ ſuperant captum vulgarem, fuiſſe ſelectis quibuſdam viris committenda; qualia ſunt myſteria traditionum. Atque huc adferre ſolent illud apoſtoli, *Sapientiam loquimur inter perfectos.*

Sed futilis etiam hæc ratio eſt, & apertè falſa: nam, cùm in ſcriptis dogmatibus multa ſint quæ ſuperant captum omnium mortalium, in traditionibus non ſcriptis nihil ferè reperitur, quod cum animalis hominis ingenio non optimè convenit, & ab ipſa infima plebe admittitur faciliùs quàm à doctis viris. Nam imaginum cultus, ſanctorum invocatio, miſſæ ſacrificium expiatorium, ignis purgatorius, aliáque ejus farinæ, quæ ex traditione non ſcripta afferuntur, apud plebem magis prona ſunt in fidem quàm apud doctos. Illud denique hanc rationem evertit, quòd ſacras Scripturas, quas dicunt omnibus vulgatas, ipſi à vulgo removent; traditiones, quas ideo non ſcriptas volunt nè vulgo paterent, ipſi omnibus proponunt, oggerunt, & inculcant. Quid enim vulgus papiſticum aut tam ſæpe audit, aut tam probè callet, quàm traditiones iſtas, quas ſolas nec audire publicè prædicatas, nec promiſcuè nôſſe debuit? Cùm itaque nullam idoneam rationem afferre poſſunt adverſarii, cur tota regula fidei non ſit ſcripto commiſſa, facilè patet has traditiones non ſcriptas, ad fidei normam haud pertinere: unde conſequitur, verbum ſcriptum eſſe unicam normam fidei &

cultus divini; quam ſententiam ex Scripturis demonſtratam, ac rationibus munitam, patrum etiam teſtimoniis ad extremum illuſtrabimus.

Cap. XII.

Patrum teſtimonia pro unica norma verbi ſcripti.

PAtrum teſtimonia jam à nobis producenda ſunt, quâ in re non imitabimur Bellarminum, qui ſimulac *traditionis* vocabulum apud aliquem authorem conſpexerat, illico eum locum, quaſi firmiſſimi teſtimonii vim haberet, in ſuas diſputationes tranſcripſit. At nos apertè oſtendimus, teſtes pleroſque ab illo citatos, aut de traditionibus cæremonialibus, aut de hiſtoricis, aut de ipſa evangelica doctrina locutos fuiſſe. Quanquam igitur in hac cauſa facillimè poſſimus etiam numero & multitudine teſtium adverſarios ſuperare, non tamen ad inanem pompam ſupervacaneos, ſed ad victoriam obtinendam idoneos, & perſpicuos ſolummodo producemus.

In prima acie ſtabunt Græci patres, inter quos primus erit Irenæus. Is lib. 2. cap. 47. *Scripturæ*, inquit, *perfectæ ſunt, quippe à verbo Dei & Spiritu ejus dictæ.* Sed quo ſenſu *perfectas* dicit Irenæus? Nimirum quia totam diſpoſitionem ſalutis noſtræ, & omnia fidei Chriſtianæ dogmata continent. Sic enim ſcribit lib. 3. cap. 1. *Non per alios diſpoſitionem ſalutis noſtræ cognovimus, quàm per eos per quos evangelium pervenit ad nos; quod quidem tunc præconiaverunt, poſtea verò per Dei voluntatem in Scripturis nobis tradiderunt, fundamentum & columnam fidei noſtræ futurum.* At fortaſſe non integram Chriſti doctrinam in ſacros Scripturarum libros retulerunt, ſed magnam partem ejus in traditionibus non ſcriptis conſervari voluerunt. Audite igitur quid dicat ſanctus Irenæus lib. 4. cap. 66. ad finem capitis, *Legite diligentiùs id quod ab apoſtolis eſt evangelium nobis datum, & legite diligentiùs prophetas, & invenietis univerſam actionem, & omnem doctrinam, & omnem paſſionem Domini noſtri prædicatam in ipſis.* Non eſt itaque doctrina Chriſti quæ non extat in Scripturis. *Teſt. 1.*

Clemens Alexandrinus multis in locis oſtendit Scripturarum perfectionem. Strom. 2. *Juſtus ex fide vivet quæ eſt in Teſtamento & Præceptis, quoniam hæc duo poteſtate unum ſunt: illud quidem novum, hoc verò vetus, per filium ab uno Deo ſuppeditatum.* Apertè fidem illam omnem ex qua juſtus vivit, in duobus Teſtamentis contineri aſſerit. Strom. 6. κανὼν ἐκκλησιαστικὸς ἡ συμφωνία καὶ ἡ συμφωνία, &c. *Canon eccleſiaſticus eſt concentus & conſenſus Legis & Prophetarum cum Teſtamento novo, quod traditum eſt per Domini adventum.* Traditio itaque non ſcripta non eſt pars canonis eccleſiaſtici. Sed pulcherrimè cauſam no- *Teſt. 2.*

ſtram agit Stromat. 7. prope finem tribus totis paginis: *Volentibus*, inquit, *licet invenire veritatem, quamvis multæ hæreſes pullulârunt in eccleſia Chriſtiana.* Sed quomodo? Primò, inquit, *Neceſſe eſt deſcendere ad quæſtiones, & per ipſas Scripturas diſcere demonſtrativè quemadmodum lapſæ ſint hæreſes, quemadmodum in ſola veritate & antiqua eccleſia ſit perfectiſſima cognitio: nec deſiſtere eos priùs oportet, qui veritatem quærunt,* πρὶν ἂν τὴν ἀπόδειξιν ἀφ' ἑνὸς λάβωσι τοῦ γραφῶν. Secundò, & illud addit, *Neceſſe eſt eos labi in maximis, qui res maximas aggrediuntur, niſi regulam veritatis ab hac ipſa veritate acceptam tenuerint,* διὰ τὸ μὴ ἔχειν ἀληθῆ καὶ ψευδῶν κριτήριον *ſi enim haberent, parerent Scripturis divinis.* Tertiò, dicit Scripturam propheticam & apoſtolicam eſſe *principium doctrinæ Chriſtianæ* ἀξιόπιστον, eſſe *fide magis dignam quavis demonſtratione*: imò eſſe *ſolam demonſtrationem in rebus fidei, unde aliquid demonſtrativè perſuadeatur.* Multò plura occurrunt apud eundem digniſſima quæ à vobis per otium legantur.

Teſt. 3. Origenes, 25. hom. in Matt. *Debemus ad teſtimonium omnium verborum, quæ proferimus in doctrina, proferre ſenſum Scripturæ. Sicut enim aurum quod fuerit extra templum non eſt ſanctificatum, ſic omnis ſenſus qui eſt extra Scripturam non eſt ſanctus.* Et paulò pòſt; *Non debemus ad confirmandam doctrinam teſtimonia aſſumere quæ unuſquiſque noſtrûm ſecundum veritatem dicta æſtimat, niſi oſtenderit eos ſenſus ſanctos eſſe ex eo quòd in Scripturis continentur.* Similia leguntur hom. 1. in Hieremiam. Traditiones igitur non ſcriptæ nihil probant.

Teſt. 4. Athanaſius de incarnatione Chriſti; *Si diſcipuli eſtis evangeliorum, nè loquamini contra Deum iniquitatem, ſed per Scripturas incedite. Quòd ſi diverſa à Scripturis fabulari vultis, cur nobiſcum concertatis, qui neque loqui, neque audire ſuſtinemus, quod extraneum ſit ab iſtis;* dicente Domino, SI VOS MANSERITIS IN SERMONE MEO, LIBERI ERITIS. Et paucis interjectis; *Quæ eſt iſta veſtræ immodeſtiæ vecordia, ut loquamini quæ ſcripta non ſunt?* Quid apertius quàm omnes Chriſti diſcipulos ex ſententia Athanaſii ad verbũ ſcriptum adſtrictos eſſe?

Teſt 5. Baſilius Magnus in ethicis; *Oportet omne verbum aut factum confirmare teſtimonio ſacræ Scripturæ,* οἷς πληροφορίαν μὲν πρὸς ἀγαθῶν, ἀσφάλειαν δὲ πρὸς πονηρῶν, *ad certitudinem bonorum, & confuſionem malorum;* definitione 26. Idem in aſceticis, in capite de fide, poſtquam præmiſiſſet definitionem fidei, illam ad ſolas Scripturas adſtringit hiſce verbis; *Si fidelis ſit Dominus in omnibus ſermonibus ſuis, manifeſta eſt elapſio à fide* (ἐκπλῆσις πίστεως) *& ſuperbiæ crimen, aut reprobare quid ex his quæ ſcripta ſunt, aut ſuperinducere quid ex non ſcriptis;* cùm Dominus noſter dixerit, OVES MEÆ VOCEM MEAM AUDIUNT. Duo colligimus ex hiſce duobus teſtimoniis: primum, Nullã doctrinã habere πληροφορίαν fidei, quę non petatur aut probetur ex verbo ſcripto: alterum, Chriſti vocem extra Scripturas non audiri. Vtrunque traditiones jugulat.

Teſt. 6. Chryſoſtomus, tom. 1. in pſal. 99. *Si quid dicitur abſque Scriptura, auditorum cogitatio claudicat, nunc annuens, nunc hæſitans, & interdum*

ſermonem

sermonem ut frivolum aversans, interdum ut probabilem recipiens: verùm ubi è Scriptura divinæ vocis prodiit testimonium, & loquentis sermonem, & audientis animum confirmat. Nihil igitur potest firmam fidei assensionem vendicare, quod caret testimonio verbi scripti. Et in sermone de pseudoprophetis qui subjicitur in calce Ephræmi Syri, interprete Gerardo Vossio; *Vides quantum sit lucrum scrutari Scripturas; nihil enim utilium sacra Scriptura reticuit.* Non scriptæ igitur traditiones ad inutiles doctrinas relegandæ.

Theodoretus, dialog. 1. *Noli mihi*, inquit Orthodoxus, *humanis ratiocinationibus obstrepere: ego enim in sola divina Scriptura acquiesco.* Et dialogo 2. *Non adeò perditè confidens sum, ut ausim aliquid affirmare quod sacra Scriptura silentio præterit.* *Test. 7.*

Theophylactus in 10. caput Joannis, in illa verba, QUI NON INTRAT PER OSTIUM, SED ALIUNDE ASCENDIT, FUR EST, hęc verba habet, *Ponit indicia pastoris perniciosi: ille enim non ingreditur per ostium, hoc est, per Scripturas. Non enim utitur Scripturis testibus, neque prophetis. Nam profectò Scripturæ ostium sunt per quas adducimur ad Deum; illæ lupos non permittunt intrare. Fur igitur est, qui non per Scripturas ingreditur in stabulum ovium, & ità per illas deprehenditur:* SED ASCENDIT ALIUNDE, *hoc est, aliam sibi viam, & insolitam parat, quemadmodum Theudas & Judas, qui cùm ante Christi tempora populum seduxissent, ipsum perdiderunt & simul ipsi perierunt. Talis erit Antichristus. Non enim ex Scripturis illius testimonia.* Hactenus Theophylactus. *Test. 8.*

Theophilus Alexandrinus in 2 Paschali. *Diabolici spiritus est, extra Scripturarum sacrarum authoritatem divinum aliquid putare.* Videtis igitur quo spiritu agitentur traditionarii, Antichristiano scilicet & diabolico. *Test. 9.*

Damascenus, orthod. fid. lib. 1. cap. 1. *Cuncta quæ tradita sunt per legem, prophetas, apostolos, & evangelistas, suscipimus, cognoscimus, veneramur,* οὐδὲν περαιτέρω τούτων ἐπιζητοῦντες. Adjungit etiam hanc rationem pulcherrimam; *Nam bonus cùm sit Deus & nihil nesciens, quodcunque conducit nobis agnoscere ipse revelavit; quorum autem pondus ferre non valemus, illa silentio occuluit.* Postremò subnectit hortationem perutilem: *Hæc igitur*, inquit, *nos amemus,* καὶ ἐν αὐτοῖς μείνωμεν, μὴ μεταίροντες ὅρια αἰώνια, μηδὲ ὑπερβαίνοντες τὴν θείαν παράδοσιν, *Hisce insistamus, non transilientes limites ab æterno definitos, neque transgredientes divinam traditionem.* Sed nè vocabulum *traditionis* ad papisticas traditiones torqueatur, observandum est, Damascenum per ὅρια αἰώνια & θείαν παράδοσιν eandem rem denotare, *sacram* scilicet *Scripturam*, quam Deus nobis per Mosen, prophetas, evangelistas, & apostolos revelavit; ut ex verbis præcedentibus manifestum est. Facile esset ex aliis Græcis patribus multò plura congerere; sed paucula hæc illorum consensum satìs indicant; ad Latinos igitur patres transeamus. *Test. 10.*

Tertullianus de præscriptionibus adversus hæreticos; *Nobis curiosi-* *Test. 1.*

tate opus non eſt poſt Chriſtum, nec inquiſitione poſt evangelium. Cùm credimus, nihil deſideramus ultrà credere. Hoc enim priùs credimus, non eſſe quod ultrà credere debeamus. Idem adverſus Hermogenem; *Scriptum doceat eſſe Hermogenis officina. Si non eſt ſcriptum, timeat* Væ *illud adjicientibus aut detrahentibus deſtinatum.* Apertè Tertullianus fidem Chriſtianam extra Scripturæ limites egredi vetat.

Teſt. 2. Cyprianus in expoſitione in ſymb. apoſtol. poſt enumeratos canonicæ Scripturæ libros, hæc verba ſubjungit; *Hæc ſunt quæ patres intra canonem concluſerunt, ex quibus fidei noſtræ aſſertiones conſtare voluerunt.* Non conſtare igitur poteſt de aliquo dogmate, quod fide catholicâ credendum ſit, ſi aliunde quàm ex Scripturis depromatur. Paulò pòſt enumerat libros quos ille *eccleſiaſticos* appellat, utpote librum Sapientiæ, Tobiæ, Machabæorum, reliquóſque à canone ſeparatos; quos *in eccleſiis legi* affirmat, non tamen *proferri ad authoritatem ex his fidei confirmandam.* Poſtremò, apertè verbum Dei includit limitibus librorum canonicorum, quæ limitatio tam traditiones non ſcriptas, quàm libros apocryphos à verbo Dei ſejungit. Appono ejus verba; *Hæc nobis à patribus tradita opportunum viſum eſt hoc in loco deſignare ad inſtructionem eorum, qui prima fidei elementa ſuſcipiunt, ut ſciant ex quibus ſibi fontibus verbi Dei hauriendæ ſunt pocula.* Dicit ſe libros canonicos deſignâſſe, ut omnes ſciant fontes verbi divini.

Teſt. 3. Hilarius, in libro ad Conſtantium, conqueritur Arrianos *indemutabilem conſtitutionem apoſtolicæ doctrinæ audacter egredi.* Atque mox addit; *Tutiſſimum nobis eſt primam & ſolam evangelicam fidem confeſſam in baptiſmate retinere.* Tandem Conſtantium ſic alloquitur; *Ego te beatæ religioſæq; voluntatis verè admiror, fidem tantùm ſecundum ea quæ ſcripta ſunt deſiderantem.* Eſt igitur audaciæ, in rebus fidei egredi Scripturarum terminos: religioſæ autem mentis, fidem tantùm ſecundum ea quæ ſcripta ſunt deſiderare.

Teſt. 4. Hieronymus in 1. cap. Michææ; *Eccleſia Chriſti quæ habitat bene, & in toto orbe eccleſias poſſidens Spiritus unitate conjuncta eſt, & habet urbes legis, prophetarum, evangelii, & apoſtolorum, non eſt egreſſa de finibus ſuis, id eſt, de Scripturis ſanctis; ſed cæptam retinet poſſeſſionem: vos autem ô hæretici, non in Scripturis, ſed in vicinia Scripturarum domum veſtram, jam non riſu ſed planctu dignam & lacrymis, conſtruxiſtis.* Idem in pſalm. 38. *Omne quod loquimur debemus affirmare de Scripturis ſanctis.* Et in cap. 1. Aggæi. *Quæ abſque authoritate & teſtimoniis Scripturarum quaſi traditione apoſtolica ſponte reperiunt atque confingunt, percutit gladius Dei.* Quid pro nobis dici potuit accommodatius? Doctiſſimus Hieronymus primò dicit eccleſiam Chriſti non egredi fines Scripturarum; ſed hæreticos illos omnes eſſe, qui ædificant extra hanc aream. Secundò, vult omnes noſtras affirmationes (intellige in materia fidei & religionis) ex Scripturis depromi. Tertiò, traditiones quæ venditantur apoſtolorum nomine, pro figmentis

mentis habet, quando absque authoritate Scripturarum defenduntur. Hieronymo igitur sola Scriptura norma fidei est.

Ambrosius de discrimine gratiæ collatæ disputans, hæc verba habet, *Quæ causæ sunt harum sub eadem gratia dissimilitudinum, quæve rationes, sanctis Scripturis non loquentibus, quis loquetur?* Quod ille de hac re, idem de omni doctrina theologica dici & potest & debet; *Sanctis Scripturis non loquentibus, quis loquetur?* Si hoc verum sit, ubi illa norma non scripta, unde de innumeris dogmatibus pronuntiant pontificii? Test. 5. De voc. Gent. lib. 2. cap. 3.

Ad Augustinum veniamus, qui infinitis pene locis fidem catholicam in solis Scripturis fundatam docet, quicquid inde non depromitur extra fidem esse defendit. Tom. 4. de bono viduitatis, cap. 1. *Sancta Scriptura nostræ doctrinæ regulam figit: non sit ergo mihi aliud te docere, quam verba doctoris tibi exponere.* Tom. 5. lib. 19. de civ. Dei, cap. 18. *Civitas Dei credit Scripturis sanctis, & veteribus, & novis, quas canonicas appellamus; unde fides ipsa concepta est, ex qua justus vivit, &c.* Tom. 7. de unit. eccles. cap. 3. *Auferantur de medio, quæ adversus nos invicem, non ex divinis canonicis libris, sed aliunde recitamus.* Paucis interjectis, addit hanc rationem; *Quia nolo humanis documentis, sed divinis oraculis ecclesiam demonstrari.* Et tom. 7. de peccatorum meritis & remissione lib. 2. cap. 36. *Ubi de re obscurissima disputatur, non adjuvantibus divinarum Scripturarum certis clarisque documentis, cohibere se debet humana præsumptio, nihil facions in alteram partem declinando.* Ex his patet Augustinum Scripturas canonicas, non pro partiali, sed pro sola & integra fidei catholicæ regula agnovisse. Pluribus ex Augustino congerendis supersedeo, ad ipsos pontificios accedo, qui quoties hac de re scribunt minimè dormitantes, fatentur Scripturas continere totam perfectámque doctrinam fidei salutiferæ ac cultus divini. Test. 6.

Hugo de Sancto Victore, post enumeratos viginti duos libros canonicos, scribit, *totidem libris erudiri vitam justorum ad salutem, quot literis lingua discentium ad eloquentiam instruitur.* Salutiferam igitur doctrinam hisce viginti duobus libris perfectè comprehensam existimavit. Halensis doctrinam theologiæ & doctrinam sacræ Scripturæ pro æquipollentibus terminis usurpat, part. 1. qu. 1. Et in resolutione memb. 2. *Doctrina*, inquit, *theologiæ vel sacræ Scripturæ fundata est super testimonio fidei.* Albertus, tract. 1. quæst. 1, 2, & 3. materiam theologiæ & materiam sacræ Scripturæ iisdem limitibus circumscribit. Thomas, part. 1. quæst. 1. art. 4. sacram doctrinam & doctrinam Scripturarum inter se confundit: *Sacra*, inquit, *doctrina dividitur per legem veterem & novam.* Ex quibus omnibus colligitur, nihil habitum fuisse pro dogmate theologico, quod in sacris Scripturis non proponitur. Sed magis aperta proferamus. De sacr. fid. prolog. in lib. 1.

Aquinas, quæst. disp. de fid. art. 10. *Successoribus apostolorum non credimus,*

credimus, nisi in quantum nobis annuntiant ea, quæ illi in scriptis reliquerunt. Quandocunque igitur doctrinas non scriptas oggerunt, ad fidem illis adhibendam minimè obligamur.

Durandus, præfatione in 4. libros sententiarum; *Mensura fidei in duobus consistit: ut non subtrahatur fidei, quod sub fide est; nec attribuatur fidei, quod sub fide non est: utroque modo à continentia sacræ Scripturæ, quæ fidei mensuram exprimit, deviatur.* Idem quæst. 1. *Verè theologia dicitur scire eorum mentem qui sacrum canonem tradiderunt.* Quid apertius, quàm ex sententia Durandi Scripturam esse adæquatam fidei Christianæ regulam?

Scotus in prologo sententiarum, quæst. 3. *Theologia nostra de facto non est, nisi de his quæ continentur in Scriptura, & de his quæ possunt elici ex ipsis.*

Gerson de examinatione doctrinarum part. 2. considerat. 1. *Attendendum est in examinatione doctrinarum, primò & principaliter, si doctrina sit conformis sacræ Scripturæ: quod declaratur ex authoritate Dionysii dicentis; Nihil audendum dicere de divinis, nisi quæ nobis à Scriptura sacra tradita sunt. Cujus ratio est, quia Scriptura est tanquam regula sufficiens & infallibilis pro regimine ecclesiæ. Est igitur talis regula, cui se non conformans alia doctrina, vel abjicienda est ut hæretica, vel impertinens ad religionem prorsus est habenda.* Hactenus Gerson, qui hâc suâ consideratione jugulavit omnes traditiones non scriptas, aut saltem à doctrina fidei & religionis Christianæ semovit.

Picus Mirandulanus de fid. & ord. credendi, theorem. 14. *Christiana fides iis solùm revelationibus nititur, quæ in canonicis libris continentur.*

Erasmus, præfatione in Hilarium; *Hoc demum est eruditionis theologicæ, nihil ultrà quàm sacris literis proditum est definire.*

Ad extremum, produco testem omni exceptione apud pontificios majorem, pontificem scilicet maximum Gregorium 13. Is in epistola ad Philippum regem Hispaniarum, quæ præfigitur sacris bibliis ab Aria Montano editis, sic scribit; *Quod ad theologiam attinet, quæ est summa philosophia, hisce libris* (nimirum sacris bibliis) *omnia nostræ religionis & divinitatis mysteria explicantur. Quod verò attinet ad eam partem quæ moralis nominatur, hinc quoque omnia ad omnes virtutes præcepta colliguntur; quibus quidem duabus partibus omnis nostræ salutis & felicitatis ratio continetur.* Eant jam papistæ, & papam suum in jus vocent, qui sacris bibliis, id est, verbo scripto, omnia religionis Christianæ mysteria contineri tam apertè pronuntiavit.

Ad exitum jam perduximus secundam hanc quæstionem, ostendimúsque solam Scripturam esse adæquatam & perfectam regulam fidei nostræ, neque opus esse verbo alio non scripto, cui fidem nostram adstringamus; ad tertiam quæ restat de supremo & absoluto fidei judice quæstiunculam progrediemur; quam paucis absolvemus.

CAP.

Cap. XIII.

Duas de ſupremo fidei judice quæſtiones abſolvimus: In priore demonſtratum eſt, non alium quàm ipſum Deum eſſe ſupremum & abſolutum judicem in materia fidei & religionis; in poſteriore oſtenſum eſt, ſententiam hujus judicis de omnibus dogmatibus ad fidem & cultum pertinentibus, non alibi quàm in ſacris Scripturis inveniri: reſtat tertia & ultima quæſtio, An Scriptura ipſa ſatis verè, aptè, & commodè à noſtris theologis judex fidei vocetur & ſtatuatur? Hanc tertiam quæſtiunculam tractare cogit importunitas adverſariorum, qui utcunque argumentis victi concedunt Deum eſſe judicem fidei, tamen verbum Dei eſſe judicem fidei non admittunt, ſed noſtros paſſim calumniantur, qui hoc genere loquendi utuntur. Quæſtio 3.

Bellarminus, lib. 3. de verbi interpretatione, cap. 9. *Scriptura non poteſt eſſe judex controverſiarum circa fidem.* Et paulò pòſt, *Scripturam non eſſe judicem planum eſt.* Sic Gregorius de Valentia, analyſ. fid. cathol. lib. 5. cap. 1. non Scripturam, hoc eſt, Dei vocem, ſed eccleſiæ præſentis vocem vult eſſe fidei noſtræ magiſtram & judicem infallibilem. Jeſuitæ denique in colloquio Ratisbonenſi, ſeſſione nonâ, conantur probare, nec ipſam Scripturam, nec Spiritum ſanctum loquentem in Scripturis, eſſe judicem ſupremum in controverſiis fidei & religionis.

Ut hiſce omnibus occurramus, Primò, quæ ſit mens noſtrorum theologorum, qui Scripturam judicem ponunt, aperiemus. Secundò, hanc judicandi authoritatem Dei verbo competere, ex ipſis Scripturis, ex argumentis indè deductis, ex antiquorum teſtimoniis confirmabimus. Poſtremò cavillis adverſariorum reſpondebimus.

Ad primum quod attinet, veriſſimum eſt quod à nobis in prima quæſtione tractanda fuit demonſtratum, ſolum ſcilicet Deum eſſe ſupremum legiſlatorem & judicem in negotio fidei & cultus divini: neque tamen hoc pugnat cum præſenti defenſione noſtra, quâ ponimus Scripturam, ſive verbum Dei, etiam judicem agere in eadem re. Nam cùm ſolum Deum agnoſcimus ſupremum, univerſalem, & infallibilem judicem, excludimus ab hac ſuprema authoritate judiciaria angelos, hominéſque, atque adeò omnem creaturam ex conditione naturæ errori obnoxiam: cùm autem verbum Dei judicē vocamus, non introducimus novum & creatum judicem à Creatore diverſum, nec literas intelligimus calamo & atramento efformatas, ſed ipſam mentem & voluntatem Dei hiſce externis ſignis humano generi declaratam & communicatam. Hoc verbum vivum & ἐνέργειαν, quia habet authoritatem, vim, actúmque Spiritus divini ſibi annexum, hominum animos ac conſcientias ipſius veritatis voce inſtruit, arguit, condemnat, abſolvit, hæreticorum errores judicat, refellit, damnat, dum ſententiam illis oppoſitam clarè enuntiat: ut uno

verbo

verbo dicam, peragit neceſſaria ſpiritualis judicis officia omnia, cóq; ſenſu judex à noſtris theologis, nec falsò, nec ineptè appellatur.

Cùm igitur Scripturam judicem ſtatuimus, id volumus, Mentem ſententiamque divinam ſacris literis conſignatam & expreſſam determinare & definire omnem fidei quæſtionem, atque ità de certitudine & veritate ejuſdem fidelium hominum corda obſignare, ut ſententiam ejus (quatenus ſaluti illorum ſufficit) intelligant, & amplectantur; occæcatos autem & pertinaces ità in cæcitate ſua relinquere, ut ob ſpretam hanc ſententiam reatu damnabili conſtringantur in hoc ſeculo, actu damnandi in futuro.

Perpendite igitur quantum interſit inter ſententiam pontificiam & noſtrã. Illi, cùm quærunt ſupremum & generalem judicem circa materiam fidei, illico obtrudunt nobis ſuperbum, ſed miſerum homuncionem, ſive ſolum, ſive cœtu epiſcoporum ſtipatum: hunc fingunt audire litigantium diſputationes, rationeſque in utramque partem adductas expendere; dein, ex cathedra ſententiam ſuam pronunciare; poſtremò, pro orthodoxis habere omnes ſibi adſtipulantes, refragantes autem pro hæreticis reputare, & flammis adjudicare. Ridiculè. Non enim hoc eſt ſupremum & generalem judicem agere; ſed ſervum, miniſtrum, aut præconem ſupremi judicis. Nos igitur, cùm de ſupremo judice diſputatur, talem cogitamus, non qui particulares lites dirimit; ſed qui toti eccleſiæ univerſalis juſtitiæ legem ſemel ſanxit: non qui rationibus hinc indè penſitatis pronunciet quod ſibi videtur verum; ſed qui ex theſauris infinitæ & æternæ ſuæ ſapientiæ hominibus olim revelavit quod ſcivit eſſe veriſſimum: non denique qui ſola corpora externis pœnis coercere; ſed qui animas ipſas & conſcientias omnium mortalium poteſt convenire. Talis judex in cauſa fidei & religionis agnoſcitur ſolus Deus in Scriptura loquens; quam ob cauſam ipſam Scripturam, in qua & per quam Deus pronunciat de toto jure fidei & religionis, Metonymicè judicem appellamus. Hæc de ſenſu opinionis noſtræ, ad confirmationem jam accedamus.

2. Confirmatur tripliciter: Primò, ex ipſis Scripturis, quæ judicandi actum verbo divino multis in locis attribuunt; quorum aliquot afferemus.

c Joan. 3. 18. *Qui credit in filium Dei, non judicatur: qui autem non credit, jam judicatus eſt, quia non credidit in nomine unigeniti.* A quo, quæſo, judicatus? Nunquid ab homine? Imò à Spiritu Dei loquente in Scripturis; per quas judicat & damnationi addicit omnes incredulos, etiamſi ſententiam in ſe latam nolint agnoſcere.

d Joan. 5. 45. *Eſt qui accuſet vos, Moſes in quo ſperatis. Nam ille de me ſcripſit, &c.* Si ſcripta Moſaica Judæos incredulos accuſent, quis dubitet quin aliæ Scripturæ accuſent & condemnent eos, qui ſententiam ab illis latam non ſuſcipiunt?

Joan.

Joan. 7. 51. *Nunquid lex nostra judicat hominem, &c.* Hic lex Dei expressè dicitur judicare homines: & revera aut verbum Dei judex est, aut ipse Deus de solio judiciario deturbatur, extra verbum enim non judicat de fidei & religionis negotio.

Joan. 12. 48. *Qui non recipit verba mea, ἔχει τὸν κρίνοντα αὐτόν· sermo quem locutus sum, ille judicabit eum ultimo die.* Verbum hoc quod ultimo die judicabit incredulos, atque infernalibus flammis addicet, primo quoque tempore quo fuit hominibus patefactum, habuit judiciariam potestatem, atque eandem exercere coepit in hominum conscientiis: quod nemo ignorat, qui illud prophetæ intelligit, Jer. 23. 29. *Verbum meum ignis, & malleus concutiens petras.*

Rom. 3. 19. *Scimus autem, quæcunque lex dicit, iis qui in lege sunt dicere; ut omne os obstruatur, & obnoxius fiat totus mundus condemnationi Dei.* Si lex alloquatur omnes sub lege constitutos, atque ità ut immorigeros convincat, & damnationi subjiciat: cur non & totum verbum Dei etiam dicatur alloqui omnes quibus prædicatum est, atque ità alloqui, ut os obthuret omnibus infidelibus, eósq; justæ condemnationi obnoxios pronuntiet? At quid hoc aliud est quàm judicem agere?

1. Thes. 2. 13. *Sermonem quem audistis ex nobis accepistis, non ut sermonem hominum, sed (sicut est verè) ut Dei sermonem, qui etiam agit in vobis qui creditis.* Si ut Dei sermonem excipere oportet Scripturas, tum ut judicem summum fidei ac religionis Christianæ: quis enim divinis sermonibus supremam judicandi authoritatem abrogabit? Si sermones Dei agunt in cordibus fidelium, cur inter actus cæteros etiam judicialem hunc actum non exercebunt?

Hebr. 4. 12. *Vivus est sermo Dei & efficax, & penetrantior quovis gladio ancipiti, & pertingit usq; ad divisionem animæ simul ac spiritus, compagúmq; & medullarum, καὶ κριτικὸς ἐνθυμήσεων καὶ ἐννοιῶν καρδίας.* Judicem igitur & censorem agit sacrosancta Scriptura, ità ut improbis & infidelibus iram Dei ac damnationem obspretum Dei verbum intentet, piis autem & fidelibus pacem & solatium apportet. Pluribus testimoniis opus non est: ex hisce enim satìs patet, nullā causam habuisse papisticos censores reprehendendi theologos nostros, qui Scripturā judicem vocant, cùm ipsa Scriptura hoc munus sibi adscribit, quatenus est vox Dei loquentis, & humano generi voluntatē suam præscribentis. Hisce testimoniis Scripturarū rationes quasdam adjungemus.

Qui de toto jure fidei & religionis toti ecclesiæ sententiam fixam & infallibilem pronuntiat, quæ semel lata perpetuò durat, & dirigit ipsum, sive in litibus dirimendis, sive extra litem; is solus habendus est universalis, supremus, & absolutus judex fidei: At hoc verbum Dei solummodo facit. Solummodo inquam, nam neq; P. R. neque ullus cœtus mortalium hoc facere potest. Non possunt de toto jure fidei absolutam & perfectam sententiam pronuntiare, quia jus illud perfectè non cognoscūt: *ex parte enim cognoscimus, ex parte prophetamus:*

Rat. 1.

Non toti eccleſiæ; quia nec tota eccleſia illos adire, nec illi totam eccleſiam alloqui ſolent: Non poſſunt ſententiam perpetuò durantem proferre, quæ ſemel lata ſemper valeat ad omnes lites & dubitationes terminandas; quia prævidere non poſſunt omnes orituras hæreſes & dubitationes, ſed tantummodo pro nata occaſione particulares lites determinant, idque (ſi officium ſuum faciunt) ſententiâ ex ore verbi divini exceptâ. Jam verò verbum Dei hæc omnia facit, verbum inquam Dei, ſive Scriptura ſacra: nam Deus eccleſiam alloquitur & docet, non voce aliquâ extraordinariâ cœlitus demiſſâ, non per enthuſiaſmos anabaptiſticos; ſed per os illud ſacrum Scripturæ divinitus inſpiratæ. Ex hujus ore de toto jure fidei pronuntiat, ex hujus ore totam eccleſiam alloquitur: nam ubicunque eccleſia diffunditur, Scripturæ vox auditur. Poſtremò, ex hujus ore ſemel locutus eſt, nec illud repetit, quod ſemper inſtruit & dirigit judicia omnium fidelium uſque ad finem ſeculi. Sermo igitur Dei ſacris libris conſignatus, eſt ſolus ille judex abſolutus & univerſalis, quem tota eccleſia ſuſcipit & veneratur.

Reg. 2. Qui ſolus habet ſupremam authoritatem condendi fidem & religionem, is ſolus habet ſupremam authoritatem ejuſdem determinandæ, interpretandæ, definiendæ, quoties lites aut dubitationes ſuboriuntur: ſed ſola vox Dei in Scripturis ſonans condit noſtram fidem & religionem: ergò & illa ſola de eadem judicat & determinat ſupremâ & abſolutâ authoritate.

Reg. 3. Ille eſt judex ſupremus in materia fidei & religionis, cujus pronunciatam ſententiam inferiores & miniſteriales judices tenentur conſulere, acceptare, litigantibus divulgare; ità ut ſi propriam ſuam ſententiam ejus loco ſupponant, reatu damnabili conſtringantur: Sed ſententiam quam protulit Scriptura, in omnibus fidei cauſis, tenentur omnes mortales inquirere & acceptare: Scriptura igitur ſupremi judicis locum obtinet in eccleſia.

Hoc Chriſtus docuit, quando in controverſiis & dubiis litibus remiſit Judæos ad Scripturarum judicium. Matt. 22, 29. &c. cùm definienda eſſet quæſtio de reſurrectione contra Sadducæos, Chriſtus eos redarguit proferendo ſupremum hoc verbi ſcripti judicium: *De reſurrectione mortuorum non legiſtis quod vobis dictum eſt à Deo?* dein profert verba Scripturæ. Sic Joan. 5. 39. Chriſtus probaturus ſe eſſe Meſſiam, jubet Judæos *ſcrutari Scripturas*; quod perinde eſt, ac ſi juſſiſſet eos ſupremum hujus rei judicem adire & conſulere, eíque fidem adhibere. S. Paulus etiam, cùm Romanos inſtituere conatur in doctrina juſtificationis, eos ad Scripturæ ſententiam remittit; Τί γὰρ ἡ γραφὴ λέγει; *Credidit Abraham Deo, &c.* Hoc quid aliud eſt quàm ſi dixiſſet, Quid dicit ſupremus fidei noſtræ judex? Huic auſcultemus, hujus latæ ſententiæ nos ſubmittamus. Sed de ſuprema hac judicandi poteſtate, quæ reſidet in verbo Dei, dabitur rurſus differendi occaſio, cùm ad poteſtatem miniſterialium & ſubordinatorum

judicum

judicum ventilandam veniemus: rationes igitur haſce latiùs non proſequemur, ſed patrum teſtimonia apponemus.

Patres verò innumeri non modò agnoſcunt Scripturam pro regula fidei, ſed etiam pro judice ſupremo, eo nimirum ſenſu quem antea explicavimus, quia perſonam Dei ſuſtinet, & voce ſuâ ac virtute perpetuò alloquitur, inſtruit, & dirigit eccleſiam univerſam, non minùs quàm ſi Deus voce ſenſibili è cœlis nos alloqueretur.

Clemens, Strom. 7. *Scripturâ judice utimur ad res inveniendas, &c.*

Baſilius Magnus, epiſt. 8. *Scriptura divinitus inſpirata arbiter à nobis conſtituatur, & apud quos inventa fuerint dogmata divinis ſermonibus concordantia, his omnino etiam veritatis ſuffragium accedet.* Qui arbiter conſtituitur, illi poteſtas judicandi defertur.

Optatus Milevitanus, lib. 5. *De cœlo quærendus judex: ſed ut quid pulſamus ad cœlum, cùm habeamus hîc in evangelio teſtamentum?* Ergò voluntas Chriſti, velut in teſtamento, ſic in evangelio inquiratur. Quid apertius, quàm cœleſtem judicem non ex nubibus, ſed ex Scripturis nos alloqui?

Ambroſius, lib. 1. de fide ad Gratianum, cap. 4. *Nolo argumento credas, & noſtræ diſputationi. Scripturas interrogemus, interrogemus apoſtolos, interrogemus prophetas, interrogemus Chriſtum. Quid multa?* Deum *Patrem interrogemus.* Quid planius, quàm reſponſa Scripturæ eſſe ſupremi judicis reſponſa, quem in dubiis omnes conſulere tenentur, quíque hâc voce ſuâ omnes controverſias determinat?

Ad Auguſtinum accedo, qui multa & clara nobis ſuppeditat teſtimonia.

Tom. 7. de unitate eccleſiæ, cap. 3. *Sunt certè libri Dominici, quorum authoritati utrique conſentimus, utrique credimus, utrique ſervimus. Ibi quæramus eccleſiam, ibi diſcutiamus cauſam noſtram.* Cujus authoritati Auguſtinus faſces ſubmittit, apud cujus tribunal cauſas fidei diſcuti oportere defendit, illum ſine controverſia fidei judicem agnoſcit.

Et eodem tomo, lib. 2. de nuptiis & concupiſcentiâ, cap. 33. *Iſta controverſia judicem requirit. Judicet ergò Chriſtus, judicet cum illo apoſtolus, &c.* Sed quomodo tandem judicat Chriſtus? quomodo apoſtolus? Uterque jam in cœlum receptus, per ſe non judicat cauſas fidei. Illi ergò judicare cenſentur, cùm Scriptura judex admittitur.

Et de gratia & libero arbitrio, cap. 18. *Sedeat ergò judex inter nos apoſtolus Joannes, & dicat nobis, &c.* Nunquid illud vult, ut Joannes de cœlo deſcendat, ac litem inter illum & Pelagianos dirimat? Nihil minùs. Sed apoſtolicum Joannis

scriptum vult pro judice admitti, atque, quod ab illo pronuntiatur, pro certa & rata determinatione recipi.

Lactantius lib. 3. cap. 1. scribit, *Deum in divinis literis ut oportuit locutum, quasi rerum omnium maximum judicem, cujus non est argumentari, sed pronuntiare.* Scripturæ igitur repræsentant & resonant toti ecclesiæ supremi judicis pronuntiatam sententiam.

Gerson part. 1. in tractatu de erroribus circa præceptum, NON OCCIDES; *Liberiùs, puriùs, veriùs, & citiùs exquiritur veritas, & falsitas reprobatur, dum constituitur sola lex divina judex.*

Postremò, ipse philosophus hanc judicialem potestatem legibus humanis competere docet: quantò magis Scripturis, id est, legibus divinis? Polit. lib. 3. cap. 16. *Qui ponit legem judicem, ponit Deum; qui addit hominem, addit & bestiam.* Rationem adjungit; *Quia homines etiam optimi distorquentur affectibus: lex autem vacua est hujusmodi perturbationibus.* Et lib. 4. cap. 4. ὅπου γὰρ μὴ νόμοι ἄρχουσιν οὐκ ἔστι πολιτεία· δεῖ γὰρ τὸν μὲν νόμον ἄρχειν πάντων. Qui legem imperare vult in civitate bene constitutâ, idem proculdubio fatebitur eandem & judicare oportere: nam judicare est actus ἄρχοντος vel maximè proprius. Atque hactenus sententiam nostram confirmavimus, atque ostendimus nostros theologos, cùm verbum Dei supremum judicem appellant, neque à phrasi Scripturarum, neque à recta & bene instituta ratione, nec denique ab antiquorum patrum opinione & loquendi formula recessisse. Contrariis argumentis jam occurrendum.

3 Bellarminus, de verbi Dei interpretatione lib. 3. cap. 9. contendit, Scripturam non posse esse judicem in controversiis fidei, hisce ratiunculis.

Object. 1. Quod varios sensus recipit, nec potest dicere quis eorum sit verus, non est supremus judex controversiarum: Scripturæ vox varios sensus recipit, &c. Consimilia de obscuritate Scripturarum urget Gregorius de Valentia, analys. fid. lib. 5. cap. 2.

Sol. Scripturæ vox, quæ eadem Dei vox est loquentis per Scripturas, non varios & incertos sensus recipit ex *conditione rei affirmatæ*, aut ex *intentione affirmantis*; sed ex *inscitia* aut *pertinacia detorquentis*. Jam verò stultum est negare vocem Dei loquentis per Scripturas judicem esse, quia ab imperitis & pertinacibus potest in sensum falsum quasi obtorto collo pertrahi. Si hoc valeret, neque vox pontificis, aut concilii, judicis authoritatem obtineret; quod somniat Bellarminus: nam & illorũ decreta varios sensus recipiunt, & quicquid ab illis dici potest ad sensum determinandum, potest denuo à perversis aut ignorantibus diversimode accipi. Dicimus igitur Scripturas, Dei judicium & sententiam de causis fidei eo modo efferre & pronuntiare, quo divinæ sapientiæ visum fuit optimum, & ecclesiæ suæ utilissimum: cùm autem de sensu genuino dubitationes oriuntur, per Spiritum verbo conjunctum, & legitimos ministros ecclesiæ inservientes, potest & solet Deus (quoties expedit) ostendere cordibus pio-

rum

rum, quis sit verus sensus Scripturarum. Ambiguitas igitur vel obscuritas Scripturarum, quam causantur pontificii, non infringit judiciariam earundem authoritatem, sed ostendit necessitatem Spiritus illuminantis, & ministerii docentis atque exponentis Scripturas. Si enim imperator sententiam suam latam, sive vivâ voce, sive per præscriptum in legibus obscurè exprimat, non amittit idcirco vim & authoritatem ratæ sententiæ; sed, ut ab indoctis capiatur, requirit operam jurisconsultorum: sic in divinis legibus, hoc est, in sacris Scripturis, si quid ambiguè aut obscurè dictum sit, exponendum illud est à theologis, ex mente Dei; non pro sententia irrita aut nulla deputandum.

Judex & lex debent esse res distinctæ: sed Scriptura est lex vel regula judicandi: ergò non est ipse judex. *Objectio 2.*

Respondeo, in republica legem & judicem non ità distingui, quia lex aliquo respectu obtinet & nomen & naturâ judicis. Nam fatetur philosophus, in universali jure præscribendo ipsam legem etiam judicem esse oportere, in applicatione autem ad particularia magistratum, qui est legis minister & interpres, judicis officio defungi; quia lex humana non potest omnia singularia exactè complecti. In ecclesia autem Dei, quandoquidem nec mortalium ullus potest suprema & absolutâ authoritate judicare, nec Deus ipse visibili modo sejunctus à verbo suo scripto voluit judicare, necesse est ut eandem Scripturam, sive verbum Dei, tam pro judice, quàm pro regula judicandi admittamus. Judex est, atque supremus judex, quatenus non mortuam literam, sed vivam Dei vocem, & certam Spiritus sancti sententiam de rebus fidei, supremâ potestate ejusdem Spiritus, auribus, animisque Christianorum exhibet & declarat. Regula est, quatenus omnia omnium judicia, sive privatorum, sive prælatorum, sive adeò ipsorum pontificum Romanorum, jure bono potest & debet regulare, dirigere, & ad conformitatem atque consensum adstringere. *Sol.*

Judex debet habere potestatem coactivam, ut compellere possit reluctantes ad obediendum sententiæ suæ: Scriptura per se talem potestatem non habet. Hoc argumentum urget Tannerus in colloquio Ratisbonensi, sess. 9. Bellarminus autem idem adducit ad oppugnandum judicium privati spiritus uniuscujusque sibi revelantis veritatem, quem privatum uniuscujusque spiritum somniat nos judicem supremum constituere: sed de hoc postea. *Objectio 3.*

Ad præsens institutum quod attinet, respondeo; Primò, coactionem illam quam requirunt papistæ, non necessario & essentialiter cohærere cum suprema potestate judicandi. Nam simulac judiciaria sententia pronuntiata est ab illo qui habet absolutam pronuntiandi potestatem, sive illico cogere velit homines ad obediendum, sive ad tempus relinquere in contumacia sua, functus est proprio officio judicis. Nam pœnis cogere ad sententiam latam, est posterius ipso *Sol.*

actu judicandi, & pertinet ad *executionem*, non ad *judicationem*.

(2) Secundò, & illud addo, Cùm de fide & de fidei judice loquimur, loqui nos de rebus ſpiritualibus, non ſenſibilibus aut externis; ac proinde coactionem, non *externam* aut *corporalem*, ſed *internam* & *ſpiritualem* hoc in negotio cogitari oportere. At palàm eſt, verbum Dei, Spiritus virtute armatum, corda piorum trahere ad conſentiendum ſibi & decretis ſuis. Sic enim verbum evangelii, illuminando & emolliendo illorum corda, coegit Paganos renuntiare idolis ſuis, & amplecti ſententiam illam quæ juſſit ſalutem quærere *in nomine Chriſti crucifixi*. Sic indies omnes (quotquot ſalvandi ſunt) trahit in obſequium fidei, quatenus ad ſalutem obtinendam ſufficit. Sed Jeſuitæ noſtri aliam coactionem quàm quæ ferro & flammâ peragitur nondum nôrunt.

Tertiò, dico verbum Dei in improbos & immorigeros vim quandam coactivam exercere: nam cogit proprias illorum conſcientias ſubinde eos vexare & pungere: cogit etiam imperio ſuo ut à magiſtratu civili & eccleſiaſtico, ſub quo vivunt, puniantur & coerceantur pœnis tum corporalibus, tum ſpiritualibus: poſtremò, in die judicii judicabit illos, & ſententiâ latâ coget ad pœnas infernales. Si hæc omnia nihil faciunt ad judicis authoritatem verbo divino vindicandam, miror quo argumento perſuadebunt, ſuum pontificem eſſe hunc ſupremum & univerſalem judicem, qui vel unum hominem nunquam coegit ad fidem, aut potuit cogere: nam in cœlo cathedram habet, non in Vaticano, qui corda cogit. Sed pœnis cogit quos vult ad ſententiam ſuam amplexandam. Nè illud quidem: magna enim pars eccleſiæ Chriſtianæ illius poteſtati non ſubjicitur, nec curat ejus latas ſententias, nec pertimeſcit intentatas pœnas. Verùm de hoc judice quem Jeſuitæ obtrudunt, nunc non eſt diſputandi locus.

Object. 4. Scriptura non poteſt audire utriuſque partis argumenta quando exoritur aliqua controverſia, neque cognitis illorum rationibus profert ſententiam: ergò non eſt judex. Sic Tannerus in colloq. Ratisbon. ſeſſ. 9.

Sol. Non eſt ſupremi & generalis judicis officium, litigantium argumenta audire, iiſdémque expenſis juxta legem ſententiam ferre; ſed particularis, ſubordinati, & miniſterialis; qui, ut veram & juſtam ſententiam ferat, opus habet examinatione teſtium, inſpectione legum, collatione rationum, aliiſque adjumentis. Is autem eſt ſupremus, abſolutus, & generalis judex in cauſa religionis, qui ante, & extra omnem litem, ſanxit & pronuntiavit, quid credendum, quid faciendum ſit ab omnibus Chriſtianis, cujus latæ ſententiæ, & litigantes, & judices etiam illi qui cauſas particulares audiunt & diſtinguunt, tenentur ſeſe ſubjicere. Hoc verbum Dei facit: illud igitur ſupremi judicis locum tenet.

Pluſ-

Plusquam pueriliter ergò ineptiunt Jesuitæ, qui putant Scripturam judicis officium non explere, nisi audiat quotidianas lites hæreticorum, iisque auditis, ac eorundem rationibus expensis, vel proferat novam sententiam, vel prolatam ità repetat, ut à circumstantibus audiri possit. Sed hæc stulta sunt hominum carnalium phantasmata, qui judicem visibilem & forensem solummodo cognoscunt, spiritualem & cœlestem omnino non intelligunt. Deus siquidem loquens in Scripturis, prævidebat ab æterno omnes lites atque omnes cavillationes hæreticorum, atq; ità sententiam suam in verbo pronuntiavit, ut possint ex eò fideles ministri catholicam veritatem demonstrare, hæreticam pravitatem confundere. Non opus itaque ut ipse, aut sermo ejus sensibili modo hisce litibus sese misceat; sed ad terminandas (prout requiritur) omnes lites sufficit sententia in verbo lata, cum operatione Spiritus, & subordinato ac limitato hominum ministerio ad eandem sententiam divulgandam.

Omnis judex supremus & generalis ità debet dicere sententiam, ut altera pars litigantium evidenter sciat se vicisse, altera pars evidenter sciat se causam amisisse, quantum est ex parte ipsius judicis pronuntiantis. Sed nec Scriptura, nec Spiritus sanctus per Scripturam, potest ità determinare controversias; nam semper inter litigantes manet controversum Scripturæ judicium, quod sibi favere utrinque pari confidentiâ asserunt. Exemplo sunt illa verba, *Hoc est corpus meum*. Clamant papistæ, in hisce verbis sententiam latam esse pro *transubstantiatione*, dicunt Lutherani pronuntiatum esse pro *consubstantiatione*; assetimus nos neutram hisce verbis contineri, sed *præsentiam mysticam & sacramentalem* denotari, quâ Christus piis unitur, & præsens constituitur per fidem & Spiritum sanctum. Qualis igitur hic judex est, qui sententiâ suâ controversiam omnino non dirimit & determinat?

Respondeo primò, majorem illam propositionem falsam esse; judicis enim officio satisfecit, qui ità sententiam suam exposuit, ut utraq; pars indè evidenter scire debeat ac possit se absolvi aut damnari, quamvis vitio suo hanc scientiam amiserit aut repulerit. Dicimus igitur, verbum Dei non amittere judiciariam authoritatem, quòd homines in erroribus demersi non semper intelligant contra se judicatum esse; nam id indè evenit, quòd sint insciliâ occæcati, vel malitiâ abrepti, vel philautiâ fascinati. Si tales essent quales esse deberent, omnes in omnibus fidei causis perciperent vim ac veritatem sententiæ divinæ in sacris Scripturis pronuntiatæ: quod fideles in omnibus faciunt, in quibus sanctus Spiritus dignatus fuerit illorum mentes aperire. Secundò, & illud assero, Quæ controversiæ finiri non possunt ex determinatione verbi divini, neque finientur unquam ex determinatione cujuscunq; authoritatis humanæ. Nam qui interpretationes diversas afferunt, illi semper judices etiam diversos probant,

Object. 5.

Sol.

bant. Qui Romanam interpretationem horum verborum, *Hoc eſt corpus meum*, à Scripturis alienam putat, is etiam pontificis Romani judicium de eadem re, tanquam Scripturis contrarium, explodet & floccifaciet. Qui igitur ex Scripturarum lata ſententia ſe victum non agnoſcit, nunquam agnoſcet ſe victum ex ſententia alterius judicis cujuſcunque. Non minùs enim de ejus vera & legitima authoritate dubitabit, quàm de vero & genuino ſenſu Scripturæ dubitaverat.

(n)

Denique & illud appono, etſi veritas ſententiæ à ſacris Scripturis latæ liquidò non appareat perverſis & occæcatis in hoc ſeculo, in futuro tamen apparebit, quando judicium hîc inchoatum abſolutè conſummabitur.

"

Concludamus itaque, quòd non ſecus ac in jure civili per imperatores pronuntiatum ac judicatum eſt contra proditores, fures, falſarios, utcunque innumeri hiſce criminibus implicati non evidenter agnoſcant aut animadvertant ſe condemnatos ſententiâ juris, donec ad tribunal externi & viſibilis judicis convincantur; ità in jure divino, hoc eſt, in verbo Dei, judicatum eſt contra Samoſitenos, Arrianos, Papiſtas, Anabaptiſtas, quamvis hiſce hæreſibus involuti non liquidò percipiunt ſe damnatos voce ac ſententiâ verbi divini, donec coram Chriſto judice in noviſſimo die ſtatuentur, & aperto libro convincentur. Maneat itaque firmum, non obſtantibus papiſtarum cavillis, quod ab initio poſuimus, Verbum & vocem Dei in Scripturis reſonantem, uſque ad finem ſeculi eſſe ſupremum & univerſalem judicem in eccleſia omnium cauſarum & controverſiarum circa fidem & cultum divinum. Abſolvimus tres illas quæſtiones, quas de ſupremo judice tractandas propoſuimus; de miniſteriali judice deinceps diſſerendum eſt.

CAP.

Cap. XIIII.

De judicibus ministerialibus & subordinatis.

Supremum & absolutum fidei religionisque judicium ad Deum solum in Scripturis loquentem pertinere, copiosè satis demonstratum est; nè quis autem imperitus harum rerum æstimator, aut schismaticus ecclesiæ perturbator, putet nos inducere velle cyclopicam illam ἀναρχίαν, apud quos ὁ βοῦς ἀπὸ τοῦ ὄρους ἄρχει, post stabilitam ipsius Dei in verbo loquentis supremam authoritatem, ecclesiæ quoque quæ sit in judicando potestas exponemus. Absit enim à nobis ut vel eripiamus superioribus quam habent à Deo ipso in subditos concessam sibi potestatem, vel permittamus subditis, quam habere non debent, impunè de religione ac fide quidvis sentiendi, dicendi, aut defendendi licentiam. Bellarminus pro suo candore nostris hominibus insulsam hanc tribuit opinionem; *Unumquemque judicem esse debere in causis fidei spiritum suum sequendo*: quasi nos omnia publica ecclesiæ judicia subvertamus, & cuilibet imperito hanc judicandi potestatem permittamus. Ut igitur adversariorum calumniis obviàm eamus, aggrediemur hanc de ministeriali judicio disputationem; quam in hasce quatuor quæstiones tribuemus. *De verbi Dei interpret. lib. 3. cap. 3.*

1. Investigabimus quinam illi sunt qui habent publicam potestatem judicandi de rebus fidei judicio hoc ministeriali & subordinato.

2. Quæ sit horum judicum necessitas in ecclesia Christiana.

3. Quousque se extendit horum judiciaria potestas.

4. Quanta sit in eorundem decretis & judiciis certitudo sive infallibilitas.

In postrema quæstione acris pugna nobis ineunda est cum pontificiis; in cæteris, aut nullâ, aut leviori saltem dimicatione opus erit. Ordine igitur suo singulas jam tractabimus.

1. Quæstio.

Illud jam inquirendum est, quinam illi sunt qui exercent publicum judicium hoc ministeriale in ecclesia Dei, idque ex ordinatione divina.

Primò igitur agnoscimus, pastores singulos atque doctores legitimè ordinatos ac vocatos habere publicum officium judicandi de rebus fidei *judicio directionis*, sive *instructionis*, hoc est, incumbere illis ex officio, non modò ut privatim apud se inquirant ac judicent de rebus fidei & religionis, quod ab omnibus piis & fidelibus faciendum est; sed ut publico suo ministerio aliorum judicia forment dirigántque in doctrina sana & orthodoxa. Quod patet,

1. Quia ipse Deus in hunc finem dedit ecclesiæ pastores

& doctores, ut fungantur hoc officio. Sic diſertè apoſtolus, ad Epheſ. 4. 11. &c. *Dedit alios apoſtolos, alios verò prophetas, alios evangeliſtas, alios autem paſtores & doctores; ad coagmentationem ſanctorum, ad opus miniſterii, ad ædificationem corporis Chriſti; nè circumferamur quovis vento doctrinæ, &c.* Eſt igitur paſtorum & doctorum, ſuo judicio præeunte informare & ſtabilire judicia populi ſibi commiſſi, nè quovis vento peſtiferæ doctrinæ abripiantur in errores.

2. Quia illis titulis ornavit miniſtros, qui aptè declarant illos debere judicio ſuo præire aliis in via fidei catholicæ & religionis ſacroſanctæ. *Patres ſpirituales* vocantur; at patrum eſt, liberis præſcribere quid faciendum, quid non faciendum. *Duces* ac *ſpeculatores* vocantur; quinetiam *lumen mundi* & *ſal terræ* appellantur: hæc omnia monent, oportere eos ſcientiâ & judicio ſuo inſtruere, dirigere, corrigere inſcitiam & errores imperitorum.

3. Quia Deus pœnas intentat paſtoribus & miniſtris, qui patiuntur gregem ſuum in præcipitia errorum abduci. Nam *a paſtore exigetur, quicquid per inertiam non cuſtoditur*; ut verè Cyprianus. Hinc illæ comminationes; *Quia non annuntiâſti ei, in peccato ſuo morietur; ſanguinem verò ejus de manu tua requiram*; Ezech. 3. 20. *Væ vobis, Scribæ & Phariſæi, quia claditis regnum cœlorum ante homines*; Matt. 23. 13.

4. Quia Deus mandavit populo, ut obedirent doctoribus & paſtoribus ſuis officio ſuo probè fungentibus. *Dabo vobis paſtores juxta cor meum, & paſcent vos ſcientiâ & doctrinâ*; Jer. 3. 15. *Rogamus ut agnoſcatis eos, qui laborant inter vos, & præſunt vobis in Domino, & admonent vos*; 1. Theſ. 5. 12. Huc ſpectat illud Servatoris, *Qui vos audit, me audit.*

Poſtremò, naturalis ratio dictat, illorum eſſe de unaquaque re judicare, atque alios inſtituere, qui præ aliis in ejuſdem curam ac cognitionem incumbunt. Sic medici judicant quis cibus ſalubris, quis noxius: juriſconſulti declarant quid juſtum, quid injuſtum: atque in omnibus artibus & ſcientiis illi qui in illis excolendis operam ex profeſſo collocant, aliorum judicia & ſolent & debent dirigere. In rebus igitur divinis theologorum eſt hoc *judicio directionis* populum in via fidei catholicæ retinere, & ab omnibus errorum diverticulis cuſtodire. Theſis hæc non eget longiori probatione; ab omnibus enim unanimi conſenſu admittitur.

2. Secundò, præter hoc *judicium directionis*, quod competit cuivis doctori aut paſtori, dicimus epiſcopos, aliósve quibus jurisdictionem conceſſit eccleſia, habere in rebus fidei *judicium coercitionis*, hoc eſt, poſſe ſpiritualibus cenſuris eos caſtigare, qui illorum ſancta decreta in religionis materia rejiciunt, & ſuis erroribus pertinaciter

adhæ-

adhæresçunt. Atque hîc judiciariam authoritatem tum episcoporum seorsum, tum synodorum (sive sint œcumenicæ, sive provinciales, sive dioceseanę) vim suam legitimam habere libenter profitemur.

Quod probatur,

1. Ab exemplo & praxi piorum præsulum, qui coercebant censuris, atque, si opus fuit, ejiciebant ex ecclesia præfractos hæreticos. Sic Paulus Hymenæum & Alexandrum Satanæ tradidit, quia naufragium fidei fecerant, neque ad recipiendam sanam doctrinam revocari voluerunt; 1. Tim. 1.20. Atque post apostolos defunctos, in ecclesia primitiva, censura hæc & excommunicatio hæreticorum, atque omnium in impietate sua pertinaciter contra ecclesiæ judicium manentium semper obtinuit; quod ex apologetico Tertulliani colligere licet, atque ex Cypriani epist. lib. 1. ep. 3. aliisque passim authoribus, conciliisque omnibus.

2. A mandato Dei. Deut. 17.13. *Qui superbierit, nolens, &c.* Matt. 18. 17. *Si ecclesiam non audiat, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.* Ad Tit. 3.10. *Hæreticum hominem post unam & alteram commonefactionem παραιτοῦ· rejice*, hoc est, à reliquo grege remove & expelle. Nam *qui corrigi nolunt, tanquam putres corporis partes, ferro excommunicationis sunt abscindendi*; ut loquitur Prosper de vita contemplativa lib. 2. cap. 7.

3. Ab increpatione præsulum, qui negligunt judicium coercionis, apparet hoc à Deo illis esse delegatum. Apocalyps. 2. 18. Angelus Thyatirensis ecclesiæ reprehenditur, quòd *permiserit mulierem Jezabel docere, & seducere populum Dei.* Debuit itaque non modò *judicio directionis* populum sibi commissum in orthodoxa doctrina erudire; sed *judicio coercionis* hæreticos comprimere, qui nolebant acquiescere in doctrina ecclesiæ, sed sua zizania disseminare. Hoc etiam Paulus à Tito efflagitat, cap. 1. ver. 11. *Sunt*, inquit, *multi refractarii, & vaniloqui, & mentium deceptores, ους δεῖ ἐπιστομίζειν.*

Liquidò jam apparet, esse in ecclesia Dei non modò inferiores ministros, quibus commissum est *judicium directionis*; sed alios eminentiori loco, quibus seorsum quatenus sunt primarii ecclesiarum ministri, & multò magis conjunctim cùm in synodis totam ecclesiam repræsentant, conceditur *judicium coercionis* in refractarios omnes & contumaces.

Jam tertio in loco, præter utrunque prædictum judicium, *directionis* scilicet & *coercionis spiritualis*, viget etiam in ecclesia Christiana *judicium politicum*, quod est *externæ* & *corporalis coercionis*. Hoc autem residet penes supremum gubernatorem civilem, quicunque tandem ille fuerit. Nam, de fide & religione sacrosancta ità judicare, ut omnes ad approbatæ religionis professionem adstringantur mulctis pœnisque externis, actus & officium est summi magistratus politici.

Hîc itaque sciendum est, aliam jam esse rationem ecclesiarum

ſub imperio principum *Chriſtianorum*, aliam fuiſſe olim ſub imperio principum *Paganorum*. Judicium hoc de religione obſervanda & colenda in ſuis ditionibus, principes Pagani, quà *principes*, tenebantur exercere; ſingulóſque ſibi ſubditos ad profeſſionem veræ fidei & cultus adigere: ſed quà *Pagani*, inſcitiâ & malitiâ occæcati, nec voluerunt nec potuerunt officium ſuum facere. Principes verò Chriſtiani, verbo Spiritúque Chriſti illuminati, & judicare ſciunt quæ ſit vera & catholica fides, & jubere debent ejuſdem profeſſionem, & punire eos poſſunt omnes, ſive eccleſiaſticos, ſive laicos, qui verum Dei cultum rejiciunt, quem illi approbârunt ſupremâ ſuâ in terris authoritate.

Haſce partes judicandi competere civili magiſtratui hiſce rationibus oſtendemus.

Rat. 1. Unuſquiſque habet poteſtatem ſive authoritatem judicandi in illis rebus, in quibus habet ſupremam poteſtatem vel authoritatem tranſgreſſores puniendi: ſed, in negotio fidei & religionis, imperatores, reges, omnéſque adeò ſupremi magiſtratus habent poteſtatem à Deo ſibi datam puniendi idololatras, omnéſque cultum Dei corrumpentes. Authoritatem puniendi conjunctam eſſe cum authoritate judicandi, indè patet, quòd abſque præeunte judicio omne ſupplicium iniquum & temerarium eſt. Quis enim ferat principem punientem alios quòd illam fidem & religionem non amplectantur, quam ipſe nondum judicavit eſſe veram, & divinæ voluntati conformem? Oportet igitur regem primò à ſacris Scripturis, & doctis piiſque theologis, quæ ſit vera religio addiſcere; dein judicio hoc ſuo ſupremo & coactivo eandem omnibus ſuis ſubditis imponere. Rex enim duplicem perſonam ſuſtinet: *Chriſtiani*, quo nomine tenetur collum ſuum veræ religioni ſubmittere: & *magiſtratus*, quo reſpectu tenetur præſcribere aliis & mandare rectum cultum Dei. Huc ſpectat illud pſalmiſtæ, pſal. 2. 10. *Nunc ergò ô reges intelligite, erudimini qui judicatis terram: ſervite Domino in timore, &c.* Unde Auguſtinus, *Aliter ſervit Domino quà homo, aliter quà rex. Quà homo eſt, Deo ſervit vivendo fideliter, quà rex, leges juſta præcipientes & contraria prohibentes convenienti vigore ſanciendo.* Idque *non ſolùm in iis quæ pertinent ad humanam ſocietatem, verumetiam in iis quæ ſpectant ad divinam religionem*, lib. 3. contra Creſconium, cap. 51.

Rat. 2. In ſupremo civili gubernatore ſemper reſidet poteſtas architectonica judicandi & ordinandi res illas omnes, quæ ſpectant ad commune bonum reipublicæ: quod multis exemplis illuſtrari poteſt. Ut agricolæ, manuarii artifices, & mercatores, probè ſingula ſua artificia exerceant, ſpectat ad bonum totius civitatis: videmus ergò magiſtratum civilem in hæc omnia introſpicere, quid factu utile & conducibile ſit inveſtigare & judicare, tandémque latis legibus, pœníſque appoſitis, hiſce omnibus ſupremâ authoritate mandare, quid ab illis faciendum, aut non faciendum ſit. Pari ratione (cùm è re-

publica

publica vel maximè ſit, ut theologi veram religionem doceant, laicique omnes ſuſcipiant ac colant) regis eſt, inquirere quæ ſit vera & orthodoxa fides, inventámque judiciariâ hâc ſuâ authoritate ſtabilire, omnibúſque imponere. Atque hinc eſt quòd Deus Deuteronomii 17. 18. jubet regem electum *deſcribere ſibi exemplum legis, penèſque ſe retinere, & legere in eo omnibus diebus vitæ ſuæ, ut diſcat timere Jehovam Deum ſuum.* Hinc etiam eſt quòd laudantur illi reges, qui falſum Dei cultum abrogárunt, veràmque religionem vel in tectis ſacerdotibus refractariis & idololatricis reſtituerunt. Unde colligimus, hoc judicium principis non eſſe ſic ſubordinatum ſacerdotali judicio, ut teneatur illam fidem ſubditis imponere, quam major pars illorum ſuſcipiendam determinaverit. Nam Baaliticum cultum ſacerdotes communi penè conſenſu admiſerunt; rectè tamen fecerunt, qui & illum & illos ſuſtulerunt; 1. Reg. 18. & 2. 10. Sic Arrianiſmum innumeri epiſcopi, in conciliis congregati, approbárunt; imperator tamen officium ſuum feciſſet, ſi, hiſce omnibus reclamantibus, orthodoxam fidem ipſe & epiſcopis & populo mandâſſet, atque authoritate ſuâ ſanxiſſet.

Ad quem pii epiſcopi decreta ſua examinanda remittunt, à quo petunt confirmationem eorundem, quem ſolum agnoſcunt poſſe veram religionem authoritate judiciariâ coactivâ toti populo præſcribere, atque refractarios & immorigeros etiam terrore gladii ad eandem profitendam compellere, hunc ſtatuunt ſub Deo externum ſupremum judicem, etiam in cauſa religionis: ſed hæc omnia tribuuntur imperatoribus & regibus; quod ex conciliis ipſis, patribúſque clarum eſt. Apponam aliquot teſtimonia.

Primò, Epiſcopi cùm cupiunt totam eccleſiam decretis ſuis obſtringere, ità ut omnes pœnis cogantur ad illa ſuſcipienda, priùs eadem imperatoribus *examinanda* remittebant; utpote quos ſolos ſciebant hanc habere poteſtatem judiciariam ſanciendi religionem in ſuis ditionibus cum hoc ſupremo imperio coactivo. Hoc patet ex concilio Epheſino, in quo acta epiſcoporum inter ſe diſſidentium ab utraque parte ad imperatorem delata fuerunt, ut ab illo inſpecta & conſiderata, vel probarentur, vel irrita pronuntiarentur. Obtulerunt etiam ſe ad examen. Sic Socrates, lib. 1. cap. 22. ſcribit Conſtantinum epiſcopos per epiſtolam ad ſe vocâſſe, ut rationem redderent de iis quæ in concilio egerunt & ſanxerunt.

Secundò, *Confirmâſſe* etiam manifeſtum eſt. Sic enim ſcribunt epiſcopi ad Theodoſium, petentes ut concilii Conſtantinopolitani canones confirmaret; *Rogamus tuam clementiam, ut per literas tuæ pietatis ratum eſſe jubeas, confirmèſque concilii decretum, & ſummam eorum quæ decreta ſunt, ſententiâ atque ſigillo tuo corrobores.* Ipſi etiam pii imperatores hanc poteſtatem ſibi vendicárunt, ut patet ex epiſtola Theodoſii & Valentiniani ad ſynodum Epheſinam miſſâ, & reſponſione epiſcoporum ad eandem, &c. Sed ipſa res etiam hoc

Ex epiſt. epiſcop. qui Conſtant. convenerunt.

loquitur: nam prout acceſſit pondus authoritatis & judicii imperatorii, ità decreta, ſive orthodoxorum, ſive Arrianorum, pro confirmatis & validis vulgò habebantur in tota imperatoris ditione. Quod etiam Auguſtinus agnovit, cont. Creſc. lib. 3. cap. 51. *Reges*, inquit, *cùm in errore ſunt, pro ipſo leges contra veritatem faciunt; cùm in veritate ſunt, contra errorem pro ipſa veritate decernunt.* De religione itaque decernere ſummâ poteſtate externâ, ad reges pertinet: qui, cùm catholici ſunt, bene utuntur hâc poteſtate, cùm hæretici, abutuntur eâdem.

Poſtremò, *Cogere* omnes, tam eccleſiaſticos quàm laicos, pœnis mulctiſque ad profeſſionem religionis ſupremo hoc regali imperio ſtabilitæ, ad regem ſive imperatorem ſpectabat. Hinc Conſtantinus exilium illis omnibus decernit, qui non parent decretis concilii Nicæni; Ruffinus lib. 1. cap. 5. Juſtinianus ait prædeceſſores ſuos conciliorum decreta confirmáſſe, & hæreticos qui definitionibus illorum reſiſtebant expuliſſe, 2. tom. concil. in 5. ſynod. Conſtant.

concil. tom. 1. Leo papa hoc poſtulat à Leone imperatore, epiſt. 73. *Quid religioſius poterit pietas veſtra decernere, quàm ut, quæ non tam humanis quàm divinis ſunt ſtatuta decretis, nullus ultrà ſinatur impetere?* Atque hoc concilium Pariſienſe ſub Ludovico agnoſcit ſpectare ad imperatorem; *Quod non prævalet ſacerdos efficere per doctrinæ ſermonem, poteſtas regia hoc imperat per diſciplinæ terrorem*; concil. tom. 3.

Rat. 4. Quem Deus læſæ majeſtatis reum peracturus eſt in extremo judicio, ſi vel falſam religionem permiſerit, vel veram non propugnaverit; hunc voluit Deus judicare, quæ ſit vera religio, quæ falſa: iniquum enim ut quis puniatur, quòd illud non præſcripſerit aliis, aut prohibuerit, de quo non licuit ſibi judicare, agendum, an omittendum fuerit nécne. At illud jam extra controverſiam eſt, reges, omnéſque adeò ſupremos magiſtratus, rationem Deo reddituros de fide, ac cultu, quem juſſerunt aut permiſerunt exerceri ab illis qui illorum dominio ſubjecti fuerunt. De talento enim ſibi commiſſo unuſquiſque rationem redditurus eſt; eſt autem ſuprema hæc & regia poteſtas, talentum regibus à Deo commiſſum, unde lucrum multiplex expectat, honorificentiam ſuam, repreſſionem malorum, libertatem bonorum: vúlteque ut ſit *quaſi baculus viam ſibi faciens, &c.* ut optimè Pariſienſis, de ſacr. pœn. cap. 18. Hinc Auguſtinus, de correctione Donatiſtarum cap. 13. *Quis mente ſobrius dicat regibus, Non ad vos pertinet, quis in regno veſtro velit eſſe ſive religioſus ſive ſacrilegus.* Et in eandem ſententiam Julius Firmicus; *Vobis, ſacratiſſimi imperatores, ad vindicandam & puniendam idololatriam neceſſitas imperatur, & hoc vobis Dei ſummi lege præcipitur.* Si ſacras Scripturas veteris Teſtamenti inſpiciamus, reges laudantur qui rectum Dei cultum ſuprema authoritate ſuâ obſervandum ſanciebant, qui idololatriam evertendam curabant, ſive major pars ſacerdotum judicavit id faciendum, ſive repugnavit. Sic in novo Teſta-

mento

mento reges terræ taxantur, quòd cum meretrice Babylonica scortati sunt; debuerunt igitur illâ repugnante idololatriam evertere, verámque religionem omnibus imperare. Apoc. 18. &c.

Postremò, ipsi patres, & papistæ etiam agnoscunt hoc officium esse regum, ut, etiam clero reclamante ac toto populo, veram religionem jubeant ab omnibus observari & retineri. Nam episcopi orthodoxi, in conciliis oppressi & obruti Arrianorum multitudine, contendebant oportere pios imperatores catholicam fidem tueri, utcunque episcopi erronei in contrarium decrevissent. Sic papistæ nostri proculdubio dicent, reges nostros teneri illam fidem imperio suo & authoritate omnibus præscribere, quam ipsi catholicam putant, utcunque maxima pars cleri ac populi Anglicani reclamaret. Ex omnium igitur sententia concludimus, regum esse officium, suprema suâ authoritate stabilire & injungere subditis suis veram fidem, sive populo sive ipso clero renitente. Rat. 5.

Contra hoc judicium civilis magistratus duo objici solent.

Si penes regem sit, subditis suis religionem præscribere, ad eámque profitendam pœnis vel ipsos ecclesiasticos cogere & compellere; tum facimus regem, etiam in spiritualibus, ipsis pastoribus & verbi ministris superiorem. At in hujusmodi rebus oportet eum sequi judicia pastorum, non illis præire judicando; exequi quæ ab illis judicata & decreta sunt, non sine illis aut contra illos decreta de religione condere. Object. 1.

Ut huic objectioni occurratur, id inprimis cupimus observari, Nos absolutum imperium statuendi aut decernendi in causis fidei, nec prælatis, nec regibus, nec ullæ creaturæ, sed soli Deo optimo maximo vindicâsse. Quando igitur dicimus, regum esse præscribere subditis omnibus quæ religio ab illis observanda sit, id semper intelligimus, hanc illorum præscriptionem ac jussionem fundari oportere in verbo divino: à quo si aberraverint, vel prælati, vel ipsi reges, illud apostoli valebit, *Deo potius obedire oportet, quàm hominibus*. Nam, ut verè Symmachus in apologetico, *Potestates suo loco humanas suscipimus, donec contra Deum suas erigunt voluntates*. Sol. &c.

Secundò, dicimus, circa dogmata & decreta fidei alio respectu prælatos ecclesiasticos, alio autem magistratus civiles primas partes obtinere. In disquirendo, dirigendo, docendo, theologi ordinariè & ratione vocationis suæ præire debent ipsis regibus: sed in judicando, sanciendo, cogendo, reges longè antecellunt. Theologorum est igitur, in controversiis religionis studiosè investigare veritatem, inventam fideliter prædicare & proponere omnibus, ipsisque adeò regibus; eámque etiam cum dispendio sanguinis (si opus sit) propugnare: sed cùm hæc omnia fecerint, regis solius est edicere, Volo, jubeo, ut à meis subditis hæc fides colatur & retineatur, ut refractarii amissione bonorum, exilio, vel capite plectantur. (a)

Postremò,

Poſtremò, & illud addo, non poſſe eccleſiaſticos, tanquam ſuperiores dominos, virtute officii ſui cogere regem, ut pro vera religione ſuſcipiat quamcunque illi ſuffragiis ſuis probaverint; ſed verbo illum dirigere debent, ſemper hoc illi relinquentes, ut illud ſuâ authoritate firmet, ac ſubditis imponat, quod ipſi rationes illorum conſideranti videtur cum verbo Dei conſentire. Atque hic eſt ſuprematus ille, quem noſtris regibus concedimus in cauſis fidei; quem tota natio Jeſuitarum nunquam poterit probabili aliquo argumento refellere. Hæc ad primam objectionem.

Object. 2. Objicit Bellarminus, Si princeps habet ſupremam poteſtatem judicandi & decernendi de doctrina religionis, & cogendi ſubditos ad illam fidem quam ipſe judicavit eſſe veram; tum ſubditi tenentur ſemper ſequi principis judicium in negotio religionis: at hoc falſum eſt; nam illi, ex proteſtantium ſententia, non ſemper tenentur obedire. Atque hîc Brentium vellicat Jeſuita, quaſi pugnantia docuerit, cùm affirmet, principes debere cogere ſubditos ad illam religionem quam ipſi judicaverint eſſe veram, & ſimul doceat, ſubditos non debere admittere religionem à principe imperatam, niſi & ipſi illam veram eſſe apud animam & conſcientiam ſuam reputaverint. Tandémque concludit, ex noſtra ſententia papiſticos magiſtratus rectè facturos, ſi ſuppliciis cogant noſtros homines, illorum ditioni ſubjectos, ad fidem papiſticam, quam illi veram eſſe judicárunt; de verbi Dei interp. lib. 3. cap. 3.

Sol. Sed facilè Brentium, noſtrámq; ſententiam, ab hiſce tendiculis expediemus. Connexum igitur illud Bellarmini, *Si principes habent ſupremam poteſtatem judicandi de religione, & cogendi ſubditos ad illud quod ab ipſis judicatum eſt, tum ſubditis omnibus incumbit abſoluta neceſſitas obediendi*, dico falſum eſſe. Nam ſuprema hæc poteſtas principum, *ſuprema* dicitur, non quòd abſolutè talis ſit, ſed quòd inter homines nulla ſit ſuperior; in ſe autem eſt limitata, & Deo ac divinis legibus ſubordinata. Quando verò poteſtas limitata à Deo excedit ac tranſgreditur ſuos limites, parendum eſt illi, non faciendo quod contra legem divinam jubet, ſed potiùs patiendo ſupplicium quod pro imperio infligit. Etſi igitur reges conceſſam habent à Deo judicandi & cogendi poteſtatem; tamen quando malè judicant, & ad mala cogere volunt, ſubditi in talibus non habent ullam obediendi neceſſitatem. Obtuſum igitur ſe hoc in loco præbet Bellarminus, qui non diſtinguit inter ipſam poteſtatem à Deo conceſſam, & abuſum ejuſdem poteſtatis, ex humana cæcitate aut pravitate dimanantem. Habent reges poteſtatem judicandi & cogendi, ſed judicandi quod falſum eſt, & cogendi ad illud quod impium eſt, nullam habent: quoties ergò hoc faciunt, ſubditi non debent illis contra Deum obedire. Rectè Gerſon; *Qui abuſui poteſtatis reſiſtit, non reſiſtit divinæ ordinationi*; conſid. de pace, part. 1.

Jam venio ad duo Brentii pronuntiata, quæ Bellarminus conatur

inter

inter se collidere; sed revera non sunt pugnantia aut ἀσύστατα. Prius erat; Principes debent cogere subditos ad illam religionem quam ipsi in conscientia sua judicant esse veram. Posterius; Subditi non debent profiteri religionem à principe imperatam, nisi & ipsi simul judicaverint illam esse sanam & orthodoxam. Ad prius quod attinet, dico principem peccare si non cogat subditos ad illam religionem quam veram esse publicè judicavit; sed simul assero, illum non debere aliam veram judicare ab illa, quam ipse Deus in verbo judicavit veram. Quando igitur princeps fallitur in judicando, non tenetur erroneum suum judicium subditis obtrudere, sed errorem suum deponere: stante autem errore perplexus hæret; nam si cogat subditos ad illam fidem erroneam, peccat contra legem divinam: si non cogat, peccat contra conscientiam, quia quam putat esse veram religionem negligit tueri. Quod igitur Brentius dixit, *Teneri regem ut cogat subditos ad fidem quam ipse in corde suo judicat veram*, nihil aliud voluit, quàm peccare illum si id non fecerit, vel directè contra legem Dei quando rectè judicat, vel contra conscientiam suam erroneam quando fallitur. Jam quod attinet ad posteriorem Brentii propositionem, scilicet subditos non debere profiteri religionem, nisi quam ipsi judicaverint veram; ejus veritas indè liquet, quia coactiva principis potestas non absolutè ligat subditum, sed sub hac conditione, nisi cogere velit ad illicitum. Semper igitur relinquitur subditis facultas probandi atque judicandi apud animum suum, nunquid impium aut illicitum sit quod proponitur nécne: si impium, patiendum potiùs quod rex minatur, quàm faciendum quod ab illo jubetur. Hoc docuit Augustinus de correct. Donat. cap. 13. *Quando reges pro falsitate contra veritatem constituunt malas leges, probantur bene credentes, & coronantur perseverantes.* Non dicit Augustinus, *Probantur obedientes*, sed *in vera fide perseverantes*: & tamen regibus concedit hanc potestatem ferendi leges, etiam in causa fidei & religionis. Si Brentius pugnantia loquitur, tum etiam & Augustinus.

Ad illationem Bellarmini, in qua dicit, *Ex nostra sententia rectè facturos papisticos principes, si nostros cogant ad papismum*, respondemus, falsam esse. Nam utcunque principis officium est, cogere ad religionem subditos, ut passim ostendit Augustinus; tamen non rectè faciunt, qui cogunt ad superstitionem: papismus autem superstitio est, non vera religio. Atque hęc de suprema illa, & armata (ut ità loquar) potestate judicandi quæ semper residet penes supremum gubernatorem politicum.

Accepistis jam triplex judicium ministeriale, quod vigere debet in ecclesia: primum, *pastoralis directionis*; alterum, *episcopalis* vel *synodalis jurisdictionis*; ultimum, *regalis imperii*, & *coactionis*. Hîc igitur primæ quæstionis finis esto.

Cap. XV.

Quæſt. 2. *De neceſſitate judicum miniſterialium.*

AD ſecundam quæſtionem accedamus, in qua breviter oſtendendum eſt, quæ ac quanta ſit neceſſitas horum judicum, de quibus ſuperiore quæſtione diſputatum eſt: ac de ſingulis ſeorſum agemus.

Theſis 1. Judicium illud, quod appellavimus *paſtoralis directionis*, eſt in eccleſia Dei prorſus neceſſarium.

1. Quia ex paſtoribus docentibus & judicio ſuo aliis præeuntibus, atque ex populo audiente & diſcente conſtituitur militans eccleſia: integrantes enim partes particularis cujuſcunque eccleſiæ, ſunt paſtores & oves, hoc eſt, prædicatores verbi divini & auditores, interpretes rerum divinarum ac diſcipuli earundem; ipſa igitur eccleſiæ natura & eſſentia poſtulat hoc diſcrimen perſonarum.

2. Doctrinæ ſacræ altitudo efflagitat hujuſmodi ordinem paſtorum docentium, atque ſuo judicio alios informantium. Non enim defendimus (quod nobis imponunt papiſtæ) doctrinam fidei in Scripturis poſitam tam planam eſſe & perſpicuam, ut omnino operâ interpretis & doctoris non indigeat, ſed agnoſcimus uſum & neceſſitatem miniſterii à Deo conſtituti, tum ad cætera, tum præcipuè ad explanandas Scripturas, fideíq; dogmata iiſdem comprehenſa. Nam uecunque Scripturarum cognitio pertinet ad omnes, hunc tamen ordinem Deus obſervari voluit in eccleſia, ut paſtores ſacræ Scripturæ dogmata publicè doceant & expromant, & quaſi ob oculos aliis proponant. Quando igitur laici inſolenter invadunt hoc munus paſtorum, meritò audiunt illud Nazianzeni; *Cur te ipſum facis paſtorem, cùm ſis ovis? cur caput eſſe contendis, cùm pes exiſtas? cur exercitum ducere quæris, cùm inter milites adhuc cenſeariis?* orat. 21. de modeſt. obſerv.

Poſtremò, Imbecillitas vulgarium judiciorum (ut taceam negligentiam, & ſeculares laicorum curas) oſtendit planè neceſſarium eſſe ordinem illum paſtorum in eccleſia, qui ex profeſſo verſentur in ſtudio Scripturarum, & hoc judicio directionis præeant cæteris in via catholicæ veritatis. Si enim tales non eſſent, brevi apud quamplurimos periret doctrina fidei orthodoxæ, atque errorum monſtra totam eccleſiam occuparent. Experientia hoc teſtatur; nam ſchiſmatici illi, apud quos non eſt ſtatus ordo paſtorum, tot ferè habent diverſas de fide & religione ſententias, quot homines.

Theſ. 2. Judicium illud juriſdictionis, quod armatur ſpiritualibus cenſuris, eſt etiam abſolutæ neceſſitatis in eccleſia.

Hoc autem judicium (ut illud obiter annotemus) vel exercetur ſeorſum in qualibet particulari eccleſia ab epiſcopo, ſive ſúmo antiſtite

ejuſdem,

ejusdem, in causis minoribus; vel *conjunctim* ab episcopis & presbyteris congregatis, sive in particularibus, sive œcumenicis conciliis, in causis gravioribus. Quando unus episcopus censorium hoc judicium exercet, facit illud, non privatâ suâ authoritate, sed in nomine atque authoritate ecclesiæ, quæ illum ad clavum voluit sedere, & hujusmodi negotia administrare. Sic enim Parisiensis non incommodè; *Potestas judiciaria est ipsius ecclesiæ, cujus minister ad hanc rem episcopus est constitutus*; de sacr. ord. cap. 10. Sic etiam, quando plures in conciliis decernunt, atque suis decretis censuras addunt, faciunt illud quatenus repræsentant ecclesiam, atque ab illa electi & constituti sunt, tanquam maximè idonei ad judicandum.

1. Cor. 5. 3.

Jam verò, ut quæ sit necessitas hujus judicii cum potestate censurarum spiritualium conjuncti ostendam, duo breviter declarabo.

In omni ecclesia particulari bene constitutâ, necessarium est ut talis potestas judicandi tribuatur synodo sive concilio prælatorum. 1.

Ipse Deus atque Dominus noster Jesus Christus tale judicium commisit singulis ecclesiis; ergò necessarium est ut retineatur & exerceatur ab iisdem. In veteri Testamento sacerdotes congregati habebant hanc authoritatem judicandi de rebus controversis, atque censuras distringendi in illos qui illorum decretis stare noluerunt. Eandem etiam in novo receperunt, quando in persona Petri claves commissæ fuerunt ecclesiæ: claves, non prædicationis modò, sed jurisdictionis, quibus immorigeros & refractarios ligent, & postea ejiciant tanquam Ethnicos & publicanos. *Rat.* 1. Deut. 17.

Ipsi pastores, quorum est dirigere greges suos, quandoque pugnant & dissentiunt inter se de dogmatibus fidei, de cæremoniis ecclesiasticis, aliisque rebus ad religionem pertinentibus. Quoties autem hoc evenit, dilaniantur ecclesiæ, disseminantur discordiæ, nisi convocato communi concilio potestas sit in qualibet ecclesia hasce lites dirimendi, & contumaces atque refractarios censuris coercendi. Talis necessitas occasionem præbuit illi concilio celebrando, de quo Actorum 15. *Rat.* 2.

Honor Dei, honor ecclesiæ, salus religionis, bonum ipsius populi Christiani, efflagitant tale judicium, quod armatum sit potestate spiritualium censurarum. Nam positâ hominum insciti â, & pervicaciâ (quæ duo vitia ad finem usque seculi grassabuntur) impossibile est absque hoc remedio tueri sive Dei honorem sive religionis integritatem. Incidunt enim sæpenumero illa tempora, in quibus singuli pastores non possunt improborum pervicaciam prædicando aut admonendo flectere per judicium nudæ directionis: atque tunc necesse est, ut conglobati in conciliis, conjunctis viribus laboranti ecclesiæ succurrant; impios scilicet errores condemnando, præfractos hæreticos excommunicando, impuros deniq; & incor- *Rat.* 3.

rigibiles (tanquam membra putrida) à reliquo corpore eccleſiæ abſcindendo.

Rat. 4. Neceſſitatem horum conciliorum colligere poſſumus ex praxi & decretis ipſius eccleſiæ. Habemus enim praxin ipſorum apoſtolorum, Actorum 15. Quorum exemplum imitati epiſcopi multa provincialia concilia celebrabant, etiam ſub imperatoribus Paganis, & religioni noſtræ infeſtis. Nam ante Conſtantini tempora celebratum legimus concilium Carthaginenſe, Antiochenum, Neocæſarienſe, aliáque nonnulla, in quibus omnibus prælati exercuerunt hoc judicium coercionis. Quinetiam præter hanc praxin eccleſiæ, in celeberrimo illo concilio Nicæno (quia videbant neceſſitatem hujus judicii ſynodalis) ſancitum fuit, ut per ſingulos annos in ſingulis quibuſque provinciis concilia convocarentur. Juſtinianus quoque lege latâ ſanxit, ut in ſingulis provinciis curarent archiepiſcopi bis quotannis, aut ſemel ad minimum, concilia celebrari. Ex hiſce omnibus igitur apparet, judiciariam ſynodorum authoritatem ad eccleſiæ pacem, ac ſalutem conſervandam, eſſe inprimis neceſſariam. Hæc de primo.

Can. 5.

Novell. conſtit. 123.

2. Judicium concilii univerſalis, vel œcumenici, *utile* eſt, ſi poſſit haberi; ſed non eſt *abſolutè neceſſarium* ad incolumitatem eccleſiæ. De *utilitate* non dubitatur; non autem eſſe *abſolutè neceſſarium* hiſce rationibus breviter oſtendi poteſt.

1 Primò, quia ut controverſiæ referantur ad determinationem œcumenici concilii, ex toto orbe terrarum convocati, nullum habemus mandatum in ſacris literis. Promittunt illæ Spiritum ſanctum duobus aut tribus congregatis in nomine Chriſti; ſed hoc ad particulares potiùs conventus, qui aguntur in particularibus eccleſiis, quàm ad univerſales & œcumenicos ſpectat. Volunt etiam ſacræ literæ ut pro ethnico & publicano habeatur, qui eccleſiam non audit: ſed hîc etiam locus ad eccleſiam illam particularem in qua vivimus referendus eſt, non ad œcumenicam in conciliis generalibus repræſentatam. Quandoquidem igitur Chriſtus nullibi præcepit ut celebrentur concilia œcumenica, manifeſtum eſt, illorum celebrationem non eſſe abſolutæ neceſſitatis.

2 Secundò, quia provinciales eccleſiæ ſatis commodè poſſunt veram religionem apud ſuos conſervare, ſchiſmata & hæreſes extirpare, omnes denique controverſias domi ortas componere ſupremo ſuorum paſtorum concilio, quamvis univerſalia & œcumenica celebrari nequeant. Experientia antiquioris eccleſiæ teſtatur hoc eſſe veriſſimum: nam ea caruit generalibus conciliis uſque ad tempora Conſtantini; & nihilominus tribus illis primis annorum centuriis maximè floruit morum ſanctitate, & fidei puritate.

3 Tertiò, quia, ſi univerſalia & œcumenica concilia eſſent abſolutè neceſſaria, miſerè à Deo proſpectum eſſet eccleſiæ ſuæ, quæ fulcro hoc neceſſario ſæpiſſime deſtituitur. Impium autem eſt, pu-

tare

tare Deum aliquando defuisse, aut unquam defore ecclesiæ suæ in necessariis. Jam verò satis clarum, defuisse ecclesiæ Christianæ hanc facultatem celebrandi concilia œcumenica usque ad tempora Constantini. Nam sub Paganis imperatoribus, neque tutum neque possibile fuit piis episcopis in unum locum convenire, & decreta sua toti populo Christiano promulgare. Atque ut olim per sævitiam & tyrannidem Paganorum, sic multis hisce seculis per tyrannidem & superbiam pontificum Romanorum, sublata fuit omnis *possibilitas*, aut saltem *utilitas* concilii œcumenici. Non *potest* haberi tale concilium, quia orientales ecclesiæ, ac florentissimæ etiam occidentales, Romanam synagogam propter fœdam idololatriam, errores crassos, atque Antichristianam tyrannidem, tanquam desperatam & conclamatam dereliquerunt. Si cogeretur tale concilium, non posset indè aliquid *emolumenti* ad ecclesiam redire: quia apud istos *papæ solius sententiæ standum est potiùs, quàm totius mundi*; Alvarus de planctu eccl. l. 6. Quicquid igitur judicaret concilium, pro irrito haberetur, nisi in ipsissimam sententiam incideret, quam papa sedens in Vaticano præconceptam habuit in scrinio pectoris sui. Hoc ultro fatentur Romanenses. Bellarminus de concil. lib. 2. cap. 11. & cap. 18. hæc verba habet; *Omnia concilia tandem revocanda sunt ad examen pontificis Romani, ut quæ ille probat recipiantur, quæ improbat rejiciantur.* Canus lib. 5. cap. 5. *Pondus conciliis dat summi pontificis authoritas, quæ si desit, nulli patres sunt satis.* Gregorius de Valentia, anal. fidei, lib. 8. cap. 7. *Ante confirmationem papæ minimè constat rata esse conciliorum decreta, etiamsi legati ipsius papæ assenserint; nisi sequantur instructionem, & quasi conceptam jam antè definitionem pontificis, quam ab ipso acceperunt.* Quorsum hæc omnia? Ut intelligatis, provincialibus conciliis particulares ecclesias satis commodè gubernari posse; neque necessarium esse judicium œcumenici concilii, quod (ut se res habent Christianorum) nè sperari quidem priùs potest, quàm papa Romanus se abdicaverit usurpato hoc suo & Antichristiano imperio. Hoc jampridem animadvertit gravis theologus, Gerson Parisiensis, qui scripsit in dial. apologet. *Reformationem ecclesiæ, & debitam terminationem controversiarum haberi non posse sine forti favore potentiæ secularis:* Atque monuit, ut *interim provideant & prospiciant sibi membra per provincias & regna.* Hoc consilium secuti sunt protestantes, & nacti favorem piorum principum, per provincias & regna conciliis provincialibus perfidiam papisticam expulerunt, fidem apostolicam revocârunt, præfractos denique & immorigeros censuris ecclesiasticis coercuerunt. Atque hactenus de judicio jurisdictionis spiritualis; restat ut de necessitate politici illius judicii, quod habet annexam temporalem & externam coercitionem, pauca adjiciamus.

Judicium igitur illud coactivum, quod in causis religionis competit civili magistratui, non est absolutè necessarium, sive *Thes. 3.*

ad plantandam, ſive ad propagandam fidem Chriſtianam.

Rat. 1. Quod probatur experientiâ primitivæ eccleſiæ, quæ plantata ac per totum terrarum orbem diſſeminata fuit operâ paucorum piſcatorum, regibus terræ non modò minimè faventibus, ſed frementibus, atque fidem Chriſtianam impugnantibus. Poteſt itaque ſtare fides noſtra, etiamſi non fulciatur præſidiis aut edictis regum terrenorum. Omnes ferè veteres patres hoc nomine religionem noſtram ſupra philoſophiam extulerunt. Clemens, Strom. 6. *Græcam philoſophiam ſi quivis magiſtratus prohibuerit, ea ſtatim perit; doctrinam Chriſtianam oppugnant reges, & tamen creſcit.* Et Auguſtinus epiſt. 42. *Victi ſunt Gentiles, non à repugnantibus, ſed à morientibus Chriſtianis.* Nam uſque ad Conſtantini tempora imperatorum judiciaria authoritas religionem noſtram damnavit, ſuperſtitionem Ethnicam mandavit; hæc tamen proſtrata ac conculcata indies fuit, noſtra autem fides caput exeruit magis ac magis, tandémque pleniſſimè de ſuperata idololatria triumphavit.

Rat. 2. Idem demonſtratur ex ſufficientia mediorum ſpiritualium quibus eccleſia Chriſti inſtructa valet ad fidem Chriſtianam propagandam, ſive reges terræ pro illa, ſive contra illam ſententiam tulerint. Miniſterium enim à Chriſto conſtitutum, atque in finem ſeculi duraturum, verbo, & Spiritu veritatis armatum, potens fuit eritque ſemper ad religionem propagandam ac conſervandam in cordibus electorum, atque ad evertendam omnem hæreſin quæ ſeſe effert contra fidem orthodoxam. Hoc Paulus profitetur ad Cor. 2. 10. 3. *In carne incedentes, ſecundum carnem bellum non gerimus. Arma enim militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed divinitus valida ad ſubverſionem munitionum, &c.* Non eſt igitur ſimpliciter neceſſarium judicium illud coactivum quod reſidet in civili magiſtratu; ſed ſive ab illo exerceatur, ſive non, Chriſtus per miniſterium à ſeipſo conſtitutum fidem Chriſtianam conſervabit.

Sed hîc illud adjungendum eſt; Utcunque non ſit *neceſſarium* hoc judicium ſupremi magiſtratus ad religionem conſervandam, eſt tamen *perutile*, & ab eccleſia optandum & magnificiendum, quoties divino beneficio conceditur: atque ipſi magiſtratus tenentur ad illud exercendum.

Quod patet,

1. Ex promiſſione divina olim facta eccleſiæ ſuæ: In illis verbis quæ habentur Eſaiæ 49. 23. *Erunt reges nutritii tui, & reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demiſſo adorabunt te, &c.* ingens beneficium eccleſiæ à Deo promittitur, atque officium ſimul ipſorum regum oſtenditur. Quando igitur reges gladio ſuo protegunt eccleſiam, ac authoritate ſuâ confirmant fidem orthodoxam, hæreticóſque pertinaces pœnis adjudicant, facit illud quidem permultùm ad externam gloriam, pacem, & lætitiam eccleſiæ.

2. Quàm bonum ſit, atque fructuoſum eccleſiæ, ut reges ſupremâ

má suâ authoritate veram religionem stabiliant, falsam explodant, exemplis quamplurimis patefactum est, tum in Judaica ecclesia, tum in Christiana. Nam cùm reges boni & pii suo judicio veram religionem comprobârunt, ea ab omnibus illico suscepta ac probata fuit, quod sub Davide, Josia, Constantino, Theodosio, aliisque accidit: è contrà, quoties impii aut superstitiosi reges suo calculo idololatriam aut hæreticam pravitatem confirmârunt, ea apud plures obtinuit, sanámque fidem si non extinxit, compressit tamen, & in angustias redegit; quod sub Jeroboamo, Achabo, Constantio, Valenti, atque sub Turcicis imperatoribus evénisse clarum est. Atque hinc stigma illud inuritur Jeroboamo, quòd *fecerit Israelem peccare*, 2. Reg. 3. 3. Nec mirum: nam *mores & vitia regis imitari, genus obsequii judicatur*, ut verè Lactantius lib. 5. cap. 6.

3. Patet utilitas hujus judiciariæ authoritatis, quam civili magistratui tribuimus, ex communi hominũ natura, & conditione; quæ talis est, ut timore sæpius, quàm amore, ad officium suum præstandum excitetur. Nam utcunque meliores illi sunt quos flectit amor, plures tamen illi sunt, quos cogit timor officium suum facere. Hinc ergò perspicitur utilitas judicii illius coactivi, quod timore pœnarum adigit subditos ad veræ religionis professionem. Hoc enim judicium illud est quod continet quamplurimos in externo Dei cultu, & professione fidei orthodoxæ. Unde Nazianzenus, orat. 30. ad imperatorem, *Non tantum sermo meus potest qui pro Trinitate depugnat, quantum mandatum tuum.* Atque sic explicatam habetis secundam quæstionem de *necessitate* horum judicum ministerialium; de *potestate* eorundem in tertia quæstione erit differendum. 3

Cap. XVI.

Quæst. 3. De *potestate ministerialium judicum.*

Quandoquidem nihil tam utile ac salutare est reipublicæ aut ecclesiæ, quod noxam pestémque non afferat, si limites sibi præscriptos transiliat; haud ab re erit inquirere, quousque se extendat potestas sive authoritas horum judicum, quos ipse Christus ecclesiæ suæ instituendæ ac gubernandæ præfecit. De inferioribus ministris quibus competit judicium nudæ directionis, quia carent potestate coactivâ, nihil dicam; de illis autem qui habent jurisdictionem & coercitionem, sive spiritualem, sive temporalem, quid sentiendum sit paucis expediam. Atque primò de judicibus illis qui habent jurisdictionem spiritualem, hoc est, de episcopis ac prælatis, præsertim in concilio congregatis. Horum igitur potestas

tas conſideranda eſt triplici reſpectu, *cæremoniarum*, *doctrinarum*, & *perſonarum*. Quod ad *cæremonias* ſive *ritus* attinet, cæteráque quæ ſpectant externum eccleſiæ ordinem & decorum, hanc theſin ponimus.

Theſis 1. Prælati eccleſiaſtici habent poteſtatem judicandi de ritibus ac conſtitutionibus ad externam eccleſiæ politiam pertinentibus, eoſdémque inſtituendi, mutandi, abrogandi, prout eccleſiæ videbitur expedire.

Rat. 1. Hoc inprimis oſtenditur, quia curandum eſt, ut omnia *decenter & ordine fiant* in eccleſia Dei: in rebus autem agendis, ſi deſit ſtata quædam forma, & certi ritus, ordinem turbari, ac confuſionem induci eſt neceſſe. Verbi causâ; Si ſingulorum arbitrio relinqueretur, quo tempore, quóve loco ad ſacra vellent convenire; quâ formâ publicas preces peragere, quibus ritibus miniſtros conſecrare baptiſmum, aut cœnam adminiſtrare; uno verbo, quem ordinem in externa eccleſiæ diſciplina vellent obſervare; manifeſtum eſt, eccleſiam confuſionibus, diſſentionibus, ac turbis vexatum ac dilaceratum iri. Ut itaque huic malo occurratur, judiciaria quædam poteſtas præſcribendi ritus utiles & decoros vigere debet in eccleſia: ſi autem eccleſiæ tribuatur hæc poteſtas, æquum eſt, & rationi conſentaneum, ut eandem penes præpoſitos eccleſiaſticos (qui de hiſce rebus optimè judicant) reſidere ſtatuamus. Hoc Auguſtino viſum in epiſt. ad Caſulanum 86. *Epiſcopo tuo in hiſce noli reſiſtere, & quod facit ipſe, ſine ullo ſcrupulo ſectare.*

1. Cor. 14. 40.

Rat. 2. Secundo in loco, confirmamus hanc poteſtatem eccleſiaſticorum præpoſitorum ab exemplis & praxi eccleſiæ apoſtolicæ atque ſubſequentis. Apoſtoli enim, quatenus erant ordinarii eccleſiæ rectores, de hiſce ritibus externis pro ſua ſapientia ſtatuebant, quod ad ædificationem & utilitatem eccleſiæ facere videbatur. Huc referre licet præceptum illud apoſtolicum de collectis die Sabbati faciendis, 1. Cor. 16. 2. Illud etiam de capite virorum nudando, mulierum velando in eccleſia, 1. Cor. 11. 5. atque omnia illa externę diſciplinæ decreta, de quibus veriſimile eſt Paulum locutum 1. ad Corinth. cap. 11. verſu ultimo, hiſce verbis, *Cætera autem cùm venero diſponam.* Nè autem quis ſuſpicetur, in hiſce externis ritibus non licere aliis præpoſitis aliquid inſtituere, utcunque apoſtolis hoc conceſſum fuerit; habemus perpetuam praxin piorum epiſcoporum ab ipſis uſque apoſtolis ad noſtram hanc ætatem, qui in conciliis ac conventibus ſuis hanc poteſtatem ſibi ſemper vendicárunt: illud autem, quod ſemper & vbique ab eccleſia factitatum eſt, in quæſtionem vocare, non longè abeſt ab inſania.

Rat. 3. Tertiò, neceſſe eſt ut præſenti eccleſiæ hanc poteſtatem tribuamus, quia multa primitivę eccleſiæ inſtituta noſtris temporibus non conveniant. Utcunque enim ipſa fides, & cultus à Deo præſcriptus, nullâ authoritate mutari aut abrogari poſſunt; tamen externa quædam

dam & accidentalia circa religionem decreta quandoque mutari, ex usu ecclesiæ est. Apostolorum temporibus electæ fuerunt piæ quædam mulieres in servitium ecclesiæ, qualis fuit Phœbe quam Paulus appellat διάκονον τῆς ἐκκλησίας τῆς ἐν Κεγχρεαῖς· at hoc jam abrogatum est, utpote minimè necessarium. Habebant charitatis festa, quas ἀγάπας vocabant, & φίλημα ἅγιον· at utraque jam ecclesiasticâ authoritate sublata sunt. Sic post apostolos, ritus trinæ immersionis à patribus in baptismo usurpari solebat, ut testantur Tertullianus de corona militis & Basilius de Spiritu sancto, cap. 27. At postquam Arriani abuti cœperunt hâc cæremoniâ, in concilio Toletano 4. cap. 5. statutum est, ut unica immersio in ejus locum succederet. In hujusmodi igitur rebus, habet quælibet ecclesia potestatem ritus utiles præcipiendi, eosdémque quando incipiunt obesse ecclesiæ mutandi, aut prorsus abolendi. Est itaque modesti Christiani, in hisce externis, & adiaphoris, submittere judicium suum judicio ecclesiæ: nam probum est illud Augustini monitum, *Ad quamcunque ecclesiam veneris, ejus morem observa, si pati scandalum non vis aut facere*; epist. 86.

Rom. 16. 1.

Judæ. 12. Rom. 16. 16.

Videtis quæ sit potestas judicum ecclesiasticorum circa cæremonias, aliásque res externas, ad ordinem disciplinæ pertinentes: jam quis sit abusus hujus potestatis ostendamus.

Hâc itaque potestate præpositi ecclesiæ abuti possunt multis modis.

1. Quando sub rituum, cæremoniarum, aut boni ordinis nomine obtrudunt Christianis mandata verbo divino contraria: ut si imperent reliquiarum cultum, crucis adorationem, ministrorum perpetuum cælibatum, eucharistiæ sub una specie celebrationem, ejúsque generis alia sacris Scripturis apertè repugnantia. In talibus cum Cypriano dicendum, *Adulterum est, impium est, sacrilegum est, quicquid humano furore instituitur, ut dispositio divina violetur*; epist. lib. 1. epist. 8. Atque hoc ipso nomine Servator noster Pharisæos olim taxavit, quòd *per traditiones suas irritum fecerunt mandatum Dei*; Matt. 15. 6.

2. Quando res suâ naturâ adiaphoras, quæ utilitatem habere possunt, præcipiunt populo quasi essent necessariæ, & essentiales partes cultus divini: quod faciunt, quoties exercitio suarum traditionum docent Deum placari, peccatorum remissionem obtineri, atq; merita nescio quæ cumulari. Sic monachi, quòd carnibus abstineant, quòd cælibatum voveant, quòd abdicatâ bonorum externorum proprietate ex eleemosynis vivant, putant se gratissimum hisce observationibus cultum Deo exhibere, atq; ingentem meritorum thesaurum sibimetipsis concervare. Sed hæc insomnia ipse Christus dicto Esaiæ refutavit, Matth. 15. 9. *Frustrà me colunt, docentes doctrinas quæ sunt mandata hominum.* Sit itaque hæc secunda limitatio;

Nihil poſſunt de ſuo ſancire prælati ſub opinione cultus.

3. Quando ritibus ſuis adſcribunt effectus ſpirituales, aut ſupernaturales, qui ex talibus rebus oriri non poſſunt ſine expreſſa ordinatione & promiſſione divina, quibus interim deſtituuntur: ut cùm aſperſioni aquæ benedictæ ablutionem levium & venalium (ut illi loquuntur) peccatorum attribuunt; cùm ſignaculo crucis rerum ſignatarum ſanctificationem, diabolorum propulſationẽ adſcribunt. Nullum extat verbum Dei, quod hanc ſpiritualem gratiam hiſce externis ſignis copulavit; ſuperſtitioſè igitur in talem finem adhibentur, aut imperantur. Sit itaque hæc tertia reſtrictio eccleſiaſticæ poteſtatis in materia cæremoniarum; Nihil debent in hiſce externis rebus præſcribere populo Chriſtiano, quaſi haberet ex illorum ordinatione ſpiritualem gratiam aut efficaciam ſibi annexam.

4. Quando numero & multitudine cæremoniarum præter æquum & bonum onerant Chriſtianos, & eàdem operâ abducunt à ſtudio mandatorum divinorum. Quamvis enim ritus ab illis inſtituti non repugnent verbo divino, non licet tamen eoſdem ità multiplicare, ut ipſo numero religionem Chriſtianam, quam Deus liberam eſſe voluit, gravi jugo opprimant; & ipsâ obſervatione Chriſtianos, quos in lege ſua obſervanda Deus occupatos eſſe voluit, à ſtudio mandatorum divinorum avocent, & impediant. Nam ſupervacua occupatio circa traditiones humanas gignit ignorantiam divinorum præceptorum. Unde olim graviter conqueſtus eſt Gerſon de multiplicatione immodica cæremoniarum, traditionum, ac mandatorum humanorum; *Quid vult conſtitutionum talis multiplicatio, evangelio nec cognito, nec obſervato? Sciatur inprimis, & ſervetur evangelium*; part. 1. Et part. 3. *Tanta eſt hujuſmodi conſtitutionum multitudo, ut, ſi tenerentur in ſuo rigore, maxima pars eccleſiæ damnaretur.* En præclaram utilitatem papiſticarum conſtitutionum. Sit itaq; hæc quarta limitatio eccleſiaſticæ poteſtatis in ritibus ac conſtitutionibus ſanciendis; Non debent prælati in rebus ſuâ naturâ adiaphoris & licitis nimiâ multitudine conſtitutionum infringere illam libertatem Chriſtianam, quam ſub evangelio Chriſtus eccleſiæ ſuæ concedi voluit.

5. Quando ſua mandata de hiſce ritibus, rebúſque externis, non tanquam humanæ infirmitatis rudimenta ſub pœna temporali, aut eccleſiaſticâ, ſed tanquam ſtatuta ipſius Dei, ſub reatu æternæ mortis, implenda proponunt. At hoc eſt egredi terminos poteſtatis delegatę: nam Deus, qui eſt unicus animarum rex, animis leges fert ſub pœna æterna: homines poſſunt tantùm externi ordinis causâ leges ſancire ſub pœna temporali. Ritus igitur à prælatis inſtituti obligant ad non contemnendum, atque inſuper ad obediendum: ità tamen ut, ſi extra caſum ſcandali aut contemptus, imprudentiâ, oblivione, aut impellente aliquâ causâ rationabili

nabili omittantur, crimen lethale coram Deo non incurratur. Nam quod attinet ad haſce conſtitutiones, veriſſimam arbitror Gerſonis ſententiam, *Inviolatas* ſcilicet *illas manere, quamdiu charitatis lex ab hominibus circa eaſdem non violatur*; part. 3. de vita ſpirit. lect. 6. Sit itaque hæc ultima regula; Non debent nec poſſunt prælati ad obſervationem conſtitutionum de rebus hiſce cæremonialibus, & ſuâ naturâ adiaphoris, obligare homines ſimpliciter & neceſſariò ſub reatu æternæ mortis.

Atque ſic explicatum eſt, quanta ſit poteſtas judicum eccleſiaſticorum reſpectu *cæremoniarum*: jam quid poſſunt reſpectu *doctrinarum* diſpiciendum eſt: qua de re hanc theſin proponimus.

Prælati eccleſiaſtici habent poteſtatem proponendi, exponendi, & præſcribendi populo doctrinam illam de fide & cultu quam ſacræ Scripturæ continent; ſed novam doctrinam condendi aut promulgandi nullam omnino habent poteſtatem. *Theſis 2.*

Ad priorem partem quod attinet, nimirum, *præpoſitos eccleſiæ eſſe publicos interpretes, & præcones doctrinæ ſacræ in Scripturis revelatæ*, in prima quæſtione de judice miniſteriali demonſtratum eſt, nec indiget novâ probatione, hoc enim ad illorum officium ſpectare in confeſſo eſt apud omnes, & Scripturæ paſſim illud teſtantur. Matt. 28. *Docete omnes gentes ſervare quæ mandavi vobis, &c.* 1. Cor. 4. 1. *Sic nos æſtimet homo, ut miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum.* 1. Pet. 4. 11. *Si quis loquitur, quaſi ſermones Dei.* Ad alteram partem quod attinet, *non poſſe* ſcilicet *prælatos condere novam aliquam doctrinam de fide aut cultu non revelatam in verbo divino*, multis argumentis oſtendi poteſt.

1. Condere doctrinam fidei & cultus, eſt actus ejus qui dominatur fidei & animæ noſtræ: ſed hoc ſolius Dei: nam ipſi apoſtoli tantam authoritatem non audent ſibi vendicare, 2. Cor. 1. 24. *Non dominamur fidei, &c.*

2. Si hanc poteſtatem condendi dogmata fidei haberent prælati, non eſſet inquirendum in illorum doctrinam, ſed propter hanc poteſtatem illico ſuſcipiendum eſſet quicquid ab illis proponeretur. At doctrinas illorum probari jubet ipſe Deus, 1. Theſ. 5. 21. *Omnia probate.* Imò ipſos doctores anathemate feriri, ſi de ſuo novas doctrinas comminiſcantur, ad Gal. 1. 8. *Si nos aut angelus, &c.* Sed quia in quæſtione de judice ſupremo & abſoluto hanc poteſtatem multis argumentis ſoli Deo vindicavimus, non opus erit pluribus ad hanc theſin confirmandam; apponemus tantummodo ipſam confeſſionem adverſariorum noſtrorum, qui utcunq; impudentiſſimè procudant indies novas doctrinas, tamen agnoſcunt id fieri non oportere.

Gerſon part. 1. de err. circ. præcept. Non Occides, *Nec papa nec generale concilium poteſt facere aliquid eſſe de fide, quod antè non fuit.* Si generale concilium non poteſt condere articulum fidei, manifeſtum eſt id nullâ humanâ authoritate fieri poſſe. Canus in loc.

theolog. lib. 2. cap. 7. *Ingenuè fatemur non esse nunc novas revelationes expectandas, sive à summo pontifice, sive à concilio, sive ab ecclesia tota.* Si tota ecclesia non habet potestatem revelandi hominibus novam aliquam doctrinam, perspicuum est non aliam circa doctrinam fidei potestatem obtinere præpositos ecclesiæ, quàm exponendi & prædicandi illam doctrinam quæ olim à Deo per prophetas & apostolos revelata fuit.

Bellarminus de verbo Dei non scripto, lib. 4. cap. 9. *Nihil est de fide, nisi quod Deus per apostolos & prophetas revelavit. Non enim novis revelationibus nunc regitur ecclesia; sed in iis permanet quæ tradiderunt illi, qui ministri fuerunt sermonis.* Si permanet ecclesia in iis quæ tradiderunt prophetæ & apostoli, tum non usurpat sibi potestatem condendi novam doctrinam aliquam, sive de fide, sive de cultu.

In negotio igitur doctrinæ salutiferæ agnoscimus præpositos ecclesiasticos habere officium & potestatem docendi & exponendi Scripturas, vera dogmata ex illis deducendi; sed condendi nova dogmata de fide aut cultu non habere. Abusus est ergò hujus potestatis, quoties prælati, sub nomine ministrorum & interpretum, imperatores & legislatores semetipsos constituunt. Quod illi faciunt, qui nova dogmata condunt sub prætextu interpretandi, qui suas interpretationes absolutam habere volunt & prætoriam quandam authoritatem; cùm interpretis sententia non valeat, nisi quatenus menti legislatoris consona ostenditur. Hoc vitio laborat ecclesia papistica, quæ suas interpretationes ac definitiones non subjicit Scripturis, sed Scripturas adaptat opinionibus, & praxi suæ. Astutiores papistæ hoc apertè nolunt profiteri; sed quod alii dicere mussant, Nicolaus Cusanus homo minimè malus clarâ voce evulgavit; cujus verba apponam ex Illyrico. Disputat autem de celebratione eucharistiæ sub una specie hunc in modum: *Dices fortasse, Ecclesia hodierna non ità ambulat in ritu communionis sicut ante ista tempora, quando sanctissimi viri utriusque speciei sacramentum necessarium esse vi præcepti Christi, & verbo & opere adstruebant. Quomodo id hodie verum non est, quod tunc omnium opinione affirmabatur? Sed hoc te non moveat; Scripturæ enim fuerunt ad tempus adaptatæ, & variè intellectæ, ità ut uno tempore secundum currentem universalem ritum exponerentur, mutato autem ritu iterum sententia illarum mutaretur. Quare etiamsi hodie alia fuerit interpretatio ecclesiæ ejusdem præcepti evangelici quàm aliquando fuit, tamen hic sensus nunc in usu currens, ad regimen ecclesiæ inspiratus, uti tempori congruus, debet acceptari.* Et paulò pòst, *Minimè mirum si praxis ecclesiæ uno tempore interpretatur Scripturam uno modo, & alio tempore alio modo: nam intellectus currit cum praxi; intellectus enim qui cum praxi concurrit est Spiritus vivificans.* Plura afferre pudet, pigétque; hæc in eum finem attuli, ut intelligatis quàm impiè & scelerate ecclesia papistica abutatur illâ authoritate interpre-

Illyr. clav. Script. part. 2. tract. 7.

(n)

tandi

tandi Scripturas, quam ſibi tam ſuperciliosè ſolet vendicare. Nam apud iſtos (Cuſano authore) interpretari nil aliud eſt, quàm ad præſentem eccleſiæ ſuæ praxin Scripturas detorquere. Sed non habent hanc poteſtatem prælati in doctrinam Scripturarum, ut illam pro imperio in flectant ad opiniones ſuas; ſed habent ſolummodo officium & munus ſibi impoſitum interpretandi Scripturas ex ipſis Scripturis, atque ex mente Spiritus ſancti loquentis in iiſdem. Jam reſtat ut quam habeant prælati authoritatem reſpectu *perſonarum* ſub eccleſiaſtica diſciplina viventium oſtendamus: tertiam itaque hanc theſin apponimus.

Habent poteſtatem ſupra perſonas in eccleſia viventes, judicandi de illorum litibus & contentionibus circa negotium religionis, ex regula juris divini de iiſdem pronuntiandi, errores quoſcunque condemnandi, perſonas denique errantes (ſi pertinaciter eccleſiæ decretis repugnant) coercendi cenſuris ſpiritualibus, atque à communione eccleſiæ ſeparandi. *Theſis 3.*

Primò, habent poteſtatem judicandi, ac pronuntiandi, quando oriuntur lites in eccleſia. Nam quemadmodum in republica, quod ſummus imperator ſanxit in univerſali, id in ſpeciali ad has vel illas perſonas contendentes applicatur & accommodatur miniſterio judicum ſubordinatorum: ſic in eccleſia, quod Deus ſupremus legiſlator revelavit ac ſanxit in verbo ſuo, id ad particulares cauſas & perſonas accommodandum eſt miniſterio prælatorum eccleſiaſticorum. Sic patres in concilio Nicæno, poſt longam diſceptationem, judicant ac pronuntiant illorum ſententiam veram eſſe, quâ Chriſtum Patri ſuo conſubſtantialem defenderunt; illorum falſam, quâ ὁμοούσιον negârunt, & oppugnârunt. 1

Secundò, poſt *rem* ex ſacris literis definitam, de *perſonis* etiam ſententiam ferunt. Nam quemadmodum, cùm ex lege conſtiterit quid ſit homicidium, quid plagium, quid læſa majeſtas, judices ſtatim pronuntiant hunc aut illum hominem in judicium vocatum, vel reum, vel ab hiſce criminibus immunem: ità, cùm ex lege divina conſtet quæ ſit de dogmatibus controverſis vera ſententia, de perſonis etiam litigantibus illico pronuntiatur, hunc eſſe hæreticum, illum catholicum ſive orthodoxum. 2

Poſtremò (ut in eadem collatione inſiſtamus) quemadmodum poſt judicis ſententiam latam, qui homicidii, aut læſæ majeſtatis condemnatur, ad ſupplicium juſtum abripitur, niſi principis miſericordia veniam illi indulgeat: ità, qui per ſententiam prælatorum hæreticus judicatur, ſpiritualibus cenſuris caſtigatur, niſi velit errori ſuo renuntiare, & matris eccleſiæ miſericordiam implorare. Hæc perſpicua ſunt, & à nobis in alia quæſtione partim declarata; non requirent igitur denuo operoſam probationem. Videtis limites hujus poteſtatis eccleſiaſticæ, quod attinet ad perſonas in religionis negotio inter ſe litigantes; jam de exceſſu ſive abuſu ejuſdem pau- 3

Quæſt. 1. de judic. miniſterial.

cula attexamus. Abutuntur igitur hâc ſuâ judiciariâ poteſtate prælati,

1. Quando uſurpant poteſtatem judiciariam in perſonas ſuæ juriſdictioni minimè ſubjectas. Ut ſi eccleſia conetur Ethnicos ſuæ poteſtati ac diſciplinæ ſubjicere etiam reluctantes: de hiſce enim Paulus ad Corinth. 1. cap. 5. ver. 12. *Quid mihi de iis qui foris ſunt judicare? Nam eos qui foris ſunt Deus judicabit, &c.* Vel ſi una particularis eccleſia (putà Romana, aut Gallicana) propter errores minimè fundamentales aſſumat ſibi poteſtatem ejiciendi aliam minimè ſibi ſubjectam ex communione eccleſiæ catholicæ. Poteſt quidem una eccleſia aliam quamcunque errantem monere, poteſt errores ejuſdem ex verbo divino arguere & damnare, poteſt ſuos armare & munire contra eoſdem: ſed nec poteſt nec debet particularis una eccleſia judiciariâ authoritate aliam ſibi non ſubjectam à catholica abſcindere; quælibet enim eccleſia filios ſuos ad conſenſionem in doctrina publicè ſtabilita cenſuris adigit, ſed fratres eccleſiarum externarum monet pro officio charitatis, non punit pro imperio poteſtatis.

2. Quando de perſonis juriſdictioni ſuæ ſubjectis injuſtè judicant, hoc eſt, quando non ex lege Dei, ſed ex inſcitia aut malitia ſua pios & orthodoxos hæreticos eſſe pronuntiant, & pro hæreticis puniunt. Nam ſæpe accidit, ut qui habet legitimam poteſtatem judicandi, eâdem utatur non legitimè. Sic ſacerdotes ſub veteri Teſtamento excommunicârunt illos omnes qui Chriſtum Meſſiam eſſe agnoſcebant. Joh. 9. 22. Sic ſub novo papiſtæ, ſi qui ex ſuis evangelicam veritatem incipiunt agnoſcere, eos hæreticos pronuntiant, atque graviſſimis cenſuris divexant. Quando hujuſmodi ſententiæ injuſtè feruntur ab illis qui habent juſtam & ordinariam poteſtatem, prævalent in foro externo, ſed in foro interno nullas vires habent: quod ipſi pontificii non poſſunt negare. Dur. lib. 4. diſt. 18. QUICQUID LIGAVERITIS, &c. *Hoc valet quando ſacerdos adhibet clavem diſcretionis.* Pariſienſis, *Ipſe Chriſtus injuſtæ excommunicationis vinculum ſolvit.* Et ante illum Auguſtinus, de verb. Dom. ſuper Matth. ſer. 16. *Ligas aliquem in terra: ſed ut juſtè alliges vide; nam injuſta vincula diſrumpit juſtitia.* Atque hoc confidenter à Gerſone defenditur, *Ipſius* ſcilicet *papæ ſententiam aliquando nec timendam, nec tenendam; nimirum quando continet errorem intolerabilem.* Vide plura part. 1. in diſcuſſione aſſertionis commiſſarii cujuſdam.

3. Quando verò judicant, quod attinet ad quæſtionem fidei controverſam; ſed tamen hæreticis condemnatis illas pœnas imponunt, quas infligere non pertinet ad forum eccleſiaſticum. Ut ſi quem ob hæreſin jure damnatum conentur vitâ aut bonis ſuis externis ſpoliare: hujuſmodi enim pœnis mulctare hæreticos, ad poteſtatem magiſtratus civilis (de quo mox dicemus) ſpectat, non ad poteſtatem ſacerdotalem. Nam in cenſura eccleſiæ illud extremum

& ultimum eſt, *Sit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus:* at Ethnicos & publicanos vitâ aut bonis exuere nunquam præſumpſit eccleſia. Hinc itaque colligite quàm longè tranſiliant limites eccleſiaſticæ poteſtatis pontifices Romani, qui reges à ſe judicatos hæreticos ſceptris privare audent; quos *nè excommunicare quidem poßunt ſacerdotes excommunicatione majore, propter publicam perſonam quam ſuſtinent*, ut rectè ſcripſit Radulphus Ardens, doctor & concionator non poſtremæ notæ inter ipſos pontificios, in hom. Domin. 1. poſt Paſch.

Atque hæc de poteſtate *judicum eccleſiaſticorum*; jam de poteſtate *judicis civilis* in negotio fidei & religionis breviter dicendum eſt, quia in prima quæſtione hanc poteſtatem ſtabilivimus.

Supremus magiſtratus poteſtatem habet de vero Dei cultu judicandi, verámque religionem omnibus ſuis ſubditis imperandi, ad ejuſdem profeſſionem pœnis externis omnes cogendi, ipſos denique ſacerdotes ad munia ſua ritè obeunda compellendi. *Theſis.*

1. Regis poteſtas judiciaria ſe extendit ad ea omnia ſancienda quæ rempublicam florentem conſervant, atque ad ea tollenda quæ rempublicam labefactant: ſed religioſus Dei cultus, etiam ex omnium Ethnicorum confeſſione, facit ad ſalutem atque incolumitatem reipublicæ; è contrà, neglectus religionis, aut impia ſuperſtitio, ad calamitatem & everſionem ejuſdem. Nam notum & ab omnibus probatum eſt illud poetæ, *Dii multa neglecti dederunt Heſperiæ mala luctuoſæ.* Atque hinc omnes ſupremi magiſtratus in quacunque republica, ſive Chriſtiana ſive Ethnica, religionem inprimis legibus ſuis ſanciendam & ſtabiliendam putárunt. Inſpiciatur jus civile; paſſim occurrent leges imperatoriæ de fide, de eccleſiis, de ſacramentis, de epiſcopis, de hereticis, de ſynodis, omnibúſque rebus ad religionem pertinentibus. Atque hanc rationem hujus rei affert Theodoſius imperator, *Quòd plenioremDei ac Salvatoris Chriſti benignitatem adquiri exiſtimet, ſi ſubditos ſuos pro viribus ad religionem inſtituat*; Cod. lib. 1. tit. 1. Qui negant reges jam habere hanc poteſtatem, oſtendere debent, aut pios imperatores præter jus & fas eandem olim uſurpâſſe, aut imperatores & reges noſtri ſeculi hâc poteſtate excidiſſe, aut ipſos ſacerdotes habere hanc poteſtatem religionem ſanciendi ac ſtabiliendi authoritate hâc politicâ coactivâ. Nihil horum poſſunt: ergò ſuprema poteſtas ſanciendi religionem in unaquaque republica eſt penes ſupremum magiſtratum ejuſdem. 1.

2. Diximus in theſi noſtra, regem ſive ſupremum magiſtratum politicum poſſe pœnis externis cogere ſubditos ſuos ad veram fidem & cultum Dei; quod indè patet, quia regum edicta armata ſunt, & gladio cogunt ſubditos in obſequium. Sic ipſe Paulus docuit ad Rom. 13. 4. *Si feceris quod malum eſt, metue: non enim fruſtra gladium geſtat magiſtratus, ſed ultor eſt ad iram ei qui malum fecerit.* Quod 2.

etiam Rupertus obſervavit lib. 8. in Matth. cap. 10. *Duæ virgæ ſunt; altera regum, altera diſcipulorum Chriſti: virga regum, virga eſt dominationis; virga diſcipulorum Chriſti, virga dilectionis, &c.* Praxis etiam piorum imperatorum hoc oſtendit: nam illi hanc poteſtatem obligandi ſubditos ſuos ad fidem catholicam, & puniendi hæreticos & idololatras, jure ſibi vendicârunt. Contra Manichæos extat hoc edictum Juſtiniani, atque aliorum imperatorum, Cod. lib. 1. tit. 5. *Manichæo in loco Romano deprehenſo caput amputator:* atque rationem hanc afferunt ſuæ ſeveritatis: quia *quod in religionem divinam committitur, in omnium fertur injuriam:* unde voluerunt hæreſin publicum crimen haberi. Theodoſius omnes hæreticos in exilium ejicit; ibid.

Ibid. de hæret.

3. Affirmavimus hanc regum poteſtatem coactivam non modò ad laicos, ſed ad eccleſiaſticos ſe extendere; quos reges poſſunt & debent ad profeſſionem fidei catholicæ pœnis adigere, atque etiam ad vitam ſuam probè inſtituendam, & functionem diligenter obeundam. Notum eſt, imperatores orthodoxos, non modò laicos, ſed etiam epiſcopos ob hæreſin mulctâſſe & pœnis affeciſſe. Theodoſius imperat Demophilo Arriano epiſcopo, ut vel fidem catholicam amplectatur, vel ſedem ſuam epiſcopalem amittat. Valentinianus omnes clericos, qui relictâ fide orthodoxâ hæreſin amplectuntur, extra Romani imperii ſolum expelli jubet. Jam quod attinet ad morum honeſtatem & vitæ probitatem, judicat quoque imperator de clericis, ac criminoſos pœnis addicit: Clericos aleatores jubet à miniſterio removeri in tres annos; Novell. conſt. 123. cap. 10. Falſum teſtimonium dicentes etiam verberibus ſubjicit, cap. 20. Ipſos epiſcopos ob ſubintroductas in domum ſuam mulieres epiſcopatu privandos judicat, cap. 29. Longum eſſet omnes imperatorias leges recenſere quæ latæ ſunt etiam ad eccleſiaſticos in officio continendos, ſive in fide, ſive in moribus errantes. Sed etiam ut miniſterio ſuo fungantur, cogere eos poteſt imperator, & legibus conſtringere. Sic David ipſis Levitis munera ſua aſſignat, 1. Chron. 23. 4. Præcipit etiam ut ſacerdotes vices miniſteriorum ſuorum obeant, 1. Chron. 24. 19. Ezechias etiam revocat Levitas & ſacerdotes ad intermiſſa ſua officia, 2. Chron. 29. Chriſtiani denique imperatores leges ſanxerunt, quibus ipſos epiſcopos ab eccleſiis ſuis abeſſe prohibuerunt; Novell. conſtit. tit. 6. conſt. 6. cap. 1.

3.

Socrat. lib. 5. cap. 7.

Cod. lib. 1. tit. 7. de apoſt.

Ex hiſce omnibus liquet, quòd utcunque religionem & fidem condere, ſit ſolius Dei; tamen religionis & fidei profeſſionem publicam legibus & pœnis ſancire, eſt opus regiæ poteſtatis: utcunque cæremonias utiles & decoras excogitare, ad eccleſiaſticos pertinet; tamen eaſdem comprobare, & toti populo obſervandas imponere, ad reges ſpectat: uno verbo, utcunque controverſias theologicas diſceptare, definire, atque quid orthodoxum quid hæreticum ſit docere, officium ſit theologorum; tamen hanc orthodoxam fidem

cum imperio coactivo ab omnibus suscipiendam, atque hæreticam pravitatem rejiciendam judicare, officium est regum sive supremorum magistratuum in unaquaque republica. Sed quia de hac potestate dictum est in prima quæstione (ubi ostendimus, quot & quinam illi sunt qui exercent publicum judicium in ecclesia) pluribus supersedeo, & de excessu sive abusu hujus regiæ potestatis paucula adjungam.

Abutuntur reges suprematu suo in causa fidei & religionis, cùm utuntur hac suâ suprema authoritate judiciariâ, nullâ disquisitione legitimâ præeunte, nullâ certâ cognitione prælucente. Est enim à ratione & religione alienum, ut quis aliis imperet, & sub pœna edicat quam fidem sint observaturi, qui ipse quæ sit vera fides nunquam cognovit, nunquam seriò cogitavit. Librum igitur legis priùs consulat oportet, doctores etiam legis, hoc est ministros evangelicos, audiat, quàm pronuntiet quid in religione ab aliis amplectendum, quid repudiandum sit. Deut. 17. 19.

Ex hac igitur parte peccant reges multipliciter.

Primò per superbiam, cùm sibi arrogant absolutam potestatem quidvis pro sua libidine in religionis negotio statuendi, quasi ipsi essent authores religionis, cùm sint tantùm quoad subditos suos sub Deo subordinati custodes & vindices ejusdem. Sic peccavit Jeroboamus, qui pro imperio mandavit duos vitulos aureos fieri, & coli ab Israelitis, quos prohibuit ascendere in Hierusalem: Sic etiam Constantius, qui cùm orthodoxos ad Arrianismum cogere vellet, divinæ legis immemor, vocem illam emisit superbiæ plenam, *Quod ego volo, pro canone sit.* Multò sapientiùs imperator Justinianus, qui agnoscit catholicam fidem nullam innovationem posse recipere ex authoritate principum, sed confirmationem & vindicationem ab iisdem suo jure posse requirere; Cod. lib. 1. tit. 1. 1. Reg. 12. 28. *Athanas. in epist. ad solitar. vitam agentes.*

2. Peccant etiam reges per socordiam & negligentiam, cùm omnem religionis curam excutiunt, eámque ad solos prælatos remittunt, ità ut quamcunque fidem istis libitum fuerit præscribere, hi regiâ suâ authoritate confirment, ac gladio tueantur. Verum quidem illud est, quòd sicuti cæteri Christiani, sic ipsi principes in religione dirigendi sunt per antistites sacræ religionis; sed dirigendi lumine verbi divini, non pro nutu prælatorum in cujuscunque erroris defensionem trahendi. Abutuntur igitur suâ authoritate principes sub papam, qui in religionis veritatem nunquam inquirunt; sed animo occæcato id stabiliendum, ac in negotio fidei ferro ac flammis vindicandum curant, quodcunque papa jusserit.

3. Abutuntur suâ potestate per insciitiam, & judicii defectum, cùm cupientes veram religionem stabilire, atque aures animúmque præbentes theologorum ex verbo divino dissertationibus atque

rationibus, tandem nihilominus decepti falsâ ſpecie veritatis, fidem orthodoxam rejiciunt, hæreticam pravitatem probant, & ſuâ authoritate omnibus ſubditis imponunt. Sic aliquot imperatores rerum divinarum imperiti, auditâ causâ, Arrianorum ſententiam prætulerunt ſententiæ catholicorum, atque ſuppliciis illos omnes affecerunt, qui hæreſi huic authoritate regiâ probatæ ſubſcribere noluerunt. Unde Hilarius; *Fefellerunt Arriani ignorantem regem, ac perſuaſerunt ut falſam credendi formulam eccleſiis imponeret*; de ſynod. adverſus Arrianos.

4. Egrediuntur limites ſuæ poteſtatis reges, ac politici magiſtratus, quando aſſumunt ſibi poteſtatem exercendi actus ſacerdotales, qui non poſſunt legitimè exerceri, niſi ab illis ſolis qui ſacram habent vocationem. Nam publicè verbum prædicare, aut ſacramenta adminiſtrare, ad eos ſolos ſpectat qui ordinantur ab eccleſia in ſacrum illud miniſterium; juxta illud apoſtoli ad Hebræos 5. 4. *Nemo ſibi ſumit honorem* ſacerdotalem, *ſed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron.* Poſſunt igitur reges præcipere miniſtris, ut diligenter obeant actus vocationis ſuæ; ſed ipſi, propter defectum vocationis, non poſſunt eoſdem actus exercere. Ut hæc omnia paucis conſtringamus: Quoties reges, ſive ex ſuperbia, ſive ex incuria, ſive ex inſcitia, falſam religionem ſubditis ſuis conantur obtrudere, dicendum eſt cum apoſtolis, *Deo potiùs obediendum quàm hominibus*: vel cum Athanaſio, *Si edictum imperatoris ſit, ut propter veræ fidei profeſſionem perſecutionem ſubeamus, parati ſumus omnes in martyrium.* Non in obſequium; falſam enim fidem ſuſcipere, vel ipſo rege jubente, nefas eſt: neq; in rebellionem; regem enim legitimum deponere, quia de religione imperitè judicat, ſcelus eſt: ſed in *martyrium*; nam veritatis causâ perſecutionem pati, Chriſtianum eſt. Adhæc, Si reges per ſe exercere velint propria officia miniſtrorum, intrepidè illis dicendum eſt, quod Azarias dixit Oziæ regi incenſum adolere paranti, *Non eſt tui officii, Ozia, ut adoleas incenſum Domino; ſed ſacerdotum, hoc eſt filiorum Aaron, qui conſecrati ſunt ad hujuſcemodi miniſterium.* Atque hæc de poteſtate judicum ſubordinatorum, déque abuſu ejuſdem dicta ſufficiant; ad ultimam quæſtionem, in qua inveſtigandum eſt quanta ſit in illorum judiciis certitudo ſive infallibilitas, veniamus.

In epiſt. ad ſolitar. vitam agentes.

2. Chr. 26. 19.

CAP.

Cap. XVII.

Quæſt. 4. De infallibilitate ſive certitudine judicii miniſterialis.

OStenſum eſt, ipſius Dei ordinatione miniſteriales quoſdam judices conſtitutos eſſe in qualibet eccleſia, oſtenſúmque, quæ ſit horum neceſſitas, quæ poteſtas: illud porrò reſtat inveſtigandum, quanta ſit certitudo ſive infallibilitas in decretis, interpretationibus, aut latis ſententiis eorundem. Si enim quicquid illi definiunt ac pronuntiant, certum ſit & infallibile, tum illorum judiciis ſine ulla dubitatione aut examine ſemper acquieſcendum eſt: ſi autem à periculo errandi minimè immunes fuerint, tum licebit pio & prudenti Chriſtiano ad Lydium lapidem verbi divini quod ab illis pronuntiatum eſt exigere, atque eatenus admittere, quatenus verbo divino intelligitur non repugnare.

Noſtrorum ſententia eſt, tum ſingulos paſtores, tum congregatos eſſe errori obnoxios, neque eſſe in eccleſia militante ullum judicem viſibilem, aut cœtum judicum viſibilium & externorum, qui infallibiliter pronuntiat de ſenſu Scripturarum, aut de dogmatibus ad fidem & cultum pertinentibus. Certitudinem igitur & veritatẽ in illorum ſententiis reperiri affirmamus, dum certæ & infallibili Scripturarum regulæ adhærent; vanitatem & falſitatem iiſdem ſubeſſe dicimus, quoties hanc regulam in judicando vel non conſulunt, vel non capiunt, vel nihili æſtimant: quod & accidere poſſe, & quandoq; accidiſſe, apertè demonſtrabimus. Hæc noſtrorũ ſententia eſt.

Pontificii concedunt nobis, privatum quemlibet paſtorem poſſe errare, particulare etiam quodvis paſtorum concilium eſſe errori obnoxium; de generali autem concilio, & ſummo ſuo pontifice, tum à nobis, tum inter ſe diſſentiunt. Antiquiores pontificii (quorum ſententia obtinuit in concilio Conſtantienſi, & Baſilienſi) ſtatuunt concilium univerſale eſſe infallibilem judicem omnium queſtionum, quæ fidem catholicam, cultúmque divinum concernunt: quod illi intelligunt etiam ſeclusâ approbatione ſive confirmatione pontificis Romani, quem hæreticum & hæreſeos doctorem eſſe poſſe minimè dubitant. Hanc infallibilitatem judicandi ſoli concilio generali tribuunt omnes illi pontificii doctores, qui concilium ſupra pontificem eſſe defendunt. In quibus numerantur Cameracenſis, Gerſon, Almainus, Cuſanus, Panormitanus, Abulenſis, Alphonſus de Caſtro, Adrianus ſextus, fatente ipſo Bellarmino: *Hi omnes* (inquit) *non in pontifice Romano, ſed in concilio generali tantùm conſtituunt infallibilitatem judicii de rebus fidei.* Quod etiam Canus agnoſcit, lib. 5. cap. 5. *Viri quidam doctiſſimi ſentiunt, concilium generale legitimè congregatum, etiam abſente papâ, habere certam & ſolidam authoritatem.* Jam verò recentiores pontificii,

Gerſon part. 1.

Bellarm. de conc. lib. 2. cap. 14. De P. R. 4. 2.

ac præsertim Jesuitæ, qui dominantur in controversiis, hoc infallibilitatis privilegium conciliis universalibus denegant, & in solo pontifice Romano residere volunt. Dicis causâ quandoque conjungunt concilia cum pontifice in hoc negotio judicandi; ità tamen ut conciliorum etiam generalium decreta incerta, falsa, irrita esse defendant, si repugnent judicio pontificis Romani; cujus solius sententiam, veram, certam, & infallibilem esse contendunt. Sic Canus, lib. 5. cap. 3. *Sicut congregatio concilii, reclamante vero certóque pontifice, vana est & irrita; sic doctrina, cui pontifex contradicit, incerta est & imbecilla. Pondus conciliis dat summi pontificis authoritas.* Sic Bellarminus de conc. lib. 2. cap. 11. *Sententia concilii non est ultimum judicium ecclesiæ, quia pontifex potest concilium approbare vel reprobare.* Et eodem in loco, *Sciendum est pontificem mittere legatos instructos de sententia sedis apostolicæ, cum ea conditione, ut si concilium consentiat judicio apostolicæ sedis, formetur decretum; sin minùs, differatur decreti formatio, donec Romanus pontifex consultus respondeat.* Sed omnium apertissimè Gregorius de Valentia hoc infallibile judicium conciliis eripit, & soli pontifici Romano quasi trabali clavo affigit; *Eadem est authoritas infallibilis, quæ pontifici Romano, & quæ ecclesiæ, sive conciliis tribuitur: nam ea ipsa authoritas quæ in uno pontifice residet, authoritas dicitur ecclesiæ, & conciliorum.* Eadem fuit mens Jesuitarum in colloquio Ratisbonensi, qui ponunt pontificem Romanum, legitimum, ordinarium, & infallibilem judicem omnium controversiarum, sive solus definiat, sive cum concilio generali, modò ex cathedra definiat.

Anal. fid. lib. 3 cap. 7.

Sess. 1.

Habetis sententiam nostratis atque adversariorum; jam priusquam ad conflictum veniamus, illud unum à vobis observari velim, Papistas, utcunque gloriantur de judice suo infallibili, atq; talis judicis defectū nostris ecclesiis exprobrant, tamen fœdissimè adhuc hac de re inter se litigare. Nam concilium generale, cui infallibilitatis privilegium olim à doctoribus papistis tributum fuit, à Jesuitis jubetur papæ fasces submittere, & propriam in judicando infirmitatem atque incertitudinem agnoscere. E contrà, papa Romanus, cui à Jesuitis tribuitur judicium in causis fidei ab errore liberum, à patribus concilii Constantiensis, & Basiliensis, doctissimisque viris quamplurimis qui iisdem subscribunt, in ordinem cogitur, membrum deviabile pronuntiatur; in ecclesia denique non supremus & infallibilis judex, sed frater matri ecclesiæ unà cum cæteris subditus declaratur.

Cap. XVIII.

Pontificiorum argumenta ſolvuntur.

PRimo igitur in loco illos aggrediemur, qui conciliis univerſalibus hanc judicii infallibilitatem tribuunt; quæ quidem ſententia longè probabilior eſt Jeſuitarum opinione, infirmis tamen nixa fundamentis: quæ poſtquam à nobis labefactata fuerint, ſententiam noſtram argumentis corroborabimus.

Primò, ex Scripturis conantur ſtabilire hanc judicii infallibilitatem, quam tribuunt generalibus conciliis. Afferuntur hæc loca:

Matth. 18. 20. *Ubi ſunt duo aut tres congregati in nomine meo, illic ſum in medio eorum.* Obtinent igitur (inquit Bellarminus) quod petunt à Deo, nimirum ſapientiam, & lumen quod ſufficit ad cognoſcenda eâ quæ ipſis neceſſaria ſunt. Et quemadmodum in conventu privato & particulari adeſt Chriſtus, ut eos adjuvet in rebus parvis & privatis: ſic in concilio generali adeſt, ut eos adjuvet in rebus magnis & publicis; ac proinde de talibus omnibus judicant infallibiliter. *Teſt. 1.* Bellar. de conc. lib. 2. cap. 2.

Reſpondeo primò, hunc locum directè ſpectare quemvis particularem conventum piorum: ſi igitur virtute hujus promiſſionis infallibilitas judicandi concedatur hominibus, aderit ea etiam epiſcopis in quovis particulari concilio congregatis; quod ab ipſis adverſariis negatur. Secundò, in hiſce duobus aut tribus, quibus Chriſtus ſuam præſentiam promittit, non neceſſariò includitur papa Romanus; dicunt tamen papiſtæ, non modò ſententiam duorum aut trium, ſed totius mundi carere hac infallibilitate, donec acceſſerit confirmatio Romani pontificis: non igitur ex promiſſa Chriſti præſentia rectè deducitur judicandi infallibilitas. Poſtremò, reſpondet Gregorius de Valentia, analyſ. fid. lib. 8. cap. 7. hunc locum non ad infallibilem certitudinem alicujus ſententiæ in quam plures conſentiunt accommodandum eſſe, ſed ad efficaciam conſenſionis plurium ad impetrandum quod unanimiter in Chriſti nomine petunt. *Sol.* 1. 2. 3.

Viſum eſt Spiritui ſancto & nobis, &c. Actor. 15. 28. Si primum hoc concilium aſſerit decreta ſua eſſe decreta Spiritus ſancti, certè idem aſſerere poſſunt cætera legitima concilia: at niſi infallibiliter definirent, non poſſent ſua judicia Spiritui ſancto aſſignare. *Teſt. 2.*

Reſpondeo, non eſſe parem authoritatem aliorum conciliorum: nam primum hoc concilium conſtabat ex apoſtolis, qui extraordinariam habebant Spiritus ſancti aſſiſtentiam, & illuminationem. Ex apoſtolis igitur divinitus inſpiratis congregetur concilium, at- *Sol.*

que nos ejuſdem decreta pro ipſiſſimis Spiritus ſancti decretis agnoſcemus. Sin conſtet ex ordinariis eccleſiæ rectoribus, eatenus illorum decreta erunt Spiritus ſancti decreta, quatenus audiunt Spiritum ſanctum in Scripturis loquentem. Si igitur moderna concilia uſurpent hoc dictum apoſtolicum, *Viſum eſt nobis & Spiritui ſancto*; non indè conficitur, illorum decreta à Spiritu ſancto manâſſe, ſed illos ità exiſtimâſſe. Veréne autem an ſecus exiſtimaverint, non poteſt aliter cognoſci, quàm exigendo illorum decreta ad Lydium lapidem verbi divini.

Teſt. 3. *Spiritus veritatis docebit vos omnem veritatem*; Joan. 16. 13. Hoc dictum non ad ſolos apoſtolos ſpectat, ſed ad epiſcopos illorum ſucceſſores: At epiſcopos ſeorſum exiſtentes Spiritus ſanctus non ducit in omnem veritatem: ergò in concilio generali congregatos ducit; & per conſequens, judicium generalis concilii eſt infallibile.

Sol. Fateor hunc locum non ità ad ſolos apoſtolos ſpectare, quin ad alios etiam fideles paſtores qui illis ſuccedunt poſſit extendi. Sed 1 primò, quod putant adverſarii, hoc non debere accommodari ad epiſcopos ſeorſum ſumptos, falſum eſt: nam apoſtoli, etiam ſeorſum ſumpti, in omnem veritatem deducti ſunt, & illorum fideles ſucceſſores ſinguli pro ſuo modulo in omnem veritatem illis cognitu neceſſariam deducuntur; ſi non illicò, ſucceſſivè tamen & paulatim. Si igitur ex hac promiſſione deduci poſſet infallibilitas judicandi, ea competeret non modò epiſcopis congregatis, ſed ſeparatis: neque ſoli pontifici Romano, ut volunt Jeſuitæ, ſed etiam ſucceſſoribus reliquorum apoſtolorum. Deducuntur igitur apoſtolorum ſucceſſores in omnem veritatem, non abſolutè, ſed in omnem veritatem neceſſariam, idque quando & quatenus Deus videt expedire; ex tali autem deductione non infertur infallibilitas judicandi. Secundò, pugnant ſecum adverſarii, 2 qui ex hoc loco colligere volunt Deum deducere epiſcopos congregatos in omnem veritatem, atque defendunt tamen, unum ſolummodo ex hiſce, papam ſcilicet Romanum, in omnem veritatem infallibiliter deduci, cæteros omnes erroribus obnoxios relinqui, ab hoc uno pontifice in veritatem deducendos. Poſtremò, 3 promiſſio hæc, *Spiritus vos deducet in omnem veritatem*, ad eos ſolos pertinet, qui ſeſe ſubjiciunt magiſterio Spiritus ſancti; at ſæpe accidit in conciliis ut major pars prælatorum repellat doctrinam Spiritus ſancti, & ſuis erroribus pertinaciter adhæreſcat. Qui igitur hinc deducere volunt epiſcopos infallibiliter judicare, priùs demonſtrare debent eos ſemper Spiritui ſancto ſe ſubjicere; quæ dura erit provincia.

Teſt. 4. *Eccleſia eſt columna, & firmamentum veritatis*; 1. Timoth. 3. 15. Ergò id quod pronuntiat eccleſia in conciliis congregata, habet infallibilem veritatem.

Hic locus manifeſtè pertinet ad eccleſiam particularem: nam apoſtolus vocat illam eccleſiam *columnam veritatis*, in qua gubernanda Timotheus tum verſabatur; at ille epiſcopus erat eccleſiæ Epheſinæ. Si igitur eccleſia illa quæ columna eſt veritatis errare non poſſet in judicando, tum nulla particularis eccleſia erraret: quod falſiſſimum eſt, & experientiæ contrarium. Nam hæc ipſa Epheſina, quæ nominatim *columna veritatis* appellatur, jampridem erravit, imò interiit. Sive igitur hunc titulum ad particularem aliquam eccleſiam, ſive ad univerſalem in conciliis repræſentatam accommodemus, illud ſolum indè concludi poteſt, eſſe officium eccleſiæ, ſuſtentare atque ſuffulcire veritatem ſuo miniſterio: ſed hoc ſemper fieri à patribus, qui in conciliis eccleſiam repreſentant, probari non poteſt, niſi priùs probetur, homines ſuo officio ſemper ſatisfacere; quod utinam evincere poſſent papiſtæ. Sed hîc aqua illis hærebit. *Sol.*

Epheſ. 4. 4. *Unum corpus, & unus Spiritus.* Et Epheſ. 5. 23. *Vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt eccleſiæ.* Hinc ità ratiocinantur; Eccleſiæ corpus in conciliis congregatum regitur à Spiritu ſancto, tanquam ab anima; gubernatur ab ipſo Chriſto, tanquam à capite: ergò ſi erraret in judicando, ipſe ſanctus Spiritus & Chriſtus errarent. *Teſt. 5.*

Reſpondeo, hoc argumentum peccare multipliciter. Primò, in eo, quòd ſumit errores eccleſiæ eſſe Chriſto & Spiritui ſancto imputandos. Nam cùm conceſſero Chriſtum eſſe caput eccleſiæ, & Spiritum ſanctum eſſe quaſi animam eccleſiæ; negabo tamen, quicquid errat eccleſia, in Chriſtum aut Spiritum ſanctum refundi oportere. Non enim in eo errat in quo regitur à Chriſto, aut in quo illuſtratur à Spiritu ſancto, ſed in quo abripitur ſuo vitio, & occæcatur ſuâ ignorantiâ. Secundò, ex ea etiam parte vitioſum eſt hoc argumentum, quòd ſtatuit Chriſtum & Spiritum ſanctum neceſſariò teneri ad depellendum omnem errorem in fide ab eccleſia in conciliis repræſentata, atque ad conferendum eidem eccleſiæ hanc quam ſtabilire conantur judicandi infallibilitatem. Nam ſicut Chriſtus pro ſua ſapientia non judicavit expedire, ut eccleſiam ſuam militantem ab omni peccato eximeret; ità nec ut ab omni errore liberaret. Illa gratia ſufficit eccleſiæ, quòd vera & viva ejuſdem membra citiùs aut ſeriùs ab omni errore mortifero liberentur; quòd nullum dogma neceſſariæ veritatis unquam penitus extinguatur. Sed quòd hoc vel illo tempore, ab hiſce hominibus in hoc generali concilio congregatis, veritas catholica infallibiliter doceatur & concludatur, non eſt ad ſalutem & conſervationem eccleſiæ abſolutè neceſſarium. Quod patet ex concilio Ariminenſi, Epheſino ſecundo, aliiſque, in quibus contra fidem catholicam determinatum eſt, quæ nihilominus tandem prævaluit. Poſtremò, & illud oſtendit hoc argumentum nervis carere, quòd Chriſti capitis ex- *Sol.* 1 2 *Bellarm. de concil. lib. 2. cap. 16.* 3

tra-

traordinaria gubernatio, & Spiritus ſancti ſalutifera illuminatio illos reſpicit, qui ſunt vera & viva membra eccleſiæ; non autem illis alligatur, qui obtinent tantummodo locum externum in eccleſia. Jam verò unde probabunt adverſarii illos omnes, aut majorem eorum partem qui confluunt ad concilia generalia, eſſe vera & viva membra ſub Chriſto capite? Si autem pertinent ad ſynagogam Satanæ (quod quandoque accidit) illud, *Unum corpus, & unus Spiritus*, & *Chriſtus eſt caput eccleſiæ*, ad eos omnino non pertingit: nullam igitur hinc poſſunt vendicare judicii infallibilitatem.

Teſt. 6. *Si eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus*; Matth. 18. 17. Niſi infallibile eſſet eccleſiæ judicium, durum & iniquum eſſet illos pro Ethnicis, & publicanis habere, qui ejus decretis non obtemperant.

Sol. Reſpondeo, hunc locum ad cenſuras eccleſiaſticas, non ad dogmatum determinationem pertinere: quod perſpicuum eſt ex ipſo contextu. Sed ut patiamur adverſarios illum etiam ad dogmata extendere; dicemus tamen judicium eccleſiæ, ſive de infligendis cenſuris, ſive de dogmatibus definiendis, eatenus valere quatenus fertur clave non errante: nunquam autem erraturos prælatos in judicando, neque hic neque alibi in ſacris Scripturis habetur. Denique hic locus loquitur de eccleſia particulari: non enim propter quamlibet offenſam fratris in fratrem concilium œcumenicum convocandum eſt. Si igitur vires ullas haberet prędicta argumentatio, quævis eccleſia particularis haberet infallibilitatem judicandi; quod ipſi adverſarii repudiant.

Teſt. 7. Poſtremò, ſolent adverſarii congerere ea omnia loca, quæ docent epiſcopos habendos eſſe ut *paſtores*, audiendos ut *magiſtros*, ſequendos ut *duces*. Qualia ſunt Epheſ. 4. ver. 11. *dedit Deus, &c.* Luc. 10. 16. *Qui vos audit, me audit, &c.* Hebr. 13. 17. *Obedite præpoſitis, &c.* Ex quibus concludunt, illorum judicia, præſertim in conciliis univerſalibus declarata, eſſe infallibilia, atque omnes obligare ad credendum.

Sol. Reſpondeo, omnia hæc loca non de univerſalibus conciliis, ſed de doctoribus particularibus ſeorſum ſumptis agere: nam ſtupidum eſt putare obedientiam populi Chriſtiani hiſce in locis ad concilia univerſalia reſtringi, quæ ante Conſtantini tempora in eccleſia non fuerunt celebrata. Si igitur illi habent ſibi conceſſam judicandi infallibilitatem, quos Deus jubet nos audire, quibus jubet nos parere; tum judicium cujuſvis paſtoris legitimè vocati, eſſet infallibile. Sed dicent fortaſſe hæc teſtimonia concludere à minori ad majus: nam quod ſingulis paſtoribus tribuitur, id multò magis in generali concilio congregatis eſt tribuendum. Agnoſcimus libenter judicium generalis concilii majus & firmius eſſe quàm paſtorum ſingulorum; at ex his locis non evincitur infallibile judicium ſingulorum: eo igitur minimè conceſſo, non concluditur à minori ad majus infal-

libilitas

bilitas conciliorum. De prælatis igitur, sive seorsum sive conjunctim consideratis, verè affirmamus, illos non absolutè, & simpliciter, sed quatenus verbum Christi ministrant, esse audiendos; quatenus suos errores obtrudunt, rejiciendos. Præceptum ergò audiendi, & obediendi prælatis, quia habet conditionem tacitam subintellectam, non probat illis semper adesse infallibilitatem judicandi. Atque hæc ferè sunt omnia vel saltem præcipua Scripturarum testimonia, quæ afferri solent ab iis qui conantur conciliis generalibus absolutam infallibilitatem in causis fidei definiendis adscribere. Jam rationes quæ ab iisdem afferuntur pensitemus.

Universalis ecclesia non errat: sed ea non alibi exponit judicium suum de causis fidei, quàm in concilio œcumenico, quod repræsentat totam ecclesiam, & eo sensu *ecclesia repræsentativa* dicitur: concilium igitur universale est judex infallibilis. *Rat. 1.*

Respondeo primò, illud λῆμμα, *Ecclesia universalis non errat*, ad verè fideles & pios restringendum esse, ex quibus sancta catholica ecclesia coalescit quam in symbolo profitemur nos credere, non ad omnes promiscuè diffundendum, qui vel vivunt in ecclesia, vel præsunt ecclesiis. Sic Silvester; *Ecclesia quæ errare non potest, dicitur non papa, sed omnis populus fidelis per totum orbem, vel congregatio eorum quæ tenet fidem quam Petrus docuit.* Secundò, dicimus hunc ipsum populum fidelem, non errare perseveranter in absolutè necessariis ad salutem; errare tamen posse multos ex ipsis fidelibus ad tempus, atque in dogmatibus momenti levioris; ac proinde huic ipsi catholicæ ecclesiæ, si posset in locum unum congregari, absolutam judicandi infallibilitatem non competere. Postremò, affirmamus ecclesiæ repræsentativæ non tribuenda esse eadem privilegia quæ conceduntur ecclesiæ catholicæ: nam illa ecclesia quæ vocatur repræsentativa, potest constare quoad majorem partem ex illis qui non sunt vera membra ecclesiæ catholicæ, neque veri assertores fidei catholicæ: quod accidisse fatentur ipsi papistæ in concilio Sirmiensi, Ephesino 2, aliisque; nos in ipso quoque Tridentino hoc evenisse defendimus.

Resp. (IV)

1. *In verb. Eccles.*

2.

3.

Bellarm. de concil. lib. 2. cap. 16.

Concilia generalia dicunt anathemata contrarium sentientibus: at iniquum est Christianos anathemati subjicere, quòd sententiæ incertæ, & quę fallere potest, subscribere recusent: sententia igitur conciliorum certa est & infallibilis. *Rat. 2.*

Respondeo, hoc argumentum, utcunque speciem quandam præ se ferat soliditatis, esse tamen frivolum & fragile, si seriò discutiatur. Nam 1. Episcopi etiam in particularibus conciliis dicunt anathemata hæreticis, neque tamen indè efficitur illorum judicium esse infallibile. Atque ratio in promptu est, non enim fulminant hæc anathemata in hæreticos, quòd proprium suum judicium existiment esse infallibile; sed quòd dogmata quæ proponunt, esse credant verbo divino consentanea, quod nunquam *Resp.*

1.

traordinaria gubernatio, & Spiritus ſancti ſalutifera illuminatio illos reſpicit, qui ſunt vera & viva membra eccleſiæ; non autem illis alligatur, qui obtinent tantummodo locum externum in eccleſia. Jam verò unde probabunt adverſarii illos omnes, aut majorem eorum partem qui confluunt ad concilia generalia, eſſe vera & viva membra ſub Chriſto capite? Si autem pertinent ad ſynagogam Satanæ (quod quandoque accidit) illud, *Unum corpus, & unus Spiritus*, & *Chriſtus eſt caput eccleſiæ*, ad eos omnino non pertingit: nullam igitur hinc poſſunt vendicare judicii infallibilitatem.

Teſt. 6. *Si eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus*; Matth. 18. 17. Niſi infallibile eſſet eccleſiæ judicium, durum & iniquum eſſet illos pro Ethnicis, & publicanis habere, qui ejus decretis non obtemperant.

Sol. Reſpondeo, hunc locum ad cenſuras eccleſiaſticas, non ad dogmatum determinationem pertinere: quod perſpicuum eſt ex ipſo contextu. Sed ut patiamur adverſarios illum etiam ad dogmata extendere; dicemus tamen judicium eccleſiæ, ſive de infligendis cenſuris, ſive de dogmatibus definiendis, eatenus valere quatenus fertur clave non errante: nunquam autem erraturos prælatos in judicando, neque hîc neque alibi in ſacris Scripturis habetur. Denique hic locus loquitur de eccleſia particulari: non enim propter quamlibet offenſam fratris in fratrem concilium œcumenicum convocandum eſt. Si igitur vires ullas haberet prędicta argumentatio, quævis eccleſia particularis haberet infallibilitatem judicandi; quod ipſi adverſarii repudiant.

Teſt. 7. Poſtremò, ſolent adverſarii congerere ea omnia loca, quæ docent epiſcopos habendos eſſe ut *paſtores*, audiendos ut *magiſtros*, ſequendos ut *duces*. Qualia ſunt Epheſ. 4. ver. 11. *dedit Deus, &c.* Luc. 10. 16. *Qui vos audit, me audit, &c.* Hebr. 13. 17. *Obedite præpoſitis, &c.* Ex quibus concludunt, illorum judicia, præſertim in conciliis univerſalibus declarata, eſſe infallibilia, atque omnes obligare ad credendum.

Sol. Reſpondeo, omnia hæc loca non de univerſalibus conciliis, ſed de doctoribus particularibus ſeorſum ſumptis agere: nam ſtupidum eſt putare obedientiam populi Chriſtiani hiſce in locis ad concilia univerſalia reſtringi, quæ ante Conſtantini tempora in eccleſia non fuerunt celebrata. Si igitur illi habent ſibi conceſſam judicandi infallibilitatem, quos Deus jubet nos audire, quibus jubet nos parere; tum judicium cujuſvis paſtoris legitimè vocati, eſſet infallibile. Sed dicent fortaſſe hæc teſtimonia concludere à minori ad majus: nam quod ſingulis paſtoribus tribuitur, id multò magis in generali concilio congregatis eſt tribuendum. Agnoſcimus libenter judicium generalis concilii majus & firmius eſſe quàm paſtorum ſingulorum, at ex his locis non evincitur infallibile judicium ſingulorum: eo igitur minimè conceſſo, non concluditur à minori ad majus infal-

bilitas conciliorum. De prælatis igitur, sive seorsum sive conjunctim consideratis, verè affirmamus, illos non absolutè, & simpliciter, sed quatenus verbum Christi ministrant, esse audiendos; quatenus suos errores obtrudunt, rejiciendos. Præceptum ergo audiendi, & obediendi prælatis, quia habet conditionem tacitam subintellectam, non probat illis semper adesse infallibilitatem judicandi. Atque hæc ferè sunt omnia vel saltem præcipua Scripturarum testimonia, quæ afferri solent ab iis qui conantur conciliis generalibus absolutam infallibilitatem in causis fidei definiendis adscribere. Jam rationes quæ ab iisdem afferuntur pensitemus.

Universalis ecclesia non errat: sed ea non alibi exponit judicium suum de causis fidei, quàm in concilio œcumenico, quod repræsentat totam ecclesiam, & eo sensu *ecclesia repræsentativa* dicitur: concilium igitur universale est judex infallibilis. *Rat. 1.*

Respondeo primò, illud λῆμμα, *Ecclesia universalis non errat*, ad verè fideles & pios restringendum esse, ex quibus sancta catholica ecclesia coalescit quam in symbolo profitemur nos credere, non ad omnes promiscuè diffundendum, qui vel vivunt in ecclesia, vel præsunt ecclesiis. Sic Silvester; *Ecclesia quæ errare non potest, dicitur non papa, sed omnis populus fidelis per totum orbem, vel congregatio eorum quæ tenet fidem quam Petrus docuit.* *Resp.* (N) *In verb. Eccles.* Secundò, dicimus hunc ipsum populum fidelem, non errare perseveranter in absolutè necessariis ad salutem; errare tamen posse multos ex ipsis fidelibus ad tempus, atque in dogmatibus momenti levioris; ac proinde huic ipsi catholicæ ecclesiæ, si posset in locum unum congregari, absolutam judicandi infallibilitatem non competere. Postremò, affirmamus ecclesiæ repræsentativæ non tribuenda esse eadem privilegia quæ conceduntur ecclesiæ catholicæ: nam illa ecclesia quæ vocatur repræsentativa, potest constare quoad majorem partem ex illis qui non sunt vera membra ecclesiæ catholicæ, neque veri assertores fidei catholicæ: quod accidisse fatentur ipsi papistæ in concilio Sirmiensi, Ephesino 2, aliisque; nos in ipso quoque Tridentino hoc evenisse defendimus. 2. 3. *Bellarm. de concil. lib. 2. cap. 16.*

Concilia generalia dicunt anathemata contrarium sentientibus: at iniquum est Christianos anathemati subjicere, quòd sententiæ incertæ, & quę fallere potest, subscribere recusent: sententia igitur conciliorum certa est & infallibilis. *Rat. 2.*

Respondeo, hoc argumentum, utcunque speciem quandam præ se ferat soliditatis, esse tamen frivolum & fragile, si seriò discutiatur. Nam 1. Episcopi etiam in particularibus conciliis dicunt anathemata hæreticis, neque tamen indè efficitur illorum judicium esse infallibile. Atque ratio in promptu est, non enim fulminant hæc anathemata in hæreticos, quòd proprium suum judicium existiment esse infallibile; sed quòd dogmata quæ proponunt, esse credant verbo divino consentanea, quod nunquam *Resp.* 1.

poteſt fallere. Si igitur opinione ſuâ fallantur, atque judicent id verbo divino conſentire quod revera ab eodem diſcrepat, anathemata eorum inania ſunt, neq; vulnerant contrà ſentientes. 2. Ipſi papiſtæ cùm extollere volunt papam ſupra concilia generalia, huic argumento reſpondent, Epiſcopos in ſynodis œcumenicis dicere quidem anathema contrarium ſentientibus, ſed intelligere illud vim habiturum, ſi illorum decreta fuerint à papa Romano confirmata. Quantò nos rectiùs affirmamus, pios epiſcopos in cõcilio congregatos vibrare anathemata, ſed ſemper intelligere, illa fore valida & rata, ſi à Chriſto ſummo noſtro Pontifice fuerint cõprobata? Poſtremò, ſi quæratur ab ipſis patribus in concilio aliquo œcumenico congregatis, an eà opinione ſuis decretis conjungunt anathemata, quòd putẽt ſe eſſe ab omni erroris periculo immunes; proculdubio negarent, atq; dicerent ſe anathemate percellere refragantes, non quòd ſibi vendicent in judicando de rebus fidei abſolutã infallibilitatẽ, ſed quòd perſuaſum habeant ſe illis proponere doctrinam verbi divini, quod quiſquis rejicit, anathema incurrit.

Bellarm. de conc. lib. 2. cap. 11.

Rat. 3. Epiſcopi in conciliis congregati, ſunt ex divina ordinatione conſtituti veri judices omnium controverſiarum, atque ex officio ſibi commiſſo proponunt ſententiam ſuam, non *more doctoris*, ſuſcipiendam ab auditoribus quatenus ratio ſuadet; ſed *more judicis*, ut neceſſariò ſequendam: infallibiliter igitur pronuntiant. Sic Bellarm. de verbi Dei interp. lib. 3. cap. ult. Atq; rurſus de conciliis & eccleſia lib. 1. cap. 18. *Quæritur an concilium ſit verum judicium, & epiſcopi veri judices, ità ut ſtandum ſit eorum ſententiæ, quia ipſi ſic ſtatuerunt, quomodo ſtatur ſententiæ prætoris in cauſis politicis. Nos dicimus conſeſſum epiſcoporum in conciliis legitimis, eſſe verum judicium conſeſſum, & eorum decreta, & leges neceſſariò ſequendas.* Hæc Bellarminus: quæ ſi vera ſunt, judicant infallibiliter: nam falſa ſententia non eſt ex Dei ordinatione neceſſariò ſuſcipienda.

Reſp. 1 Reſpondeo primò, ut concedamus epiſcopos eſſe veros judices, non tamen indè evincitur, judicium illorũ eſſe ſemper infallibile: nam veri & legitimi judices quandoq; falſas & iniquas ſententias ferunt. Hoc Gregorius de Valentia lubenter agnoſcit, analyſ. fid. lib. 8. cap. 7. *Quod* (inquit) *patres ſtatuant in concilio ut judices, non eſt negandum: hinc tamen non illico ſequitur, ipſos infallibiliter per ſe definire.* 2 Secundò, quod præſumunt adverſarii, ſententiam à concilio pronuntiatam in rebus fidei, eodem modo obligare quo ſententia prætoris obligat in rebus externis, falſum & impium eſt. Nam ſi ſummus magiſtratus politicus per ſententiam injuſtam ſpoliaverit ſubditum ſive bonis ſive vitâ, parendum eſt; quia & bona & vitam ſine peccato poteſt ejus ſententiæ ſubjicere: ſed ſi magiſtratus eccleſiaſtici per ſententias iniquas & falſas conentur privare ſubditos ſuos verâ religione & fide, non licet parere; quia nemo ſine peccato poteſt fidem & pietatem abjicere.

(n) Jud. 7. 19.

Verè

Verè & piè Mirandulanus, de fid. & ord. cred. theorem. 16. *Si concilium contra divinas literas, contráque ea quæ violare nefas eſt, decernere quicquam vellet, ſimplici ruſtico, & infanti, & amiculæ potiùs, quàm pontifici maximo & mille epiſcopis credendum.* Poſtremò, quod Jeſuitæ ſolent pro ſuo ſummo pontifice afferre, nimirum, *Hoſce judices non eſſe neceſſariò audiendos, donec per confirmationem papæ Romani innoteſcat eos verè definiviſſe; quia dependenter à ſententia ſummi pontificis definiunt res fidei*: id nos meliori ratione urgemus pro ſummo noſtro pontifice Jeſu Chriſto, Non eſſe epiſcopos audiendos, donec conſtiterit illorum ſententiam eſſe ab illo in ſacris Scripturis approbatam, quia omnes ſubordinati judices definiunt res fidei dependenter à ſententia Chriſti lata in verbo ſuo. 3

Valent. anal. fid. lib 8. cap 7. Et Bellarm. de concil lib. 1. cap. 18.

Illud judicium eſt infallibile in cauſis fidei, à quo non datur provocatio, quódque nullo modo irritari aut retractari poteſt: ſed à ſententia œcumenici concilii non datur appellatio ad ſuperius aliquod judicium, ſed omnes illico excommunicantur, qui non acquieſcunt decretis conciliorum generalium. Quia igitur iniquum eſt cogere Chriſtianos ut non appellent ab eo judicio, quod erroneum eſſe potuit, conſequitur, concilia generalia non poſſe errare in judicando. *Reſ. 4.*

Ab appellatione negata non demonſtratur infallibilitas ſententiæ latæ. Nam ut in cauſis politicis à ſubordinatis judicibus provocatur ad principem, atque dicunt juriſconſulti, *à ſententia principis non eſſe appellationem*; nemo tamen ſanus indè concluſerit, nullum principem ſupremum poſſe in judicando errare: ità à particularibus conciliis provocari poteſt ad œcumenicum, atque ab œcumenico non datur in foro externo ulterior provocatio; non tamen indè efficitur, concilium generale eſſe ab errandi periculo liberum. Nam quod ſupremum eſt inter homines, ſive politicum ſive eccleſiaſticum tribunal, id tamen eſt Deo & divinis legibus ſubordinatum; à quibus cùm aberraverint in judicando, utcunque ab illorum ſententia non detur forenſis appellatio propter defectum ſuperioris, conceditur tamen piis omnibus legitima recuſatio ejuſdem ſententiæ propter defectum veritatis. Sic poſtquam rex Chaldæus judicaverat ſtatuam auream, quam ipſe poſuerat, ab omnibus eſſe adorandam, adempta fuit omnis appellatio ad ſuperius in terris tribunal; at tres pueri nihilominus judicabant, hanc ſententiam impiam eſſe, & parere recuſabant, utcunque ad ſuperiorem externum judicem appellare non potuerunt. Sic etiam poſtquam generale concilium judicaverat, Chriſtum non eſſe Patri ſuo conſubſtantialem, non habebant orthodoxi aliud tribunal ſuperius ad quod illico provocarent; non tamen exiſtimabant Athanaſius, Hilarius, reliquique orthodoxi judicium hoc fuiſſe infallibile, & neceſſariò ab illis admittendum. Jam verò, quod urgent adverſarii, omnes excommunicari qui non *Reſp.* (n) Dan. 3. c

acquieſcunt decretis generàlis concilii, nihil valet ad confirmandam conciliorum infallibilitatem. Nam Deus dedit poteſtatem excommunicandi etiam iis qui poſſunt hac poteſtate abuti, & de facto nonnunquam abutuntur. Eſt igitur hæc inepta concludendi ratio, Concilium œcumenicum poteſt excommunicare eos qui non parent decretis ſuis, ergò non poſſunt errare in condendis decretis. Poſſunt enim & particularia concilia excommunicare immorigeros, quibus tamen ab ipſis papiſtis infallibile judicium non conceditur. Denique quoties ſuis excommunicationibus, ſive generalia, ſive particularia concilia, conantur cogere Chriſtianos ad ſuſcipiendam falſam ſententiam, utuntur quidem poteſtate excommunicandi ſibi ab ipſo Deo conceſsâ, ſed malè & ſceleratè utuntur: ab abuſu autem excommunicationis inferre judicandi infallibilitatem in ipſo excommunicante, inſulſum planè & nugatorium eſt.

Rat. 5. Si concilia generalia poſſent errare, nullum eſſet in eccleſia firmum judicium quo controverſiæ componi, & unitas in eccleſia ſervari poſſet: nihil enim eſt majus generali concilio. Ergò concilii judicium eſt infallibile.

Reſp. Si de judicio humano loquantur adverſarii, agnoſcimus nullum eſſe tam firmum & infallibile, cui tutò & ſecurè omnes catholici poſſint ſuam fidē ſine probatione committere. Si de judicio divino loquantur, affirmamus extare in eccleſia firmum & perpetuum judicium de omnibus fidei dogmatibus, nimirum, judicium Dei loquentis in Scripturis; non enim argumentis refellendus, ſed inter atheos reputandus eſt, qui negat in Scripturis de rebus fidei eſſe ab ipſo Deo pronuntiatam ſententiam, eámque intelligibilem, firmam, & infallibilem. Hîc etiam ab adverſariis quærendum eſt, nunquid per trecentos annos nullum fuit in eccleſia firmum judicium, ad controverſias dirimendas, & unitatem ſtabiliendam: nam manifeſtum eſt ante Conſtantini tempora generale concilium non fuiſſe celebratum. At illis temporibus hæretici refutati ſunt, catholica fides propugnata, unitas etiam eccleſiæ conſervata: habet igitur eccleſia quo componat controverſias, etiamſi penitus deſtituatur judicio generalium conciliorum. Poſtremò, ſi putant adverſarii generale concilium poſſe omnes controverſias penitus è medio tollere, atque perfectam unitatem in eccleſia ſtabilire, multùm falluntur: hoc enim neque factum eſt unquam, neque fiet, donec ipſe Chriſtus ſecundo ſuo adventu omnia ſibi ſubjecerit. Eſt igitur à ratione alienum, propter illud effectum producendum adſcribere conciliis infallibile judicium, quod concilia nunquam producent, nunquam produxerunt.

Rat. 6. Si concilia generalia non judicarent infallibiliter, poſſent meritò in dubium revocari omnes damnatæ hæreſes. Diceret enim Arrius erràſſe Nicænum concilium; Macedonius, Conſtantinopolitanum; Neſtorius, Epheſinum; Eutyches, Chalcedonenſe.

Falſum

Falsum & impium est, omnes damnatas hæreses posse meritò in dubium revocari, nisi innitamur infallibili judicio conciliorum generalium. Nam si sumatur, Nihil unquam hisce de rebus conclusum fuisse in generalibus conciliis; tamen non possent Arriani meritò dubitare utrùm Christus esset verus Deus, non posset Macedonius meritò in quæstionem vocare divinitatem Spiritus sancti, non posset Nestorius meritò dividere personam Christi, non Eutyches ejus naturas confundere. Hæc enim omnia ante sententiam latam à generalibus conciliis, erant in verbo divino definita, ab orthodoxis agnita & recepta, ab hæreticis denique non meritò sed impudentissimè in quæstionem vocata. Firma igitur & inconcussa habentur prædictorum conciliorum decreta, non propter infallibilitatem ipsorum judicantium, sed propter infallibilitatem rei judicatæ. Oblatrare potuerunt hæretici ante conciliorum generalium definitionem, oblatrare non desiterunt hisce verissimis dogmatibus, etiam post conciliorum determinationem: sed neque antea, neque postea id meritò facere potuerunt.

Resp.

(1)

Si omnia concilia possent errare, illud certè sequitur, quòd omnia intolerabilem errorem admiserint; nam error intolerabilis est, proponere aliquid credendum tanquam articulum fidei, de quo non constet proponenti an sit verum vel falsum. At concilia ediderunt symbola, quæ voluerunt haberi tanquam articulos fidei: infallibilia igitur sunt illorum judicia, non incerta & dubia.

Rat. 7.

Aliud est *posse errare*, aliud *de facto errare*. Possunt errare privati quilibet pastores, particularia etiam quælibet concilia; non tamen idcirco intolerabilem errorem admittunt, quoties populo sibi subdito aliquid ex verbo divino deductum, tanquam articulum fidei, credendum proponunt. Si enim nemo posset aliquid ex verbo divino deductum credendum proponere, nisi cui competeret judicium infallibile, non liceret ministris ea quæ sunt fidei populo suo credenda injungere, non particularibus ecclesiis. Dicimus igitur orthodoxa concilia proposuisse symbola credenda populo Christiano, non quòd putarent suum judicium de rebus fidei esse infallibile, sed quòd scirent verbum Dei, unde illa symbola deduxerunt, esse infallibile. Non igitur suo privilegio nitebantur in symbolis edendis, sed manifestâ & perspicuâ testificatione verbi divini. Qui autem ab infallibili veritate dirigitur in judicando, is judicat infallibiliter, illi etiam constat illud esse verum quod ex verbo didicit, utcunque non gaudeat judicio infallibili. Quemadmodum itaque nihil credit privatus quilibet Christianus fide verâ & catholicâ, de quo non illi constat, verúmne an falsum sit, neque tamen indè sequitur, judicium cujuslibet fidelis Christiani esse infallibile: ità patres orthodoxi in conciliis, quando faciunt officium suum, nihil proponunt credendum, de quo non illis constat, an sit verum vel falsum, neque tamen indè evincitur, illorum judicium

Resp.

(2)

eſſe infallibile. Atque hæ ſunt præcipuæ rationes illorum, qui conciliorum in judicando infallibilitatem conantur ſtabilire: ex patribus etiam teſtimonia quædam proferunt, à nobis deinceps diluenda.

CAP. XIX.

Reſpondetur teſtimoniis patrum.

Teſt. 1. PRimum ex Athanaſio depromitur in epiſt. ad Epictetum, atq; citatur etiam ab Epiphanio, hæreſ. 77. *Ego* (inquit Athanaſius) *arbitrabar omnium hæreticorum inanem garrulitatem Nicæno concilio ſedatam eſſe.* Et paulò pòſt, *Quomodo poſt tot facta aliqui ambigere, aut quæſtionem movere conantur?* Ergò, &c.

Reſp. Malâ fide hoc teſtimonium ab adverſariis citatur: nam diſſimulant illa verba quæ proximè ſequuntur, atque Athanaſii mentem perſpicuè declarant; ea autem ſunt hujuſmodi, *Nam fides quæ inibi à patribus ſecundum ſacras Scripturas tradita eſt, & confeſſionibus confirmata, ſatis mihi idonea videtur ad omnem impietatem evertendam, &c.* Non igitur ſimpliciter negat Athanaſius ambigendum eſſe de decretis conciliorum generalium, ſed de hoc concilio novas lites eſſe movendas, quia fides in eo tradita, ex ſacris Scripturis fuit confirmata. Imò ipſe Athanaſius non modò ambigebat de decretis aliorum conciliorum generalium, ſed ea damnabat & rejiciebat. Ab authoritate ergò verbi divini cui innituntur, non ab infallibilitate ipſorum epiſcoporum, concilia generalia habent ſuam firmitatem & infallibilitatem.

Teſt. 2. epiſt. 162. Auguſtinus oſtendit ultimum judicium eccleſiæ eſſe generale concilium, ergò eſt infallibile.

Reſp. Ut dicat eſſe ultimum, tamen hoc non probat ejus judicium eſſe infallibile: nam antea oſtendimus, quod eſt ultimum & ſupremum in terris tribunal, non eſſe idcirco ab errore liberum. Et ipſe Auguſtinus hoc apertè agnoſcit, quando ſcribit, *concilia provincialia plenariorum conciliorum authoritati cedere; ipſáque plenaria, ſæpe priora à poſterioribus emendari, cùm aliquo experimento rerum aperitur quod clauſum erat, & cognoſcitur quod latebat.* Cæcus eſt qui non videt Auguſtinum adimere infallibilitatem judicandi, etiam conciliis generalibus.

De bapt. contr. Donat. lib. 2. cap. 3.

Teſt. 3. Leo petit ut definita in conciliis generalibus non retractentur, in epiſt. 50. ad Martianum imperatorem: atque ipſe Martianus imperator hoc ſanxit lege ſuâ, ut habetur in Cod. lib. 1. tit 1. de ſumma Trinitate: atque multa in eandem ſententiam habentur in aliis epiſtolis Leonis.

Non

Non ſimpliciter petit Leo, nè unquam retractetur aliquid quod in quovis concilio generali fuit aut foret definitum; ſed nè retractentur ea quæ fuerunt in concilio Nicæno, Chalcedonenſi, Conſtantinopolitano 1, & Epheſino decreta. Et jure hoc poſtulat ab imperatore, quia in hiſce omnibus conciliis patres ſecuti ſunt doctrinam in Scripturis antea declaratam. Ex lege ipſius Martiani hoc clarè patet, quæ ſic ſe habet; *Nemo clericus, vel militaris, de fide Chriſtiana publicè, turbis coadunatis & audientibus, tractare conetur in poſterum, ex hoc tumultus & perfidiæ occaſionem requirens. Nam injuriam facit judicio reverendiſſimæ ſynodi, ſi quis ſemel judicata & rectè diſpoſita revolvere, & publicè diſputare contenderit; cùm ea quæ nunc de fide ſtatuta ſunt, juxta apoſtolicas expoſitiones, & inſtituta ſanctorum patrum definita eſſe noſcantur.* Et paulò poſt, *In contemptores hujus legis pœna non deerit, quia contra fidem verè expoſitam veniunt.* Prohibentur igitur omnes retractare quæ fuerunt in hiſce conciliis definita, non quòd omnia concilia generalia habent privilegium judicandi infallibiliter; ſed quòd hiſce conciliis dogmata fidei expoſita fuerunt juxta doctrinam apoſtolicam, & contra fidem verè expoſitam venire impium ſit. Poteſt etiam & illud addi, Illos qui publicè judicant, utcunque agnoſcunt ſe eſſe in judicando errori obnoxios, tamen quia cùm decernunt, perſuaſum habent ſe rectè decernere, ideo vetare ſua decreta retractari. A prohibitione igitur retractationis non infertur judicandi infallibilitas. *Reſp.*

Gregorius Nazianzenus, cùm Apollinariſtæ negarent ſe eſſe hæreticos hoc argumento quòd in concilio quodam catholico recepti fuiſſent, ſic ait; *Oſtendant hoc; & nos acquieſcemus: perſpicuum enim erit eos rectæ doctrinæ aſſentiri; nec enim aliter ſe res habere poteſt, ſi id conſecuti ſunt.* Putavit igitur Nazianzenus conciliorum generalium judicium eſſe infallibile. *Teſt. 4*

Epiſt. prior. ad Cheledonium.

Reſpondeo primò, Incertum eſt utrùm Nazianzenus loquatur de concilio generali, an particulari; imò multò veriſimilius eſt, illum loqui de aliquo particulari concilio, quia nomen ejuſdem non apponit. At, ſi ipſis adverſariis fidem adhibemus, particularia concilia non habent judicandi infallibilitatem, nè approbata quidem à pontifice Romano: ſaltem non eſt hoc fide catholicâ tenendum, fatente Bellarmino. Malè igitur colligunt, Nazianzenum voluiſſe huic concilio occidentali (de quo loquitur) infallibilitatem judicandi adſcribere. *1 Reſp.*

Bell'arm. de conc. lib. 2. cap. 5. 2.

Secundò, cùm dicit Nazianzenus ſe recepturum Apollinariſtas in communionem ſi oſtendere poſſent ſe receptos, ac doctrinam ſuam probatam fuiſſe ab illa orthodoxa ſynodo occidentali; hac conceſſione non illud innuit, nullam ſynodum ex catholicis epiſcopis congregatam poſſe aliquando errare; ſed ſe pro compertò habere, illam ſynodum ſanam fidem propugnâſſe, atque hæreticorum perfidiam condemnâſſe. Non igitur abſolutam infallibilitatem vendicat conciliis, ſed mentiendi

impudentiam objicit Apollinariſtis. Poſtremò, cùm illud adjungit, *Neque enim ſe res aliter habere poteſt quin rectam doctrinam amplectantur, ſi ab eo concilio recepti ac probati fuerint*, veriſſimè dicitur. Neque enim fieri poteſt, ut quis in eo non rectè ſentiat, in quo judicium ejus conforme eſt alteri rectè ſentienti. Rectè ſentiebat illud concilium de Chriſto; recta igitur fuiſſet Apollinariſtarum ſententia, ſi rectè ſentientium calculo fuiſſet approbata.

Voluit igitur oſtendere Nazianzenus eos non potuiſſe errare, ſi cum hoc concilio ſenſiſſent, quod ſanam de Chriſto fidem ex Scripturis hauſerat: ſed noluit aut huic concilio, aut cuivis alteri id tribuere, quòd à Scripturis & vera fide nunquam poſſent aberrare.

Teſt. 5. Leo, epiſt. 78. ad Leonem Auguſtum, docet eos non poſſe inter catholicos computari, qui reſiſtunt Nicæno, vel Chalcedonenſi concilio: ergò exiſtimavit judicium conciliorum eſſe infallibile.

Reſp. Dicitur hoc à Leone, non propter abſolutam infallibilitatem conciliorum, ſed propter abſolutam veritatem doctrinæ in illis conciliis definitæ. Nam ſi nunquam extitiſſet concilium illud Nicænum, aut Chalcedonenſe, non potuiſſent tamen inter catholicos computari, qui veram Chriſti divinitatem negarent, aut qui diſtinctas ejus naturas everterent.

Teſt. 6. lib. 1. de bapt. cap. 18. Auguſtinus hâc tantùm ratione excuſat Cyprianum ab hæreſi, quòd adhuc non extiterit generale concilium, quo definiri potuiſſet illa quæſtio de baptiſmo hæreticorum. Putavit ergò Auguſtinus omnes eſſe hæreticos qui adverſantur conciliis generalibus; quod dicendum non eſſet, niſi eorum decreta continerent veritatem infallibilem.

Reſp. Quandoquidem non errare ſimpliciter, ſed pertinaciter errori ſuo adhæreſcere, facit hæreticum, rectè quidem ab hæreſi excuſatur Cyprianus, quamvis aliter de baptiſmo ſenſit, quàm inquiſita diligentiùs veritas poſtea declaravit: meritò etiam *hæreticus* audiviſſet, ſi, poſt rem liquidò manifeſtatam in concilio generali, ſententiam ſuam erroneam non deſeruiſſet. Sed ex hiſce præmiſſis illud tantùm concludi poteſt, eſſe illos pro hæreticis habendos qui veritatem in conciliis generalibus liquidò manifeſtatam rejiciunt: illud autem colligi non poteſt, concilia generalia ſemper veritatem proponere, neque unquam falli aut decipi poſſe. Ut itaque ſemel & huic & cæteris ejuſdem farinæ objectiunculis occurratur, dico patres vocare eos hæreticos qui reſiſtunt conciliis, non ex præſuppoſita ipſorum conciliorum infallibilitate, ſed ex agnita dogmatum ab illis definitorum veritate. Nam qui reſtiterunt Ariminenſi, Epheſino 2, aliiſque generalibus conciliis hæreſin ſtabilientibus, ſemper pro orthodoxis habiti ſunt.

Teſt. 7. Decreta conciliorum vocantur *divina*, & *à Spiritu ſancto edita*. Sic

enim

enim Constantinus apud Eusebium, lib. 3. de vita Constantini, vocat concilii Nicæni decreta *cœlestia mandata:* atque Nazianzenus dicit episcopos in Nicæno concilio *ab ipso Spiritu sancto fuisse congregatos*: atque eodem modo loquuntur multi alii patres de Chalcedonensi: unde colligitur, illos tribuisse conciliis authoritatem divinam & infallibilem.

Ex uno aut altero particulari non concluditur universale: Ineptè igitur colligunt; *Decreta concilii Nicæni erant divina & infallibilia, item decreta Chalcedonensis; ergò omnium generalium conciliorum decreta sunt infallibilia.* Illud etiam vitiosè colligitur; *Concilium hoc vel illud edidit decreta divina & infallibilia; ergò habet judicium infallibile.* Nam horum conciliorum decreta erant divina & infallibilia, quatenus ex verbo divino, quod nec fallere nec falli potest, petebantur. Si alia concilia, sive generalia, sive particularia; imò si quilibet privatus Christianus ex eodem fonte hauriat suas definitiones atque doctrinas, habebit eandem veritatem infallibilem. *Resp.*

Ambrosius, epist. 32. *Sequor tractatum Nicæni concilii, à quo me nec mors, nec gladius poterit separare.* Sunt igitur infallibilia decreta generalium conciliorum, cùm moriendum potiùs sit, quàm ab illis recedendum. Pro dogmate incerto mortem subire stultum est. *Test. 8.*

Eodem vitio laborat hoc argumentum, quo illud prius: nam hinc concludi potest, doctrinam Nicæni concilii fuisse infallibilem; sed non itidem quorumvis aliorum, nisi eandem regulam sequantur in definiendo. Ineptiunt igitur adversarii, cùm perinde nobiscum agunt, ac si negemus doctrinam ullius concilii generalis esse infallibilem. Nostra defensio est, ipsos doctores, sive episcopos in conciliis congregatos, non habere judicium infallibile; sed fatemur doctrinam ab illis propositam esse divinam & infallibilem, quoties faciunt quod Nicæni patres fecerunt, hoc est, quoties judicium suum subjiciunt judicio Scripturarum. Satìs jam ventilavimus adversariorum argumenta, restat ut copias nostras in aciem producamus. *Resp.*

Cap. XX.

Argumenta proponuntur contra infallibilitatem conciliorum.

Quia solitum est omnibus papistis theologos nostros quasi conciliorum contemptores maledictis proscindere, ut intelligatur nos honorificentissimè, istos autem abjectissimè de iisdem sentire, placet tum nostram tum adversariorum hac de re sententiam quasi frontibus adversis inter se componere.

1. Nos igitur agnoſcimus ſupremum judicium de doctrina fidei publicum & externum in eccleſia militante eſſe penes concilium œcumenicum. Illi dicunt eſſe ſuperius tribunal externum & viſibile, nimirum pontificis in Vaticano ſedentis, qui ut princeps eccleſiæ poteſt retractare judicium œcumenici concilii, & illud totum irritum facere.

Bellarm. de concil lib. 1. cap. 18.

2. Nos agnoſcimus omnes perſonas in eccleſia ſubjici concilio œcumenico, quod repræſentat catholicam eccleſiam. Illi dicunt eſſe certam perſonam in eccleſia, nimirum pontificem Romanum, qui non eſt de numero fratrum ſubjectorum matri eccleſiæ: imò, qui non poteſt ſe ſubjicere ſententiæ coactivæ concilii generalis.

Valent. anal. fid. lib. 8. cap. 7. Bellarm. de conc. lib. 2. cap. 18

3. Nos dicimus epiſcopos congregatos in conciliis, ab ipſo Chriſto accepiſſe ſummam poteſtatem judicandi, atque cenſuras infligendi pro bono eccleſiæ. Illi dicunt neminem niſi papam dediſſe ſuffragia ipſis epiſcopis nomine populi Chriſtiani, atque idcirco patres in conciliis ſine papa nihil poſſe.

Cajetan. de auth. papæ & concil. tract. 1. cap 8.

4. Nos dicimus concilia generalia errare poſſe, niſi patres in definiendo ſequantur inſtructionem Chriſti ſummi pontificis noſtri in Scripturis declaratam; à qua inſtructione affirmamus eos quandoque recedere. Dicunt Jeſuitæ concilia errare poſſe, niſi in definiendo patres ſequantur pontificis Romani inſtructionem per legatos tranſmiſſam, cui fatentur illos aliquoties repugnâſſe. Bellarm. de concil. lib. 2. cap. 11.

Valent. anal. fid. lib. 8 cap. 7.

Ex hiſce omnibus cuivis æquo harum rerum arbitro facilè patebit, generale concilium nobis eſſe ſummum in terris tribunal, etſi non infallibile; Jeſuitis nihil aliud eſſe, quàm Romani pontificis ſervum pecus, & merum mancipium.

Sed ad argumenta accedamus: atque primo in loco illa afferemus quibus Jeſuitæ uti ſolent cùm pro pontifice ſuo pugnant contra concilia generalia, ut adhuc magis appareat papiſtas, quoties papæ res agitur, etiam œcumenica concilia floccifacere, & tantùm non pedibus proculcare, ſi unico pontificis Romani ſuffragio deſtituantur. Iſtorum ergò ratiunculas audiamus.

Arg. 1. Cajetan. de auth. papæ & concil. tract. 1. cap. 6.

Deus ſupremam & infallibilem authoritatem non locavit in corpore trunco & enormiter diminuto: ergò concilium œcumenicum per ſe non eſt infallibilis & ſupremus judex, quia ſine papa eſt truncum & ἀνάρθρον.

Arg. 2. Idem cap. 8.

Qui ſolus contulit cardinalibus, epiſcopis, reliquiſque in concilio congregatis vota totius populi Chriſtiani, is eſt ſupra œcumenicum concilium, & ſine eo nihil poteſt definire infallibiliter: ſed ſolus papa hoc iis contulit, ergò ſine eo patres congregati nihil poſſunt, & ille, ſi velit, poteſt ab illis auferre ne repræſentent ampliùs univerſalem eccleſiam authoritativè.

Arg. 3.

Ad quem non ſpectat determinare finaliter, quid de fide tenendum,

quid

quid repellendum ſit, ille non habet ſupremum judicium aut infallibile: ſed hoc non ſpectat ad œcumenicum concilium: nàm quoties ratio fidei ventilatur, non niſi ad Petrum recurrendum eſt; imò ipſa authoritas quæ univerſalis eccleſiæ dicitur, non niſi illa papæ authoritas eſt. Sine authoritate papæ igitur poteſt errare communitas eccleſiæ. Idem cap. 9. & 12.

A quo datur appellatio, illud non habet ſupremum judicium & infallibile: ſed datur appellatio à concilio ad papam; nam concilium etiam legitimè congregatum aliquando notoriè erravit. Arg. 4. Idem cap. 11. & 12.

Communitas eccleſiæ non eſt relicta ſibi à Jeſu Chriſto, ſed commiſſa Petro, & ejus ſucceſſoribus; ac propter hoc non poteſt leges aliquas authoritativè facere, niſi ille qui curam habet communitatis eaſdem confirmare & promulgare velit. Hæc ex Cajetano. Arg. 5. Ibid.

Si concilii œcumenici judicium eſſet infallibile, tum eßet ultimum & irretractabile: non eſt autem ultimum; nam ad pontificem Romanum mittuntur decreta, & pontifex poteſt concilium generale approbare vel reprobare. Arg. 6. Bellarm. de concil. auth. lib. 2. cap. 11.

Firmitas concilii naſcitur ex conjunctione corporis cum capite; non habet igitur concilium œcumenicum privilegium non errandi, antequam caput, hoc eſt papa, aperiat ſententiam ſuam. Arg. 7. Ibid.

Multa concilia, quibus nihil defuit niſi pontificis Romani conſenſus, erràrunt etiam in fidei decretis, ut patet in concilio Syracenſi, Mediolanenſi, Ariminienſi, Epheſino, Conſtantinopolitano. Hæc ex Bellarmino. Arg. 8. Ibid.

Nullum concilium infallibilem authoritatem definiendi per ſe habet, ſeclusâ Româ in pontificis approbatione; quia concilia etiam univerſalia per pontificem non confirmata erraverunt. Arg. 9. Valent. anal. fid. lib. 8. cap. 7.

Ejus tantùm eſt controverſias fidei determinare infallibiliter, cujus eſt in eccleſia ſub Chriſto ſuprema poteſtas ſpiritualis: ſed hæc poteſtas non reperitur in ullo concilio univerſali, ſed duntaxat in pontifice Romano. Arg. 10. Ibid.

Chriſtus nihil facit fruſtra: ſed fruſtra conceſſiſſet infallibilem authoritatem conciliis, cùm ea conceſſa ſit papæ. Deus autem, ut non deficit in neceſſariis, ità nec ejus providentia abundat ſupervacaneis. Non igitur dedit patribus in concilio congregatis infallibilitatem judicandi. Arg. 11. Ibid.

Quod pugnat cum certiſſima fide de divi Petri ac Romani pontificis primatu, non eſt admittendum: ſed ſupremum & infallibile judicium tribuere concilio univerſali, pugnat cum hoc primatu. Nam ſi concilia judicarent infallibiliter, ipſe papa teneretur illorum decreta acceptare; aut eſſent duæ ſupremæ poteſtates in eccleſia, quarum quælibet ſupremam poteſtatem haberet, quod eſt impoſſibile. Hæc Valentia. Arg. 12. Ibid.

Hæc ſunt Jeſuitarum ferè argumenta omnia, quæ non eum in finem à me adducta fuerunt, quòd putem aliquid ſoliditatis illis ineſſe; nam falſo & putrido pontificii primatus fundamento ſuperſtruuntur: ſed quòd illa omnia ad uſum, commodúmque noſtrum adaptare facilè poſſimus.

1. Nam primò, ex hiſce argumentis id liquidò conſtat, Jeſuitas, cùm vendicant eccleſiæ aut conciliis generalibus judicium infallibile & ab omni errore liberum, nihil aliud velle, quàm eccleſiam & concilia falli non poſſe, ſi papæ judicio judicium ſuum ſubjicere & conformare velint. Præclaros proculdubio conciliorum patronos! qui eis illam infallibilitatem tribuunt, quam cuivis puero, aniculæ, imò hæretico denegare non audent. Nam horum judicia cùm ſemel fuerint juxta ſententiam pontificiam conformata, indubiam & infallibilem continent veritatem. 2. Secundò, ex hiſce etiam ratiunculis Jeſuitarum illud colligere licet, ipſum nervum papiſmi, non à Lutbero aut Calvino primitus, ſed à concilio Conſtantienſi, Baſilienſi, atque innumeris pontificiis eliſum inciſúmque fuiſſe. Nam hi omnes everterunt infallibilem cathedram pontificis Romani, in quam fides modernorum papiſtarum, tanquam in ſolum oraculum infallibile, recumbit. 3. Poſtremò, ex prædictis argumentis, quæ vitioſa & infirma ſunt quatenus ſupponunt pontificis ſupremam in eccleſia poteſtatem, poſſumus efficere demonſtrationes validiſſimas, ſi ejus loco ponamus Chriſti ſupremam poteſtatem atque ſententiam infallibilem in verbo declaratam. Nam quod iſti ineptè concluſerunt, *Concilia errare poſſe, quia à ſententia pontificis Romani poſſunt diſſidere*; id nos optimè concludamus, *Concilia* ſcilicet *errare poſſe, quia aliquando ab authoritate & à ſententia Chriſti in verbo declarata poſſunt aberrare.* Sed nimis diu hæſimus in hiſce Jeſuitarum argumentis; alia jam, eáque multò firmiora apponemus.

Arg. 1. Sub veteri Teſtamento judicium concilii non fuit infallibile; ergò nec ſub novo. Patet conſequentia, tum quia ipſi adverſarii ex veteri Teſtamento depromunt primarium fundamentum ſententiæ ſuæ, tum quia Chriſtus & ſanctus Spiritus aſſiſtebat eccleſiæ Judaicæ, in quantum ſalus eccleſiæ poſtulabat. Illud igitur Deuteronomii 17. ſemper in ore habent, *Si difficile & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris, &c.* atque ex hoc loco concludere volunt, ſententiam ſacerdotũ eſſe infallibilem. Cùm dicunt etiam Dei providentiam deeſſe eccleſiæ, niſi concedatur hæc infallibilitas judicandi eccleſiaſticis judicibus, admittant neceſſe eſt, Judaicam eccleſiam habuiſſe hoc tribunal infallibile, aut hæc ſua argumenta inepta & vana fuiſſe. Sed Judaica (utì dictum eſt) non habuit hoc privilegium infallibilitatis; quod ſic oſtendo. Eccleſia non judicat rectè, niſi quando judicat ex præſtituto vel ex ore legis, ut habetur in loco Deuteronomii prædicto. Sed ſacerdotes in Judaica eccleſia, non ſemper judicârunt ex ore legis. Ad hanc rem habemus prophetas teſtes omni exceptione majores, qui paſſim oſtendunt collegium ſacerdotum, ex parte majori, divinam legem aut ignoraſſe aut contempſiſſe. Eſa. 56. 10. *Speculatores ejus cæci omnes, neſciêrunt univerſi.* Jerem. 2. 8. *Sacerdotes non dixerunt,*

Ubi

Ubi eſt Dominus? & tenentes legem neſciérunt me. Ezech. 7. 26. *Lex peribit à ſacerdote, & conſilium à ſenioribus.* Et cap. 22. ver. 26. *Sacerdotes contempſerunt legem meam.* Qui concilium ex paſtoribus cæcis, & divinæ legis contemptoribus conflatum, non potuiſſe tamen errare affirmat; illum ego, non tam errare, quàm inſanire affirmo. Sed occurrunt papiſtæ; Quod de omnibus dicitur, illud non ad *omnes ſine exceptione*, ſed ad *quamplurimos* reſtringendum. Sit ità. Cùm igitur in conciliis plures prævaleant paucioribus, ad ſententiam ferendam quod attinet, idem eſt, ſive concilium ex omnibus, ſive ex pluribus cæcis & improbis conflet. At illud etiam fortaſſe objicient, Sacerdotes quamplurimos ſeorſum ſumptos, cæcos ſæpe fuiſſe & improbos; ſed eoſdem in conciliis coactos, Spiritu divino dirigi & illuminari. Sed hoc eſt ad miracula confugere, & experientiæ repugnare: nam qui ſeorſum cæci & improbi ſunt, illi conjunctim cæcitati & improbitati ſuæ plerunque addunt impudentiam & inſaniam. Sic videmus ſacerdotes hoſce cæcos etiam in concilio congregatos judicâſſe Chriſtum impoſtorem, blaſphemum, & morte dignum, omnéſque excommunicatione mulctandos, qui illum pro Meſsia agnoſcerent. Ioan. 9.

Si eccleſia Chriſtiana habet hanc judicandi infallibilitatem, tum ex promiſſionibus divinæ aſſiſtentiæ illi factis hanc poteſt vendicare; ſed nihil tale poteſt ex illis promiſſionibus elicere. Nam quæ ſubinde citantur à pontificiis, *Portæ inferni non prævalebunt adverſus eam, Spiritus vos ducet in omnem veritatem, Qui vos audit, me audit*, atque ejus generis alia, ad particulares eccleſias, ad particulares paſtores, imò ad ſingulos plerunque electos accommodari poſſunt. Sed certiſſimum eſt, hoſce poſſe errare in judicando; ergò non eſt ea vis harum promiſſionum, ut eximant eos ab errandi periculo, ad quos jure pertinent. Nam ſi omnes eſſent immunes ab errore e contra quos portæ inferni non prævalebunt, omnes electi hoc privilegio gauderent. Si omnes judicarent infallibiliter, quos Spiritus Dei pollicetur ducere in omnem veritatem, tum ſeorſum quilibet paſtor fidelis judicaret infallibiliter; nam antea oſtenſum eſt, hunc locum ad concilia generalia reſtringi nullo modo poſſe, quia ad apoſtolos & eorum ſucceſſores ſeorſum conſideratos dirigitur. Poſtremò, ſi illico quilibet exiſtat infallibilis judex, in quem quadrat illud, *Qui vos audit, me audit*; tum quivis miniſter verbi legitimè vocatus, erit judex infallibilis. Sed hæc antea à nobis exagitata fuerunt, ad tertium igitur argumentum accedamus. *Arg.* 2.

Quos Deus in ſententiis ferendis tutos & exemptos facit ab omni errore, illis concedit illa media quibus homines perducuntur in certam cognitionem veritatis, ab illis etiam removet contrarias cauſas quæ homines impellere ſolent in errorum diverticu- *Arg.* 3.

la: nam quibus Deus finem dare decrevit, illis etiam media ad eundem finem requisita præstare solet. Sed patribus in concilio generali congregatis Deus non semper inspirat scientiam Scripturarum, non studium gloriæ suæ, non animum scrutandi ipsas Scripturas, sine quibus veritas nec cognosci, nec amari, nec probari solet. E contrà, Deus subinde permittit illorum animos qui confluunt ad concilia, inflari superbiâ, oppleri malitiâ, occæcari insciliâ; quod non modò in quibusdam antiquis conciliis, sed etiam in ipso Tridentino jampridem celebrato luce meridianâ clariùs apparuit. Audite etiam Gersonis querelam, quam experientiâ edoctus emisit, utcunque fuerit conciliorum generalium propugnator studiosissimus. *Ego* (inquit) *synodum non accuso quam revereor, sed plurimos in synodo conversantes excusare non valeo, quos animæ passiones & pestes improbæ, quibus mos est cathedram humani subvertere judicii, fefellerunt.* Qui malis passionibus abduci, & peste corripi possunt, illos etiam posse pestiferis erroribus favere, ac veritatem orthodoxam rejicere nemo dubitat. Nam putare cæcos & malitiosos veritatis hostes necessariò fundere oracula infallibilia simulac in concilium convenerunt, anabaptistica planè dementia est, vel potiùs superat enthusiasmos omnes anabaptisticos. Quod igitur Bellarminus scripsit in 2. de conciliorum authoritate, cap. 9. est insciliæ & stultitiæ pleniſſimum: *Etiamsi* (inquit) *summus pontifex, & omnes episcopi, qui ad aliquod generale concilium convocantur, essent corde hæretici, & solâ externâ professione catholici, tamen certi sumus, Deum nunquam permissurum, ut ejusmodi concilium in decretis suis formandis erraret. Assistit enim concilio Spiritus sanctus, non tam propter ipsum concilium, quàm propter ecclesiam universalem, quæ divino præcepto tenetur episcoporum sententiam non discentere, sed venerari.* Hæc ille. Ex quibus conjecturam facite, qualem causam defendant, qui coguntur in sententias tam absurdas, tam ab omni ratione & religione alienas, sese præcipites dare.

Part. 3. in dial. apolog.

Arg. 4.

Si propter promissam Spiritus sancti assistentiam, & propter parendi necessitatem quæ incumbit Christianis, concilio generali competeret infallibilitas judicandi; tum ostenderent patres hoc suum judicium infallibile, non modò in nudis *conclusionibus & definitionibus*, sed etiam in ipsis *disquisitionibus & collationibus*, quæ ad sententiam viam muniunt. Aperta ratio est; quia Spiritus sanctus non restringit suam præsentiam aut assistentiam ad unicum illud temporis momentum in quo pronuntiatur decretum, sed promisit suam assistentiam congregatis in nomine Christi. Non dicit Scriptura, *Quoties duo aut tres congregati in nomine meo incipiunt formare decreta, ero in medio eorum, & illis in ipso actu definiendi dabo judicium infallibile*; sed ab ipso initio ad finem adest ex promisso, & assistit Spiritus sanctus congregatis in nomine Christi. Si igitur ex *præsentia* aut *assistentia Spiritus sancti* sequeretur infallibilitas judicandi,

dicandi, quia per totum negotium promisit suam præsentiam, haberent patres congregati ex æquo in omnibus hoc suum judicium infallibile. At hic ipsi pontificii reclamant. Pro omnibus unus loquatur Melchior Canus; *Spiritus sanctus non in singulis assistit concilio, sed in iis tantùm quæ proponunt eâ intentione, ut obligent totam ecclesiam; si quid enim ab illis quovismodo præter institutum præcipuum asseratur, id non habet infallibilitatem.* Porrò, si propter *parendi necessitatem quæ piis incumbit* tribuenda sit concilio decernendi infallibilitas, gauderent patres hoc privilegio etiam in *quæstionibus facti.* Nam Spiritus sanctus tam factum tenet quàm jus, & populus Christianus tenetur acquiescere & obedire sententiæ œcumenici concilii etiam in *quæstionibus facti.* Quid, quòd Spiritus sanctus assistit concilio, non tam propter ipsum concilium, quàm propter ecclesiam universam? at vel in *quæstionibus facti* falsam sententiam amplecti, repugnare potest bono ecclesiæ universæ. Si igitur ex promissa Spiritus assistentia, propter bonum commune ecclesiæ adesset concilio facultas judicandi infallibiliter; in *quæstionibus* etiam *facti* falsam sententiam nunquam proponeret. Sed hic etiam adversarii non audent tueri hanc infallibilitatem. *In quæstionibus facti non dubium est concilium errare posse* inquit Bellarminus. Quis non videt hâc nimiâ timiditate papistas defensionem suam corrupisse, cùm in illis locis in quibus fundatam obtendunt infallibilitatem, hujusmodi limitationes nullę appareant? Dum igitur sine verbo limites præscribunt Spiritui sancto, intra quos ex promisso teneatur adesse patribus in concilio congregatis, extra quos liceat illi abesse; cuivis patere potest hoc privilegium non in promissione aut verbo divino fundatum, sed pro arbitrio & commodo papistarum confictum esse.

lib. 5. cap. 5.

De concil. lib. 2. cap. 7.

Si Spiritus sanctus in *quæstionibus fidei* tribuat patribus in concilio congregatis infallibile judicium, (saltem in ipso actu & momento definiendi) tum ipsæ definitiones & decreta conciliorum habent illico certam & indubitatam veritatem. Quod enim manat à Spiritu assistente & infallibiliter dirigente, dubium aut falsum reputare impium est. Sed hic etiam apertè repugnant ipsi pontificii qui docent has ipsas conciliorum definitiones, incertas & invalidas, donec papa sedens in Vaticano eas examinaverit, & calculo suo comprobaverit. Perpendite igitur vertiginem papistarum. Primò graviter & vehementer contendunt, patribus in concilio congregatis ex promissa Spiritus assistentia, saltem in ipsis decretis proponendis, infallibile judicium concedendum esse: mox bonis lateribus exclamant, dubia & invalida esse etiam ipsa decreta patrum in conciliis congregatorum, nisi deferantur ad absentem pontificem Romanũ, & ab ipso confirmentur. Expectat scilicet Spi-

Arg. 5.

Vide Naclant. tractat. de potest. papæ & concilii.

ritus

ritus ſanctus, ut quæ præſens ſuggeſſit ipſis patribus, abſens papa Romanus corrigat & confirmet. Hujus blaſphemiæ non puduit Gregorium de Valentia; *In Spiritu ſancto congregari concilium, non aliud eſt, quàm placere Deo, ut ex præſcripto pontificis conveniant patres ad decernendum; eíſque proinde Spiritum ſanctum aſſiſtere, ut per pontificem poſtea vel emendantem eorum decreta, vel confirmantem, infallibiliter de veritate doceantur.* Videtis jam qualis ſit hæc aſſiſtentia Spiritus ſancti, qualis deductio in omnem veritatem, quam concedunt conciliis papiſtæ; nimirum, quæ indigeat ſemper confirmatione, quandoque emendatione pontificis Romani. Qui talia, tamque pugnantia chartis audent illinere, & ſperant ſe fidem inventuros, lectores ſuos pro belluis habent, non pro hominibus.

Anal. fid. lib. 8. cap. 7.

Arg. 6.

Id concilii decretum habetur, quod majoris partis authoritate & conſenſione ſancitur; neque enim neceſſarium eſt ad decretum formandum, ut omnium ſuffragia concurrant. Rectè in hoc Bellarminus, de concil. lib. 2. cap. 11. *Eſt verum decretum concilii quod fit à majori parte: alioquin nullum eſſet legitimum concilii decretum, cùm ſemper aliqui diſſentiant. Ergò concilium dicitur abſolutè errare, quando errat major pars quæ format decretum.* Hæc ille. Sic etiam ſenſit concilium Toletanum, quod jubet pauciores aut *cedere plurium ſententiæ*, aut *abire*, aut *excommunicationis pœnam ſubire.* Hoc igitur fixo & ſtabilito, proferant pontificii ſi poſſunt ullam promiſſionem divinam quâ certiores reddamur, illud ſemper verum eſſe quod majori parti verum videtur. Promiſit Deus Spiritum ſuum ſemper adfuturum eccleſiæ; ſed idem Deus præmonuit, mundum non poſſe hunc Spiritum veritatis recipere: accidere autem poteſt, & ſæpe accidit, ut major pars quæ in decernendo prævalet, ad mundum occæcatum, non ad eccleſiam illuminatam pertineat. Poteſt igitur eccleſia errare in membris corruptis; poteſt hæc corruptio tam latè ſerpere, ut pervadat, ſi non omnes, majorem tamen partem prælatorum; poteſt hæc major pars corrupta, erronea decreta formare: poſſunt igitur etiam in decretis concilia errare. Senſerunt hoc patres qui vixerunt eo tempore, quo mundus ingemuit ſe factum Arrianum. *Multorum lapſus* (inquit Hilarius) *authoritatem ſibi præſumit, et ex numero hoc habet impudentiæ, ut quod errat prudentiam velit exiſtimari.* Ex neotericis hoc etiam ingenuè agnoſcit Melchior Canus; *Qui probabili multorum judicio nituntur, fidei noſtræ firmitudinem labefactant; frequenter enim uſu venit, ut major pars vincat meliorem.* Videmur igitur hîc pontificios conſtrictos tenere. Nam fatentur, epiſcopos non eſſe ſolummodo monitores aut conſiliarios papæ, ſed veros judices unà cum illo; concedunt etiam, in conſeſſu legitimorum judicum decreta formanda, & ſententias ferendas eſſe juxta ſuffragia majoris partis; poſtremò, concedunt majorem partem horum judicum poſſe errare:

Apud Mirandulanum, theorem. 16.

De Trinit lib. 6

Lib. 5. cap. 5.

Bellarm. de concil. lib. 1. cap. 18.

rare: quid igitur impedit, quin protinùs concludamus, conciliorum judicium erroneum esse posse? Hîc se mirificum præstigiatorem præbuit Bellarminus, & viam invenit quomodo episcopi, qui fuerunt veri judices in conciliis, non sint veri judices; quomodo sententiæ majoris partis, cui standum fuit quia sic ipsi statuerunt, non sic standum, utcunque ipsi sic statuerunt: uno verbo, quomodo concilium, quod absolutè errat quando major pars errat, non erret tamen etiamsi major pars erraverit. At qui (inquiet aliquis) hoc fieri potest? Audite. Pontificem Romanum duplici personâ induit, alterâ *præsidis*, alterâ *principis*. Cùm *præsidem* agit, episcopi sunt judices veri, tenetur ipse papa stare sententiæ majoris partis, dicitur etiam concilium errâsse, si major pars horum judicum erravit in decernendo: at si *principem* agere lubet, jam episcopi non sunt judices qui habent prætoriam definiendi authoritatem ut priùs; sed sunt pedanei senatores, tenentur pedibus ire in sententiam papæ, qui illorum decreta potest rejicere & abrogare: non jam statur sententiæ majoris partis, sed unus omnibus imperat ut acquiescant sententiæ suæ: non jam errat concilium utcunque plures in formandis decretis errârunt, quia ut Atlas cœlum, sic princeps iste solus sustentat concilium. Sed operæ pretium est, hoc commentum ipsissimis Bellarmini verbis proponere; *Dico præsidem concilii, ut præsidem, debere sequi in decreto formando majorem partem suffragiorum: tamen pontificem, non ut præsidem, sed ut principem ecclesiæ summum, posse retractare illud judicium*, majoris scilicet partis, *& consequenter, si ipse sit præses concilii, posse, non ut præsidem, sed ut principem summum, non sequi majorem partem.* Sed quàm ridiculum hoc commentum sit patet dupliciter: Primò, quòd prætoriam judicandi authoritatem, quam divino jure competere episcopis defendit, pro humano arbitrio jam posse illis eripi hâc suâ distinctione supponit. Nam quandocunque lubitum fuerit papæ principatum suum exercere, illi spoliantur illico suâ potestate; neque ut in causis politicis prævalebit illorum sententia, quia major pars sic statuerunt. At talem potestatem jure divino illis asserere conatur, de interpret. verbi Dei lib. 3. cap. 10. & de conciliorum authoritate lib. 1. cap. 18. Secundò, peccat hæc distinctio, quòd papæ duas personas imponit planè contrarias, ità ut ex officio unius teneatur illud facere quod ex officio alterius prohibetur facere. Nam quà *præsidis* officium illi à Deo impositum est, tenetur semper sequi judicium majoris partis; quà *principis*, tenetur aliquando rescindere judicium majoris partis: ergò, datâ Bellarmini distinctione, teneretur papa simul ad officia contradictoria, quod est impossibile. Neque juvat, sed lædit illius causam, quod adjungit de præside à rege temporali constituto: *Debet* (inquit) *præses à rege constitutus sequi majorem partem judicum: sed ipse rex, tanquam superior, potest*

De concil. lib. 1. cap. 18.

illorum judicium irritum facere. Sit ità. Poteſt igitur Chriſtus rex noſter, qui hunc præſidem conſtituit, infringere judicium totius concilii; ſed ipſe præſes, niſi egrediatur limites officii ſui, id facere nullo modo poteſt. Sed nimis multus ſum in frivola diſtinctione oppugnanda: concludam igitur, non obſtante hoc præſide & principe Bellarmini, Concilia poſſe errare in decretis formandis, quia major pars poteſt errare; eſt autem concilii decretum, quod à majori parte ſancitum eſt, licèt reclamet epiſcopus Romanus, aut Conſtantinopolitanus, aut quivis alius qui primatum affectat in eccleſia. Atque hactenus contra infallibilitatem conciliorum.

CAP. XXI.

Contra infallibile judicium pontificis Romani.

Adverſariorum rationes proponuntur, & ſolvuntur.

SUperiori diſputatione oſtendimus, tum argumentis noſtris, tum rationibus & teſtimoniis ipſorum adverſariorum, concilia non habere in definiendis cauſis fidei abſolutam & infallibilem authoritatem: jam reſtat ut infallibile judicium pontificis Romani oppugnemus. Prior illa ſententia, quæ concilio generali hoc privilegium non errandi vendicavit, habuit profectò aliquid probabilitatis: hæc autem Jeſuitica, quæ ſtatuit unum hominem (quem impurum, indoctum, impium eſſe poſſe non audent inficiàs ire) eſſe nihilominus in rebus divinis ab errore liberum, & fidei catholicæ unicum infallibilem judicem & magiſtrum, ab omni religione, ratione, adeóque ab ipſo ſenſu communi abhorret. Sed quale ſit, & quibus rationibus inſanum hoc dogma conentur ſtabilire perpendamus. Bellarminus de pontifice Romano lib. 4. cap. 2. videtur dubius hærere utrùm ſoli papæ hoc privilegium
1 non errandi tribuendum ſit. Nam ſtatuit pontificem, ut privatum doctorem, poſſe errare etiam in quæſtionibus fidei definiendis.
2 Secundò, dicit pontificem cum generali concilio non poſſe errare in condendis fidei decretis. Tertiò, affirmat pontificem
3 ſolum, vel cum ſuo particulari concilio, aliquid in re dubia ſtatuentem (ſive errare poſſit, ſive non) eſſe ab omnibus fidelibus obedienter audiendum. Atque in lib. 2. de concil. cap. 5. fatetur hanc propoſitionem, ſcilicet, *Concilia particularia à ſummo pontifice confirmata, in fide & moribus errare non poſſunt*, non eſſe fide catholicâ tenendam; ejus tamen contradictoriam temerariam & erroneam pronuntiat. Videte timiduli Jeſuitæ

vacillationem:

vacillationem: Conciliis generalibus ſecluſo pontifice detrahit omnem judicandi infallibilitatem; pontifici tamen, niſi ſuffulto per concilium generale, non audet infallibile judicium adſcribere. Non audet inquam apertis verbis; ſed in tota tamen diſputatione ſua id agit, ut etiam ſolus pontifex, quà Petri ſucceſſor, habeat infallibilitatem judicandi cathedræ ſuæ alligatam.

Etſi igitur non ſit magis vera, eſt tamen magis ſibi conſentanea illorum ſententia, qui clarè affirmant, pontificem non poſſe publicè errare, etiamſi ſolus rem aliquam definire velit. Nam ſi privilegium infallibilitatis illi ſoli, non autem conſiliariis ejus conceſſum ſit, quid impedit quò minùs ille ſolus abſque concilio generali poſſit quovis tempore infallibiliter de cauſis fidei pronuntiare? Hoc ſtatuerunt Jeſuitæ in colloquio Ratisbonenſi. Hoc Albertus Pighius aſſeruit, hierarch. eccleſ. lib. 4. cap. 8. Sic Canus, lib. 6. cap. 3. diſputat Petrum cùm eccleſiam docebat errare non potuiſſe; atque addit, Petro defuncto pontifices Romanos eâdem poteſtate & authoritate gaudere. Et ſanè perquam ridiculum eſt, infallibile judicium, quod in perpetuum & commune bonum eccleſiæ tributum pontifici Romano affirmatur, vim ſuam tantummodo exerere poſſe quando coguntur concilia generalia, quæ per integra ſecula ſæpe intermiſſa fuerunt.

Sed ipſe Bellarminus tandem audacior evadit, & hanc concluſionem confirmandam ſuſcipit; *Summus pontifex, cùm totam eccleſiam docet, in his quæ ad fidem pertinent nullo caſu errare poteſt.* Non eò confugiet (uti arbitror) Bellarminus, ut dicat, papam nullo tempore poſſe docere totam eccleſiam, niſi quando convocatur concilium generale; tandem igitur illi tribuit infallibile judicium, etiam abſque auxilio concilii generalis.

Jam rationes adverſariorum audiamus: quibus breviſſimè reſpondebo, quia paſſim à noſtris theologis diſjectæ & diſſipatæ ſunt.

Luc. 22. 31. *Simon, Simon, ecce Satanas expetivit vos ut cribraret ſicut triticum; ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus, confirma fratres tuos.* Primò, in hac precatione Dominus aliquid ſpeciale Petro impetravit, non poteſt autem illud eſſe perſeverantia in gratia, quia hoc eſt donum commune omnium electorum. Secundò, quia Chriſtus oravit pro Petro in utilitatem eccleſiæ, donum quod Petro impetratum fuit ad ſucceſſores ejus etiam pertinet. Tertiò, donum hoc ſpeciale nihil aliud fuit, quàm ut ipſe tanquam pontifex nunquam poſſet docere aliquid contra fidem, ſive ut in ſede ejus nunquam inveniretur qui doceret contra fidem. Ad pontificem igitur Romanum ſine dubio manavit hoc privilegium non errandi, cùm publicè docet totam eccleſiam.

Bellarm. de Rom. pontif. lib. 4. cap. 2.

Seſſ. 1.

De Rom. pontif. lib. 4. cap. 3.

Luc. 22.

Bellarm. de Rom. pontif. lib. 4. cap. 3.

Resp. 1 Hoc non est disputare, sed somniare. Nam primò, ut demus hâc oratione Christi aliquid speciale pro Petro impetratum fuisse, rectè affirmare possumus, ipsam Petri tam citam conversionem & pœnitentiam, post horrendum illud trinæ negationis & perjurii crimen, fuisse donum speciale & extraordinarium solâ Christi intercessione impetratum. Paucos enim ex electis, post tantam gratiam & illuminationem, tam turpiter cecidisse legimus; neminem autem à tanto lapsu tam subitò revocatum & excitatum. Fuit itaque hæc talis Petri conversio, donum speciale. 2 Secundò, quod Bellarminus addit, *Christum pro Petro orâsse ut stabilitatem ecclesiæ*, concedendum est; nam ex usu ecclesiæ fuit, hunc tantum apostolum vocari ad resipiscentiam, & in vera fide confirmari: sed quod indè deducit, *idem donum ad ejus successores pontifices Romanos fuisse transmissum*, nullo modo sequitur. Nam neque pontifices Romani succedunt Petro in apostolatu suo; neque ecclesia sicut super doctrinam prophetarum & apostolorum, ità super doctrinam pontificum Romanorum fundanda fuit; neque Christus omnibus pontificibus Romanis veram resipiscentiam, 3 & solidam atque stabilem fidem impetravit. Postremò, quòd Bellarminus donum hoc speciale Christi precibus Petro collatum, & papis omnibus postea conferendum, nihil aliud esse statuit, quàm ut nec ipse Petrus, nec pontifices Romani aliquid contra fidem definire possint, cùm *totam ecclesiam docent* (ut ille loquitur) vel cùm ità proponunt sententiam suam, ut *ad eam recipiendam obligare velint totam ecclesiam* (ut scribit Gregor. de Valentia) hoc (inquam) frivolum commentum est, & ex ipso contextu facilè refellitur. Nam ex eo patet illud fuisse Petro collatum, quo Satanam cribrantem & tentantem vincere ac superare posset. Sed illa fides quæ solùm præstat illuminationem ad vera dogmata docenda, & aliis proponenda, non vincit Satanam: imò multi qui veram doctrinã tenent & tuentur, vincuntur à Satana, & cum illo in æternum exitium præcipitantur. Aliud igitur pro Petro impetravit Christus quàm veræ fidei externam professionem: at nihil aliud pro suis pontificibus impetratum dicunt papistæ; manifestum ergò est, Christum pro illis non orâsse quando pro Petro oravit. Adhæc, Petro donatum fuit, non modò ut ab errandi periculo liber esset cùm totam ecclesiam doceret, sed cùm unam aliquam particularem ecclesiam, imò cùm unum hominem quemlibet in fide erudiendum & confirmandum susciperet. At pontifices Romani (fatentibus adversariis) errare possunt in scriptis suis, errare possunt in concionibus suis, errare denique possunt quovis tempore in docendo, nisi quando totam ecclesiam docent; quod raro aut nunquam illos facere manifestum est. Cùm igitur apertè constet, donum illud, quod Petro hoc in loco impetratum dicitur, pontificibus Romanis non competere; infallibilitatem judicii papalis

Anal. fid lib. 8. cap. 2.

alibi

alibi quàm in hisce precibus Christi exquirant est necesse. Hæc de primo illorum argumento.

Matth. 16. 18. *Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam; & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* In hoc loco Petrus dicitur petra & fundamentum ecclesiæ; & proinde quilibet ejus successor similiter erit petra & fundamentum ejusdem. Petræ autem nomen denotat constantiam & soliditatem; ergò si pontifex Romanus errat in fide quatenus pontifex, non potuisset *petra ecclesiæ* vocari. Portò, cùm ipsum ædificium, hoc est ecclesia, non possit ruere; certè nec pontifex, qui est ejus fundamentum, potest ruere: nam domus à fundamento habet suam firmitatem. *Rat. 1.*

Tota hæc argumentatio nihil aliud est quàm arena sine calce. Nam petra in qua fundatur ecclesia, non est Petrus aut ejus successores, sed ipse Christus. Si Petrum admittimus vocatum fuisse *petram*, id tamen ratione *confessionis*, non *personæ* ejus intelligendum. Sic Hilarius; *Dixit Petrus, Tu es filius Dei, &c. Super hanc igitur confessionis petram ecclesiæ ædificatio est.* Si super ipsam personam Petri (quod non damus) ædificata fuisset ecclesia, tamen super pontifices Romanos eandem fundari non consequetur: quia nec Petrus habuit successorem in munere apostolico, nec, si habuisset, personalia ejus privilegia ad successores derivantur. Erant enim cæteri apostoli eodem sensu fundamenta ecclesiæ quo Petrus, neque tamen ad episcopos illorum successores eadem privilegia devolvuntur. Postremò, cùm petra ecclesiæ habere debet perpetuam firmitatem, certum est pontifices Romanos hâc caruisse. Si enim illorum *personas* spectemus, non dubium est quin contra eos portæ inferorum prævaluerint; nonnulli enim ex illis hæretici, magi, ἄθεοι fuerunt: si *fidei orthodoxæ publicam professionem*, certum est, quosdam illorum à vera fide defeciisse; quod de Liberio, Vigilio, Honorio, aliisque, memoriæ proditum est ab authoribus quorum fidem nulla Jesuitica impudentia elevabit. *Resp.* (a) *De Trinit. 6.*

Joan. ult. 16. *Pasce oves meas.* Hîc pontifex instituitur doctor totius ecclesiæ; ergò tota ecclesia ejus doctrinam sequi tenetur: at ecclesia non tenetur sequi doctrinam erroneam; ergò ejus doctrina est ab omni errore libera. *Rat. 3.*

Ut mittamus perpetuum illud vitium, quo omnes istorum ratiunculæ laborant, nimirum quòd præsumant pontificem Romanum esse legitimum Petri successorem, & iisdem privilegiis munitum; respondeo, mandatum pascendi in se minimè continere privilegium non errandi. Nam omnibus ministris datur idem mandatum quoad suum proprium gregem, & tamen quilibet pastor errare potest in proprio suo grege instituendo. Non igitur ecclesia tenetur absolutè & in omnem (ut loquuntur) eventum sequi pastores suos, sed in quantum illi utuntur voce summi pastoris. Nam oves Christi vocem ejus audire tenentur; quem si pasto- *Resp.*

res audire recuſent, ipſi ab ovibus minimè ſunt audiendi.

Rat.4. Ejus doctrina eſt infallibilis, de quo non permittitur judicare, recténe an ſecus doceat. Sed non permittitur Chriſtianis, qui oves ſunt, judicare an pontifex, qui eſt paſtor eorum ſummus, erret nécne; neque habent oves Chriſtianæ alium majorem judicem vel doctorem ad quem recurrant: ergò pontificis judicium eſt infallibile.

Reſp. Non modò permittitur, ſed etiam imperatur Chriſtianis, ut probent doctrinas ſibi propoſitas, utrùm conſentiant cum evangelio prædicato nécne; & ſi reperiantur diſſentire, tantum abeſt ut obligentur ad credendum, ut ab ipſo apoſtolo obligentur ad anathema falſis doctoribus dicendum. Gal.1.9. Utcunque enim *oves* vocentur Chriſtiani, non ſunt tamen aut ſervum aut brutum pecus, ut paſtores pro arbitrio poſſint vel in fidem illorum dominari, vel in quævis errorum præcipitia illos ſeducere. Etſi igitur non habeant privati Chriſtiani judicium *forenſe*, habere tamen debent de doctrinis ſibi propoſitis judicium *rationale*. Poſtremò, quod dicunt papiſtæ, papam ſuum eſſe ſummum paſtorem & judicem, nec habere Chriſtianos alium ad quem recurrant, falſum eſt. Nam habemus Chriſtum, ad quem provocare poſſumus quoties hujus paſtoris ſententia continet errorem ejus doctrinæ in verbo revelatæ contrarium. Habemus etiam ipſam eccleſiam, quæ de pontifice Romano judicat, fatente Bonifacio apud Gratianum; *Diſtinct.40.* *Papa à nemine judicandus, niſi deprehendatur à fide devius*: & ipſo Innocentio, tertio pontifice Romano; cujus verba apponam, ut os obſtruam Jeſuitis, qui clamant papam ſuum à nemine judicandum: *Serm.1.in conſec. pontif.* *In tantum fides mihi neceſſaria eſt, ut cùm de cæteris peccatis ſolum Deum judicem habeam, propter ſolum peccatum quod in fide committitur poſſem ab eccleſia judicari.* Quid manifeſtius, quàm papam poſſe errare in fide, & propter talem errorem poſſe ab eccleſia judicari?

Rat.5. In rationali pontificis ſummi ſub veteri teſtamento jubet ipſe Dominus poni URIM & THUMMIM, hoc eſt, doctrinam & veritatem. Cauſa ejus rei explicatur Deuter. 17. *Quia indicabunt populo judicii veritatem.* Et *ſigno* ergò & *verbo* Dominus promiſit, in pectore ſummi ſacerdotis habitaturam doctrinam & veritatem; & proinde eum non erraturum cùm populum docuerit. Quòd ſi hoc Aaronico ſacerdoti conveniebat, certè multò magis ſummo pontifici Chriſtiano, id eſt, papæ.

Reſp. Non eſt præſentis inſtituti, quid per URIM & THUMMIM deſignatum fuit explicare: ut admittamus ergò ſententiam adverſarii, negamus tamen, aut ex *ſigno* ipſo, aut ex *verbo* quod citatur Deuteronom. 17. probari poſſe, Aaronicum ſacerdotem fuiſſe ab errandi periculo liberum quoties populum docebat. Ex ſigno non probatur; quia quemadmodum ipſe ſacerdos repræ-

ſentabat

ſentabat Chriſtum, ſic etiam multa alia quæ circa ſacerdotem fiebant, deſignabant perfectas virtutes, non in Aaronico ſacerdote, ſed in Chriſto inveniendas. Ex hiſce igitur ſignis non convincitur, *illum* non potuiſſe, ſed *Chriſtum* non potuiſſe; illum autem non *debuiſſe* errare. Ex loco autem Deuteronomii multò minùs evincitur hæc infallibilitas judicandi in ſummo ſacerdote Aaronico. Nam verba illa, *Indicabit tibi judicii veritatem*, non ſunt *promittentis*, ſed *mandantis*: homines autem ſæpiſſime negligunt quæ Deus ſeveriſſimè mandat. Vel ſi ſint verba Dei promittentis ſuam aſſiſtentiam ſacerdoti judicaturo, accipienda ſunt cum conditione annexa, nimirum, *ſi conſulat legem, atque juxta illam docuerit*, ut habetur eodem loco. Sed nunquid hoc ſemper faciunt ſacerdotes? Audite prophetam Malach. cap. 2. ver. 7. *Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam*: En mandatum Dei; vel (ut aliquid largiamur adverſariis) promiſſum! Mox ſequitur, *Legem requirent ex ore ejus*: En populi officium! Sed tandem addit, *Vos autem receſſiſtis de via, & ſcandalizâſtis plurimos in lege*: En ſacerdotum errorem! Poſtremò, ſi verum eſſet, *Judaicum ſacerdotem ſummum non potuiſſe errare in judicando*, quod eſt apertè falſum, tamen ab illo ad papam non ſequitur argumentum. Nam ſummus ſacerdos typus erat Chriſti, non pontificis Romani: pontifex autem Romanus nihilo magis ſucceſſor ejus habendus eſt, quàm Conſtantinopolitanus, Mediolanenſis, Trevirenſis, aut quivis alius epiſcopus.

Rat. 6. Papam non errare in judicando, ab experimento oſtendi poteſt. Nam omnes aliæ patriarchales ſedes defecerunt à fide, ità ut hæreſin docentes in illis ſediſſe notum ſit. At nihil tale de Romana ſede poteſt oſtendi: ex quo apparet revera, pro ipſa Dominum orâſſe, nè deficeret fides ejus; & proinde epiſcopus hujus ſedis infallibiliter judicat de fide.

Reſp. Hoc ipſo argumento nos clarè evertimus infallibile judicium pontificis Romani. Nam & mente & fronte carent Jeſuitæ, cùm negant in ſede Romana ullum ſediſſe hæréſeos doctorem; quod ab omnibus hiſtoricis refellitur. Zepherinus prophetias Montani, Priſcæ, & Maximillæ, ab initio approbavit, & cum hæreticis Montaniſtarum eccleſiis communicavit; quamvis poſtea ſapientior evaſit, & literas pacis emiſſas revocavit. Fuit itaque ad tempus Montaniſta, & meruit illud ſtigma quod ei inuſſit Beatus Rhenanus, *Epiſcopus Romanus Montanizat*. Liberius Filium non eſſe Patri conſubſtantialem cum Arrianis profeſſus eſt, & hanc doctrinam ſubſcriptione ſuâ confirmavit. Authores habemus omni exceptione majores: Athanaſius, in epiſt. ad ſolitariam vitam agentes, *Liberius*, inquit, *poſt exactum in exilio biennium ad ſubſcribendum Arrianæ hæreſi*

Tertul. adverſ. Prax. in initio.

inductus

inductus eſt. Sed dicent fortaſſe, hoc illum non ex animo feciſſe, ſed *tædio exilii, & mortis metu ſuperatum*, ut ſcribit ipſe Athanaſius eodem in loco. Quid hoc ad rem, quæ cauſa impulerit eum ad hæreſin confirmandam, dum conſtiterit eum publicè, ídque ſubſcriptione ſuâ Arrianiſmum confirmâſſe? Qui præ metu errare poteſt in judicando, illius judicium non poteſt eſſe aliis regula infallibilis. Poſſem quamplurimos ex ipſis pontificiis producere, qui ultro fatentur hunc Liberium in hæreſin incidiſſe, eámque ſuo ſuffragio comprobâſſe: ſufficiat unus Alfonſus de Caſtro, qui ſic ſcribit; *De Liberio papâ conſtat fuiſſe Arrianum.* Multos alios poſſem commemorare, ſed unum addo Honorium, quem ipſius epiſtolæ quæ extant in ſextâ ſynodo, quem ipſa ſynodus actione 13. quem denique ſynodus ſeptima actione ultimâ, teſtantur fuiſſe Monothelitam, & hoc nomine ab hiſce ſynodis damnatum. Canus lib. 6. cap. ult. agnoſcit hunc Honorium nullâ arte papiſticâ poſſe ab errore vindicari. Imò ipſe Adrianus Romanus pontifex, actione quintâ ſynodi octavæ generalis, fatetur huic Honorio poſt mortem ab orientalibus anathema dictum fuiſſe propter hanc hæreſin Monothelitarum. Ex hiſce igitur patet, Chriſtum pro Romanis pontificibus non orâſſe quando pro Petro oravit, neque in hac oratione Chriſti infallibilitatem papalem fundari.

Lib. 1. cap. 4.

Rat. 7. Romanus pontifex plurimas hæreſes ſine concilio generali damnavit, ut Pelagii, Priſcilliani, Joviniani, &c. quas eo ipſo pro hæreſibus tota Chriſti eccleſia habuit, & exhorruit, quòd à Romano pontifice damnatæ eſſent: hoc ſignum eſt eccleſiam totam ſentire pontificem Romanum in ejuſmodi rebus errare non poſſe.

Reſp. Quod Romanus pontifex quandoque cum ſuis provincialibus epiſcopis hæreſes damnavit, id etiam & alios epiſcopos ſine eo feciſſe legimus. Quicunque igitur hæreſes damnant in conciliis, non idcirco ipſi ab errandi periculo liberi habendi ſunt. Sed eccleſia tota opiniones à pontifice Romano damnatas, eo ipſo quòd ab illo damnatæ fuerunt, habuit ſemper pro hæreſibus. Non tota eccleſia ſic ſenſit: nam Africanæ eccleſiæ ſub Cypriano, ſanctiſſimo epiſcopo & martyre, ſenſerunt licere ſibi judicio pontificis Romani & Italicorum ſuorum conciliorum repugnare. Author eſt ipſe Bellarminus; *Conſtat* (inquit) *Cornelium papam cum nationali concilio omnium epiſcoporum Italiæ ſtatuiſſe, non debere hæreticos rebaptizari: & ſimul conſtat Cyprianum contrarium ſenſiſſe, & mordicus defendiſſe.* Illud etiam addo, quando tota eccleſia in cauſis fidei ſecuta eſt judicium pontificis Romani, id non indè accidiſſe, quòd putarent illum omnino non poſſe errare in judicando, ſed quòd ejus ſententiam ea in re veram eſſe ipſi quoque agnoſcerent. Non igitur ſignum fuit, eccleſiam totam ſentire, pontifi-

De concil. lib. 2. cap. 5.

cem

cem Romanum non potuiſſe errare; ſed ſignum fuit, ſenſiſſe eccleſiam, illum in illo judicio non erráſſe.

Divina providentia non deeſt eccleſiæ in neceſſariis: at neceſſarium eſt ut ſit aliquod tribunal infallibile penes externum aliquem judicem viſibilem, quem omnes audire poſſint, quíque de rebus dubiis claram & certam ſententiam proferre poſſit. Nam privati non poſſunt rationis aut ingenii ſui viribus in dubiis controverſiis de ſenſu Scripturarum & fide orthodoxa judicare; paſtores autem ſinguli errare poſſunt, particularia etiam concilia non ſunt ab errore libera; generalia denique ſæpe non poſſunt congregari, & cùm congregantur (ut probatum eſt) poſſunt ſuffragiis ſuis falſam ſententiam eccleſiæ proponere. Neceſſe igitur eſt ut admittamus pontificem Romanum eſſe hunc judicem infallibilem, quia nullus alius aſſignari poteſt. *Rat. 8.*

Temerarium & blaſphemum eſt divinam providẽtiam in quæſtionem vocare, quòd non eo modo proſpiciat eccleſiæ ſuæ, quem ratio humana optimũ & planè neceſſariũ judicaverit. Nam utcunq; non detur hujuſmodi viſibilis judex cũ judicio ſuo infallibili, qualem ſomniant papiſtæ; Deus tamen & poteſt conſulere, & de facto ſatis conſuluit & proſpexit ſaluti eccleſiæ ſuæ & omnium electorũ qui vivunt in eadem. Conſuluit (inquam) per ſacram Scripturam, quæ lucernæ inſtar illuſtrat tenebras mentium noſtrarum, per Spiritum ſanctum eccleſiæ perpetuum magiſtrum, qui in ipſa corda electorum infert & inſerit hoc lumen; deniq; per ordinarium miniſterium, quod in qualibet eccleſia habet officium docendi & judicandi, licèt non habeat privilegiũ infallibiliter docendi & judicandi. Quamvis igitur infallibile judicium nulli certæ perſonæ, nulli ſedi, nulli cœtui hominum tribuatur; tamen dicimus divinã providentiam ſuis minimè deeſſe: Primò, quia licèt ab his vel illis erretur, ſemper tamen Deus in aliquibus paſtoribus conſervat fidem catholicam, qui ſopitam publico errore veritatem miniſterio ſuo excitant & accendunt. Secundò, quia Spiritus veritatis ſic aperit & dirigit corda electorum, ut paucis potiùs credant ſanam doctrinam proponentibus, quàm innumeris ſub prætextu poteſtatis ſuæ & judicii infallibilis peſtiferos errores obtrudentibus. Hoc ipſe Chriſtus promiſit Joan. 7. 17. *Si quis voluerit Dei voluntatem exequi, cognoſcet de doctrina, utrùm ex Deo ſit.* Et Joan. 10. 4. *Oves paſtorem ſequuntur, quia nôrunt vocem ejus: alienum autem nequaquam ſequentur, quia non nôrunt vocem alienorum.* In illo Arrianiſmi publico diluvio hoc maximè patuit. Concilia generalia Arrianam hæreſin pro fide orthodoxa obtrudebant; ipſe Liberius pontifex Romanus, Jeſuitarum judex infallibilis, eandem hæreſin ſuâ authoritate & ſubſcriptione confirmavit. Quid igitur? nunquid divina providentia defuit eccleſiæ ſuæ? Nihil minùs. Nam per Athanaſium, *Reſp.*

Hilarium, aliósque fidos miniſtros in exilium actos, & ab ipſis judicibus hæreſis maculâ falsò notatos, conſervavit & propagavit fidem orthodoxam; & per Spiritum ſuum inflexit omnium electorum corda, ut hiſce paucis tam ignominiosè habitis potiùs aſſenſum ſuum præberent, quàm tot conciliis pontificis Romani authoritate munitis & confirmatis. Apponam ad extremum teſtimonium antiqui ſcholaſtici ſuper hac re; is erit Gulielmus Altiſſiodorenſis lib. 3. tract. 3. quæſt. 6. Primò, objicit in hunc modum; *Sumatur aliquam vetulam vixiſſe in tempore Athanaſii, Hilarii, & Euſebii, in quo omnes prælati fuerunt hæretici, exceptis iſtis tribus; vetula hæc tenetur credere prælato ſuo, in quantum eſt prælatus, & ille unà cum reliquis ferè omnibus prælatis prædicat Patrem eſſe Filio majorem; ergò hæc vetula in hoc acquieſcendo prælatis non peccat.* Dein ſolvit in hunc modum; *Dicimus, quòd ſi etiam prælato ſuo hæreſin docenti credat quicunque ſimplex, non excuſatur; quoniam quilibet habet prope ſe ſupremum prælatum, ſcilicet Deum, de quo debet dicere, Audiam quid loquatur in me Dominus. Hunc prælatum principaliter ſequi debet quilibet Chriſtianus: quod ſi fecerit, non decipietur ab aliis prælatis.* Hæc ille. Ex quibus videtis nullam eſſe neceſſitatem cur ponamus in eccleſia externum judicem infallibilem; quia quoties externi judices errant, pii omnes habere poſſunt recurſum ad internum hunc inviſibilem & infallibilem judicem.

Rat. 9. Valent. anal. fid. lib. 6. cap. 4. Et cap. 9.

Poſtremò, ab unitate eccleſiæ ità ſolent argumentari. Una eſt eccleſia, non modò ab unitate fidei & doctrinæ quam profitetur, ſed etiam quia habet modum accommodatiſſimum ad unitatem fidei ſtabiliendam & retinendam. Nullus autem convenientior aſſignari poteſt, quàm ut unum agnoſcat judicem ſupremum & infallibilem, in cujus ſententia omnes fideles acquieſcant: poſito enim tali judice, omnes facillimè in concordiam reducuntur; negato autem hoc judice, nullus unquam erit controverſiarum finis. Cùm igitur propter unitatem eccleſiæ neceſſe ſit ut talis judex infallibilis ſtatuatur, neque præter pontificem Romanum ullus ſit qui hoc privilegium auſit ſibi vendicare, relinquitur ut ille ſit judex hic infallibilis.

Reſp. De planct. eccleſ. lib. 1. cap. 63.

Eccleſia *una dicitur triplici reſpectu*, ut non incommodè loquitur Alvarus Pelagius, ſcriptor pontificius. *Primò, una dicitur unitate totalitatis, eſt enim unum totum cujus partes ſunt ſinguli fideles. Secundò, dicitur una unitate conformitatis, quia in omnibus membris eccleſiæ eſt aliquid in quo conformantur ſibi invicem: illud autem eſt donum gratiarum, fidei nimirum, ſpei, & charitatis. Tertiò, eccleſia dicitur una unitate attributionis, quia omnes fideles attributionem habent ad unum finem, qui eſt beatitudo æterna; & ad unum principium, quod eſt tota Trinitas ſecundum rationem influentiæ, & Chriſtus ſpecialiter quatenus caput eſt eccleſiæ ſecundum convenientiam naturæ.* Hæc ille. Apoſtolus etiam 4. ad Epheſios explicat in quibus ſita ſit hæc unitas eccleſiæ; *Unum eſt corpus, &*

unus

unus Spiritus, unus Dominus, una fides, unum baptiſma, unus Deus & pater omnium, &c. Mirum eſt nec epiſcopum Sylvenſem, nec apoſtolum Paulum, ex profeſſo depingentem unitatem eccleſiæ, ullam mentionem feciſſe hujus dependentiæ ab uno judice externo, epiſcopo nimirum Romano, in quo Jeſuitæ præcipuum hujus unitatis fundamentum collocant. Sed viderunt proculdubio hanc unitatem quam iſti conantur ſtabilire, eſſe vanam, nugatoriam, & eccleſiæ ſaluti prorſus infeſtam. Neque enim quævis unitas eccleſiæ propria eſt, ſed unitas cum veritate fidei & charitatis conjuncta. Pontificis autem unius arbitrio ſubjicere fidem totius eccleſiæ, expedita via eſt ad unitatem; ſed adde etiam, proclivis ad errorem. Nam talem unitatem Turcæ, talem hæretici, talem ipſi philoſophi habere poſſunt, ſi ex cœtu ſuo unum aliquem eligant, cui cæteri omnes teneantur fidem adhibere. Sed ſapienter de hac ipſa re ſcripſit Archidiaconus Bononienſis; *Periculoſum eſſet fidem noſtram unius hominis arbitrio committere. Quis enim auſit præſtare hunc unum hominem nunquam erraturum?* Cum Hilario igitur dicimus, *Specioſum quidem eſt nomen pacis, & pulchra eſt opinio unitatis. Sed quis ambigat eam ſolam eccleſiæ eſſe pacem quæ Chriſti eſt? Hujus pacis fieri nos participes Antichriſti prævii non patiuntur, qui pacis ſuæ, id eſt, impietatis ſuæ unitate ſe jactitant.* Cùm igitur religionis unitas ſit *bene credere*, ut loquitur Ambroſius, non autem *papæ credere*, ut volunt Jeſuitæ; dicimus hoc medium unitatis ab illis excogitatum & confictum, non modò frivolum, ſed impium eſſe. Hiſce omnibus accedat & illud, controverſiarum finem, quem illi putant haberi poſſe ſi ſtetur ab omnibus judicio pontificis Romani, neque ſperandum eſſe in hac vita, neque tantopere expetendum, ut ob eam cauſam confugiamus ad remedium ipſo morbo magis periculoſum. Atque ſic præcipuis adverſariorum argumentis ſatisfactum eſt: quæ ex patribus citare ſolent teſtimonia, quia aut aliena ſunt ab ipſa quæſtione, aut ab ipſis papis, eorúmve parаſitis deſumpta, nè tædio vobis ſimus in talibus nugis refellendis, libenter omittimus, & ad argumenta noſtra venientes; quibus evincetur, pontificem Romanum non habere hanc judicii infallibilitatem, quam illi tribuunt Jeſuitæ.

Gratiani gloſſa in diſtinct. 19. Contra Auxentium.

Cap. XXII.

Argumenta noſtra contra infallibile judicium papæ.

Arg. 1. PRivilegium non errandi ex adverſariorum ſententia non competit huic vel illi papæ, niſi in quantũ eſt legitimus Petri ſucceſſor: Petro enim & ejus ſucceſſoribus hanc prærogativam in commune bonum eccleſiæ conceſſam arbitrantur. Unde Gerſon, *Hæc propoſitio, Hic vel ille papa non poteſt errare, ſupponit ad minus iſtam, Talis ritè ſuccеſſit Petro per electionem: & hoc eſt humanâ traditione ſolâ cognitum. Unde quantum licet dubitare de jure alicujus in papatu, tantundem licet ſuas inſtitutiones in dubium revocare.* Jam primò, ipſa opinio ſucceſſionis pontificiæ fundatur tantummodo in fide hiſtoriarum, non Scripturarum: nuſquam enim in Scripturis traditur, Petrum Romæ habuiſſe ſedem epiſcopalem, aut voluiſſe ut Romani epiſcopi potiùs quàm Antiocheni pro ſucceſſoribus ejus haberentur. Quòd igitur pontifex Romanus ſuccedat Petro, non fide theologicâ aut catholicâ, ſed hiſtoricâ tantùm & humanâ cognoſcitur. Secundò, ut demus hoc certum eſſe & indubitatum, quod de ſua ſucceſſione jactitant, tamen de privilegio Petri ſucceſſoribus annexo oritur alius ſcrupulus: nam hoc donum judicii infallibilis eſſe Petri ſucceſſoribus alligatum, nè hiſtoricâ quidem fide credi poteſt. Hiſtoriæ etenim eccleſiaſticæ, dum commemorant multos pontifices hæreticos, huic ementito privilegio planiſſimè adverſantur. Poſtremò, cùm ad hunc vel illum papam deſcenditur, quis præſtiterit illum fuiſſe jure electum, & per legitimam atque canonicam ſucceſſionem Petro ſucceſſiſſe? Ad legitimam enim ſucceſſionem requiritur, ut electus fuerit abſque omni pactione, violentâ intruſione, ſimoniâ, reliquiſque vitiis quæ prohibentur jure canonico. Et ſi quis ſimoniacè eligatur, non accipit Spiritum Chriſti, ſed ſpiritum mendacii. Ut de reliquis taceamus, quamplurimos pontifices per ambitum & ſimoniam illud ſolium aſcendere, nè illi quidem dubitare poſſunt, qui negare ſolent. De Formoſo ſcribit Platina, *illum ad pontificatum largitione potiùs quàm virtute conſcendiſſe.* Atque nè quis ſuſpicetur hoc rarò in illa ſede accidere, in vita Sylveſtri tertii agnoſcit, *eò pontificatum Romanum deveniſſe, ut, qui plus largitione & ambitione, non ſanctitate vitæ & doctrinâ valeret, illam dignitatem oppreſſis aliis obtineret.* Subjungit etiam, *Utinam hunc morem aliquando non retinuiſſent noſtra tempora. Sed hoc parum eſt, (ni Deus caveat) pejora viſuri ſumus.* Cùm ergò (ut jam Romæ vivitur) legitima & canonica electio cujuſcunque papæ vix ſperari poſſit, privilegium infallibilitatis, quod indè dependere ipſi adverſarii concedunt, incertum quoque ſit neceſſe eſt. Cogitate igitur apud vos quàm tenui filo pendeat

Part. 3. de vit. ſpirit. lect. 2. corol. ult.

1

2

3

Alvar. lib. 2. cap. 10. Gratian cauſ. 1. quæſt. 1.

(a)

fides omnium papistarum, dum ex canonica successione papæ suspenditur. Nam vitio creatus, neque Petri successor est, sed fur & latro; neque privilegium infallibilitatis accipit, sed spiritum erroris; neque qui huic credunt, in *petra*, sed in arena fidem suam fundare conantur.

Si papa haberet indubitatam Spiritus sancti assistentiam, atque indè judicandi infallibilitatem, quoties animo definiendi & ecclesiam totam obligandi de fide aut moribus decernit, tum ut privatus doctor non posset in aliquo noto errore perseverare, multò minùs in apertum hæreticum evadere. Nam fac illum incidisse in errorem: aut monitus illum deponet; aut, si verum esse adhuc præsumpserit, etiam ecclesiæ, quam instituere tenetur in omni veritate, illum pro fidei dogmate proponet. Jam simulac cathedram ascenderit, atque occœperit obligare totam ecclesiam suis decretis, illico (ut isti dicunt) ex promissione Dei aderit illi Spiritus sanctus, errorum tenebras depellet, & infallibile judicium adferet. Qui igitur fieri posset ullus papa hæreticus, cùm tam facili operâ seipsum reddere posset orthodoxum? Sed testatur experientia, pontifices Romanos posse in errores incidere, posse etiam pro sua virili eosdem ecclesiæ obtrudere. Exemplo sit Joannes vigesimus secundus: de quo fertur, quòd publicè docuit, declaravit, & ab omnibus teneri mandavit, quòd animæ purgatæ ante finale judicium non habent claram visionem Dei; & universitatem Parisiensem ad hoc induxisse dicitur, quòd nemo in ea posset gradum in theologia adipisci, nisi primitus hunc errorem jurâsset se defensurum, & perpetuò ei adhæsurum. Atque hujus rei mentionē fecerunt Gerson in sermone de Paschate, & Erasmus in præfat. ad 5. librum Irenæi. Manifestum itaque est, papæ judicium nè tum quidem fieri infallibile, cùm ad decernendum & obligandum procedit; Joannes enim errorem suum decernere, atque ad ejusdem defensionem cæteros omnes obligare voluit.

Arg. 2.

Alfons. de Castro lib. 3. in verb. Beatitudo, ex Adriano papa.

Duplici hic effugio utuntur adversarii. Prius est, papam ut *privatam personam* errare posse, & errorem suum manifestum velle ecclesiæ obtrudere, quia hoc non est conjunctum cum ecclesiæ periculo: sed in rebus controversis & minimè determinatis, ut *personam publicam*, errorem contra fidem determinare non posse. Sed contrà; Ridiculum est dicere, illum, qui propter assistentiam Spiritus in rebus obscuris & nondum definitis errare non potest, in manifestis & sole clarioribus posse cæcutire. Falsum etiam est, papam *privatam personam* agere quando suum errorem manifestum conatur toti ecclesiæ obtrudere, nam ipsis papistis definitoribus, ut *pontifex* decernit, quando decernit animo & voluntate obligandi totam ecclesiam. Sive igitur erret in manifestis, sive in controversis, conjunctum est cum ecclesiæ periculo, quoties conatur su-

Valent. analys. fid. lib. 8 cap. 3.

am ſententiam obtrudere eccleſiæ, quod fecit Joannes 22. nam tum agit ut *publica perſona*; & proinde ab omnibus audiendus, juxta placitum adverſariorum. Poſterius effugium hujuſmodi eſt; Papam, ut *papam*, nunquam publicè aliquid hæreticum decernere; quia ſimulac labitur in hæreſin occultam ipſo facto deſinit eſſe papa: atque hæc cauſa eſt cur non ex hæretico occulto fiat illico orthodoxus, etiamſi conetur decernere & definire; nam papatu excidit, cathedram amiſit, Spiritus aſſiſtentiam perdidit. Sic Sylveſtet in ſumma ſua; *Si papa erret in fide ut ſingularis perſona, illico deſinit eſſe papa, & caput eccleſiæ quoad Deum.* Sic Gregorius de Valentia; *Hoc ipſo quòd pontifex in hæreſin ſive occultam ſive manifeſtam labatur, pontificiâ authoritate cadit, ut aſſerit certior & communior theologorum ſententia.* Sed hanc reſponſionem falſam eſſe patet ex Gerſone, qui docet, papam nullo crimine reddi ipſo facto depoſitum, ſed manere papam uſque ad ſententiam depoſitionis latam contra eum per eccleſiam vel generale concilium, vel uſque ad voluntariam ſuam ceſſionem. Cui adſtipulatur Cajetanus, qui aſſerit & probat, papam hæreticum, nec jure divino, nec humano eſſe ipſo facto papatu ſuo privatum. Jocularem etiam & ridiculam eſſe prædictam reſponſionem demonſtrat Alfonſus de Caſtro. *Nam qui tuetur papam non poſſe fieri hæreticum, quia cùm incipit eſſe hæreticus deſinat eſſe papa, eodem acumine defendat, catholicum nullum, ſive orthodoxum, poſſe fieri hæreticum, quia cùm fit hæreticus deſinit eſſe orthodoxus.* Poſtremò, nos dicimus, illud reſponſum certitudinem & infallibilitatẽ pontificialis judicii, quam conatur defendere, prorſus labefactare & evertere. Nam ſi papa ut privatus doctor, lapſus vel in hæreſin occultam, ſit ipſo facto apud Deum depoſitus, hoc eſt, papatu, cathedrâ, aſſiſtentiâ illâ divinâ ſpoliatus; quis tutò & ſecurè fidem ſuam ullis decretis ullius pontificis ſubmittat, cùm hoc ſemper incertum ſit, utrùm ille in occultam aliquam hæreſin inciderit nécne? Firmum igitur manet noſtrum argumentum; Papa ut privatus doctor errare poteſt, & in hæreſin incidere; ergò cùm ad publicè definiendum procedit, illius decreta habere nequeunt indubitatam & infallibilem veritatem.

2.

In verb. Concilium. Anal. fid. lib. 8. cap. 7.

Part. 1. de auct. pap. conſider. 16

(n)

De auth. pap. & conc. cap. 19.

Lib. 1. cap. 4. de juſta hæreticorum punitione.

(n)

Arg. 3.

Quem credimus habere ſupremum & infallibile judicium in definiendo propter extraordinariã Spiritus ſancti aſſiſtentiam, illius decretis de fide & cultu tenemur non minùs ſine exceptione parere, quàm ipſi doctrinæ prophetarum, aut apoſtolorum. Sed Chriſtiani non ità tenentur ſuſcipere decreta pontificum Romanorum. Alvarus Pelagius, qui papam tantùm non Deum facit, non tamen *abſolutè* ſtandum dicit illius decretis, ſed cum hac limitatione, *In iis quæ expreſsè contra Deum non ſunt.* Joannes Gerſon docet, determinationem papæ in his quæ ſunt fidei, non obligare præcisè ad credendum: *alioquin* (inquit) *ſtaret in caſu, ut quis obligaretur ad falſum credendum.* Sic Picus Mirandulanus; *Simplici ruſtico*

Lib. 1. cap. 7.

Part. 1. de exam. doctrin. conſid. 2.

Theorem. 16.

potiùs,

potiùs, quàm pontifici maximo credendum, ſi contra evangelium iſte, ille pro evangelio verba faceret. Hiſce addo Sylveſtrum, qui ex Panormitano oſtendit, quòd *in concernentibus fidem dictum unius prælati præferendum eſt ſententiis papæ, ſi melioribus rationibus moveretur.* Hæc omnia apertè monſtrant admitti ab hiſce doctis viris, quod à Jeſuitis negatur, ſcilicet, papam poſſe decernere contra verbum divinum, ac proinde non habere judicium infallibile. *In verb. Concil.*

Si papæ judicium infallibile nitatur conditione quæ ex parte pontificis non adimpletur, tum falli poterit aliquando in definiendo: ſed tali conditione niti ex ipſis pontificiis oſtendemus. *Arg. 4.*

Archidiaconus Bononienſis in diſtinct. 19. cap. *Sic omnes*, ſcribit eam apoſtolicæ ſedis ſententiam habendam eſſe, *non quæ occultè, malitioſè, aut inconſultè per ſolum pontificem Romanum, aut aliquos ei faventes, non vocatis aliis aut contemptis, profertur: ſed quæ ab ipſo pontifice Romano, qui maturo priùs & gravi ſapientum virorum concilio rem ipſam examinaverit, profertur.* Apertè igitur agnoſcit papam poſſe quandoque cum ſuis fautoribus inconſultè & temerè ſententiam proferre; & tum eandem non valere, quia tenetur uti gravi ſapientum virorum concilio. Cui Sylveſter ſuffragatur; *Papa ut papa, id eſt, ſuorum membrorum auxilio utens per conſilia & orationes & faciendo quod in ſe eſt, errare non poteſt, ſicut nec eccleſia; quia ſic ſequitur motum Spiritus ſancti: ſecus ut ſingularis perſona, ex negligentia vel ſuperbia ſequendo ſuam propriam inclinationem.* Bellarminus ipſe fatetur fuiſſe multorum ſententiam, pontificem non potuiſſe errare, ſed ſub hac conditione, *ſi maturè procederet, & conſilium audiat aliorum paſtorum.* Ex hiſce patet, dirigi pontificem ad rectè judicandum eodem modo quo alii epiſcopi, nimirum ſubjiciendo ſuum ſenſum Spiritui divino, ſanctis Scripturis, & doctorum atque orthodoxorum virorum conſiliis. Sed poteſt hæc omnia repellere, & contemnere: ergò & turpiter errare. Occurrunt Jeſuitæ, Non poſſe pontificem Romanum non adhibere debita media, quia Deus, qui promiſit *finem*, ſine dubio promiſit & *media* quæ ad eum finem neceſſaria ſunt. Sic Canus; *Sunt qui non obſcurè dicunt, Romanum pontificem in definitione fidei errare poſſe, ſi non adhibeat debitam diligentiam: Sed ſtatuendum eſt, pontificem ſemper hoc facere cùm de fide pronuntiat; caditque cauſa, ſi quis è noſtris aliter exiſtimet: nam qui dat finem, dat conſequentia ad finem.* At contrà, qui finem ſub conditione promiſit, non ſemper ſeipſum obligavit ad inſpirandam bonam mentem pontifici Romano, quâ poſſit eam conditionem implere; præſertim cùm ſuâ improbitate & malitiâ mereatur ſapiſſime divino auxilio deſtitui. Nam in confeſſo eſt, multos papas fuiſſe homines temerarios, ſuperbos, indoctos, uno verbo, improbos & carnales: at apertum eſt talibus media illa debita à Deo nondum donata fuiſſe. *Animalis homo non percipit quæ ſunt Dei*, 1. Cor. 2. 14. *Mirand. Theor. 8.* " *In verb. Fides. De pont. Rom. lib. 4. cap. 2. Loc. theol. lib. 3. cap. 5.*

Carnalis

Carnalis homo ferax eſt vitiorum,& inter alia etiam hæreſes ſolet procudere ; Gal. 5. 20. Cùm igitur divina providentia permittat multos pontifices Romanos permanere temerarios, ſuperbos, cæcos, improbos ; planum eſt non dari illis ea media, quæ ſunt ad infallibilitatem judicandi neceſſaria. Reſpondet igitur tandem Gregorius de Valentia, *Papam teneri quidem ex officio uti omni ſtudio, omnibúſque mediis quæ conducunt ad veritatis indagationem ; ſed nihilominus, ſive illud adhibeat, ſive non, modò controverſiam definiat, infallibiliter ſemper definire.* Impudens commentum, & Jeſuità dignum ! Quid enim hoc aliud eſt, quàm ſtatuere papam anabaptiſtico afflatu percitum oracula fundere, aut inſtar aſini Balaamitici, ſubitaneo & miraculoſo impulſu, veritatem minimè ſibiipſi intellectam eloqui ? Sed hujuſmodi opinionum portenta non refutanda, ſed exibilanda ſunt.

Anal.fid.lib.8. cap.3.& 4.

Arg. 5.

Pontifex non eſt infallibilis & ſupremus judex omnium controverſiarum in eccleſia, quia ſunt nonnullæ controverſiæ, quæ ab ipſo ſolo pontifice nec poſſunt, nec debent definiri. Hujuſmodi ſunt quæ de ipſo pontifice moventur: An Petro ſuccedat in gubernatione totius eccleſiæ ? An gaudeat omnibus ejus privilegiis ? An habeat ſupremum & infallibile judicium ? an errori obnoxium, & concilio ſubordinatum ? atque ejus generis quamplurima. In hiſce omnibus papam judicem meritò recuſamus : nam *judex inimicus poteſt recuſari ; neque debet cognoſcere de ſua juriſdictione quando ad ejus juriſdictionem declinandam opponitur exceptio*, ut affirmant juriſconſulti. Sed regerent adverſarii, Solos hæreticos hæc in quæſtionem vocare, neque illos contra epiſcopum Romanum eſſe audiendos. Aſt ego facilè oſtendero, ſententiam hanc quæ papam ſubjicit eccleſiæ, quæque aſſerit judicium illius etiam ex cathedra pronuntiantis erroneum eſſe poſſe,non ex Lutheri aut Calvini ſchola fluxiſſe,ſed à duobus conciliis Conſtantienſi atque Baſilienſi probatam fuiſſe, & à multis doctiſſimis viris (qui inter ipſos pontificios numerantur) defenſam. Pontifex igitur judex ſedere non poteſt in omnibus controverſiis determinandis, quia nemo debet eſſe judex in ſua cauſa:atque multæ, eædémque graviſſimæ controverſiæ ipſum pontificem attingunt, & eum conſtupratæ religionis atque affectatæ tyrannidis reum agunt. Plura argumenta congerere facillimum eſſet, atque teſtimonia etiam adferre ipſorum papiſtarum qui hoc infallibile judicium pontificis Romani rejecerunt & exploſerunt. Paſſim à noſtris citantur hujuſmodi dicta ex Gratiano, Panormitano, Lyrano, Gerſone, Cuſano, Alfonſo, aliiſque : ſed hæc omnia omittemus, atque unicum illud quod papiſtis reliquum eſt effugium intercludemus.

Bellarm. de concil.lib.2. cap.13.

CAP.

Cap. XXIII.

Papæ cum concilio generali judicium non eſt infallibile.

Conciliorum judicium non eſſe infallibile, & noſtris, & ipſorum Jeſuitarum argumentis antea concluſimus: pontificis etiam judicium non eſſe ab omni errandi periculo liberum, & rationibus, & ipſorum pontificiorum ſuffragiis confirmavimus. Relinquitur ergò papiſtis unicum hoc effugium, ut dicant, Etiamſi concilia ſecluſo pontifice errare poſſint, & ipſi etiam pontifices avulſi à conciliis; tamen cùm operas ſuas conjunxerint concilia cum pontifice, extra omnem erroris aleam eſſe quodcunque ab illis definitum & judicatum fuerit. Sed ſerò ſapiunt Phryges, qui, poſt conciliorum authoritatem ab ipſis Jeſuitis imminutam & quaſſatam, poſt pontificis Romani infallibilitatem à duobus conciliis & primariis pontificiis rejectam & exploſam, conentur alicui ſobrio & ſano perſuadere, ex duobus hiſce, ſeorſum errori obnoxiis, ſuboriri poſſe unum tertium, quod ſit ab errandi periculo liberum & immune. Paucis igitur hoc inſomnium refellamus.

Compoſita ſequuntur naturam eorum ex quibus coaluerunt: Si igitur patres in concilio congregati poſſunt errare, ut acerrimè contendunt Jeſuitæ, & ipſa experientia teſtatur; ſi pontifices Romani non habent talem Spiritus ſancti aſſiſtentiam quæ privilegium non errandi ſecum adferat, ut planiſſimè demonſtrárunt alii papiſtæ, & ipſorum errores apertè probant; nè intelligi quidem poteſt quomodo vel epiſcopi papæ tribuant quam ipſi non habent judicandi firmitudinem, vel papa illis adferat, quo ipſe caret, non errandi privilegium. Magis igitur ſibi conſentanea eſt Cajetani ſententia, qui docet, *Nihilo plus poſſe papam cum eccleſia, quàm papam ſolum.* Sed papa ſolus non determinat controverſias de fide infallibiliter; ergò nec cùm eccleſiam repræſentativam, hoc eſt, concilium ſibi adjunxerit.

Arg. 1.

De auth. concil. cap. 9.

Si decreta concilii generalis accedente approbatione pontificis Romani eſſent infallibilia, & fide catholicâ ab omnibus credenda; tum etiam decreta particularium conciliorum æquè firma eſſent poſt pontificis confirmationem. Ratio firmitatis & infallibilitatis utrinq; par invenitur. Papæ enim approbanti & confirmanti conciliorũ decreta tribuitur infallibile judicium propter promiſſam Spiritus ſancti aſſiſtentiam: at Deus ſi talẽ promiſit põtifici Romano, non magis promiſit confirmanti ſententiam à multis latam in concilio œcumenico, quàm à paucis in concilio aliquo

Arg. 2.

particulari. Imò quando Petrus jubetur fratres ſuos confirmare, niſi ineptiſſimè, nemo poterit illum locum ad fratres ſolummodo in œcumenicis conciliis congregatos reſtringere. Quandoquidem igitur ipſi pontificii non audent aſſerere, Fide catholicâ credendum eſſe, pontificem cum particulari concilio non poſſe errare; neque illud defendere debent, Ad fidem catholicam ſpectare, ut pontificem cum generali concilio non poſſe errare credamus. Nam multitudo patrum nihil omnino addit, vel ad aſſiſtentiam Spiritus ſancti, quæ papæ adeſſe præſumitur; vel ad infallibilitatem ejus, quæ ab eadem aſſiſtentia, non à turba epiſcoporum deducitur. Cùm igitur Bellarminus largitur, multos catholicos tenere papam cum provinciali concilio decernentem poſſe errare, (inter quos fuit ſanctiſſimus Cyprianus) atque ipſe fatetur contrarium non eſſe tam certum ut ſit fide catholicâ tenendum; neque illud etiam erit de fide, illum cum concilio generali errare utique non poſſe. Atque hoc in loco utile erit perpendere inconſtantiam & pugnam adverſariorum in toto hoc de infallibili judice negotio. Nam quando de pontifice Romano ſeparatim diſputant Jeſuitæ, contendunt magnis clamoribus ipſum pontificem ſeorſum ſumptum, in judicandis iis rebus quæ ad fidem vel bonos mores pertinent, non poſſe errare ut *pontificem*: imò eò procedunt ſtultitiæ, ut aſſerant piè credendum, illum nè ut *privatum* quidem *doctorem* poſſe hæreſin docere. At cùm de conciliis agunt ultrò dant, hanc theſin, *Concilia particularia à ſummo pontifice approbata in fide & moribus errare non poſſunt*, non eſſe æquè certam atque illam, quæ aſſerit papam cum generali concilio non poſſe errare. Si non eſt æquè certa, non eſt de fide; nam in fide catholica omnia ſunt certiſſima. Si non eſt de fide, pontificem determinantem cum particulari concilio errare non poſſe; multò minùs eſt de fide, illum ſolum in judicando errare non poſſe; & tandem neque de fide erit, illum cum concilio generali judicantem non poſſe errare. Nam (ſi Bellarmino credimus) *tota firmitas conciliorum eſt à ſolo pontifice, non partim à pontifice, partim à concilio.* Si tota à ſolo pontifice, & ſolus pontifex poteſt errare in decernendo; quidni etiam erret quovis concilio ſtipatus, ſeu particulari, ſeu generali?

De concil. lib. 2. cap. 5.

Bellarm. de pontif. Rom. lib. 4. cap. 6.

De pontif. Rom. lib. 4. cap. 3.

Arg. 3.

Si in concilio generali per pontificem approbato eſſet illud infallibile judicium, quo ſolo niti poſſent omnes Chriſtiani in dubiis fidei quæſtionibus; tum Deus providiſſet nè eccleſia unquam hoc tam neceſſario & infallibili judice deſtitueretur: Sed manifeſtum eſt multos fuiſſe & eſſe Chriſtianos, qui nunquam uti potuerunt beneficio hujus judicii, quod in œcumenicis conciliis cum pontifice Romano cõſpirantibus conſtituitur.

Nam

Nam primò, concedunt ipſi papiſtæ concilia generalia non eſſe abſolutè neceſſaria; at eſſent omnimodo neceſſaria, ſi ſupremam & infallibilem judiciariam poteſtatem obtinerent. Secundò, fatentur ſæpe per multa ſecula cogi non poſſe generalia concilia, ſicut non potuit primis trecentis annis propter ethnicorum perſecutiones: & ſine dubio poterat ille ſtatus eccleſiæ uſque ad mundi finem perſeverare, ut ingenuè agnoſcit Bellarminus. At impium & irreligioſum eſt putare, per tot annos caruiſſe eccleſiam judice ſuo infallibili, aut jam poſſe ad mundi finem carere. Jam quod attinet ad pontificem Romanum, neceſſe eſt ut in remotis regionibus, quales ſunt India, Æthiopia, atque aliæ permultæ, agnoſcamus fuiſſe Chriſtianos, ad quos ipſũ nomen pontificis Romani fortaſſe per multa ſecula non pervenit; decreta proculdubio ejuſdem nunquam pervenerunt. Neque tamen dicendum eſt, illis eccleſiis defuiſſe Chriſtum, aut judicem fidei: ac proinde ſtatuendum eſt, non papam cum concilio œcumenico eſſe illum judicem controverſiarum, ſine quo eccleſiæ ſalus non conſiſtit.

1.

2.

De Rom. pontif. lib. 4. cap. 3.

Qui eſt judex infallibilis à Deo conſtitutus ad dirimendas omnes de fide controverſias, ille poteſt ferre ſententiam planam & ſibi conſtantem de fidei dogmatibus; judicis enim ſententia, niſi una ſit & ſibi conſona, nulla eſt. Sed in magni momenti quæſtionibus papa cum concilio non poſſunt talem ſententiam proferre: imò quod papa ait, concilium negat, & è contrà. Eſt igitur abſurdum, unum judicem infallibilem ex papa & concilio conflare; cùm hic judex bilinguis ſæpe ſit, atque ſententiam dicat non modò diverſam, ſed ſibi repugnantem & planè contrariam. Inſiſtamus in hac graviſſima quæſtione, Utrùm concilium ſit ſupra papam, an papa ſupra concilium? Utrùm papa ſit membrum deviabile, à concilio in doctrina fidei dirigendum; an concilium ſit per ſe erroneum, & ſolius pontificis infallibilitate ſuſtentandum? Notiſſimum eſt toti orbi Chriſtiano, de hiſce rebus aliam fuiſſe conciliorum, aliam pontificum Romanorum ſententiam: neque ſi jam concilium liberum cogeretur ex prælatis pontificiis, veriſimile eſt, aut concilium de hac prærogativa ipſi papæ, aut papam concilio conceſſurum. Hunc ſcrupulum, qui oritur ex poſsibili diſcordia papæ & concilii, attigit Sylveſter in ſumma ſua, atque etiam Bellarminus; at neuter potuit eximere. *Quid* (inquit) *ſi in concilio generali diſſiderent patres à præſide ſuo, id eſt, concilium à pontifice ſummo præſente & præſidente, quid tunc fieret? Non eſſet remedium ullum? Certè aliquis judex eſſe deberet. Non autem in eo caſu eſſet concilium judex, quia concilia cùm à pontifice diſſentiunt errare poſſunt. Reſtat igitur ut papa ſit judex.* Præclarè, & pro

Arg. 4.

(n)

In verb. Concil. Bellarm. de pontif. Rom. lib. 4. cap. 3.

imperio. At omnes theologi Parisienses è contrà concludent; Papa cùm à concilio dissentit errare potest; restat igitur ut concilium sit judex. Nos igitur hoc in loco papistas inter se colluctantes & compugnantes relinquimus, atque contra utrosque affirmamus, Stultè illos præsumere posse papam cum concilio omnes quæ oriuntur de fide quæstiones infallibili judicio componere, qui hanc primariam & domesticam, utrùm in decretis fidei stabiliendis papa concilio, an concilium papæ cedere æquum sit, nunquam component.

Arg. 5. Non est illud supremum & infallibile judicium, quod potest & debet in aliquo casu refutari: sed conciliorum & papæ judicium potest aliquando & debet rejici, nimirum si statuant aliquid quod sacris Scripturis contrarium inveniatur; juxta dictum apostoli, *Si nos, aut angelus, &c.* Gal. 1. 8. Sed clamabunt adversarii, nos præsumere illud quod nunquam potest evenire, nimirum ut papa unà cum concilio Scripturis adversetur. Postremum igitur argumentum ab exemplis petetur, quibus ostendemus, concilia etiam à pontifice Romano confirmata turpiter erràsse. In multis instare facile esset; nos in quatuor solummodo insistemus, atque illorum errata paulò copiosiùs tractabimus.

Arg. 6. 1. Concilium Neocæsariense approbatum fuit authoritate Leonis quarti, ut liquet ex Gratiano, distinct. 20. capitulo *De libellis.* Ubi magnâ voce pronuntiat, quòd qui sanctorum patrum statuta inibi probata non receperit, nec sancta quatuor evangelia utiliter & efficaciter retinere vel credere possit. At hoc concilium tantopere probatum à pontifice Romano erravit, dum secundas nuptias vitio vertit, & inter peccata pœnitentiâ abluenda reponit. Hujus rei testem profero canonem

1. tom. concil. pag. 316. septimum; verba hæc sunt, *Presbyteris in nuptiis bigami prandere non convenit: quia cùm pœnitentiâ bigamus egeat, quis erit presbyter qui propter convivium talibus nuptiis posset præbere consensum?* Bellarminus contra notam significationem Græci vocabuli, *bigamum* dici vult qui duas simul uxores habet. Sed apertè refellitur ex octavo canone concilii Nicæni, in quo Cathari, ad ecclesiam catholicam redeuntes, jubentur κατηχεῖν τοῖς ἀγάμοις. At qui duas simul uxores retinebant, tanquam manifestarii adulteri, ab omni communione ecclesiæ erant segregandi. Secundò respondet, non prohiberi secundum matrimonium, sed solennitatem secundi matrimonii, atque prohiberi presbyteros nè interfint celebritati talium nuptiarum. Sed hoc ineptum somnium est: nam hîc de celebritate verbum nullum, sed ipsæ nuptiæ damnantur, & pœnitentia insuper digamis imponitur, sive cum solennitate matrimonium contraxerint, sive absque solennitate. *Bigamus* (inquit canon) *eget pœnitentiâ*; non celebritas in secundis nu-

ptiis

ptiis adhibita, ut tortor canonis Bellarminus.

2. Concilium Romanum approbatum à Nicolao secundo crassissimum errorem stabilivit, ut patet ex confessione Berengarii quæ extat apud Gratianum, de consecrat. distinct. 2. capit. *Ego Berengarius*. Verba hæc sunt; *Ego Berengarius consentio sanctæ Romanæ ecclesiæ & apostolicæ sedi, & ore & corde profiteor, de sacramento Dominicæ mensæ eandem fidem me tenere, quam papa Nicolaus, & sancta synodus authoritate evangelicâ & apostolicâ tenendam tradidit, mihique firmavit; scilicet panem & vinum quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solùm sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguinem Domini nostri Jesu Christi esse: & sensualiter, non solùm sacramentum, sed in veritate manibus sacerdotum tractari, frangi, fidelium dentibus atteri, &c.* Hoc concilium ab errore planè cyclopico nullius acumen liberabit, nisi adhibitâ glossâ quæ ipsum textum expungat, & unâ liturâ inducat. Bellarminus hoc conatus est, sed infeliciter: *Respondeo* (inquit) *nunquam fuisse quæstionem, an Christi corpus verè, ut est in se, frangeretur manibus, & dentibus tereretur: sed an signum, quod frangitur & teritur, sit nudum signum, an verò contineat Christi corpus. Hic igitur sensus est verborum; Non teritur & frangitur nudum signum, sed etiam verum Christi corpus; id est, signum habens realiter conjunctum Christi corpus, sive verum Christi corpus ibi præsens, frangitur & teritur; non tamen in se, sed in signo.* Sed in hac responsione, neque cum aliis pontificiis, neque cum synodo, neque secum convenit Bellarminus. Non cum aliis; nam quod ille negat unquam in quæstionem vocatum, nimirum an Christi corpus in *se*, hoc est in *proprio supposito*, an in *signo* tantùm frangatur, id apertè defendit Claudius Sanctesius: *Berengarius* (inquit ille) *asserebat, in sacramento videri, tangi, & percipi corpus Christi non in proprio supposito. Sed ecclesia contrà decidit, non modò in sacramento, sed in veritate & simpliciter corpus ipsum & sanguinem Christi videri, tangi, dentibus atteri.* Cui suffragatur Alanus nostras, qui confidenter affirmat, *Ipsum corpus non minùs frangi, & dentibus atteri, quàm ante consecrationem panis tractabatur.* Imò expressis verbis dicit, *Fracturam in ipso corpore constitui.* Sed ipsi etiam concilio repugnat Bellarminus. Nam confessio Berengarii duo complectitur: Prius, panem & vinum post consecrationem, non solùm sacramentum, sed verum corpus & sanguinem Christi esse: Posterius, hoc verum corpus quod ibi adest, non solùm in sacramento, sed in veritate tractari, frangi, atteri. Jam suâ explicacatione Bellarminus hæc duo membra confessionis confundere cogitur, & in unum miscere, atque ineptissimam tautologiam concilio impingere. *Hic est sensus verborum*, inquit Bellarminus; *Non teritur & frangitur nudum signum, sed signum habens realiter conjunctum Christi corpus.* Sed, utì dictum est, concilium duo definit & determinat: quid *sit* in mensa Domini post consecrationem;

Repetit. 9. cap. 6

Lib. 1. de euch. cap. 37.

nimirum non ſolùm ſacramentum, ſed verum corpus: & quid *frangatur & teratur*, nimirum non ſolùm ſacramentum, ſed verum etiam corpus Chriſti. Si nihil aliud voluiſſet concilium, quàm nudum ſignum minimè frangi, ſed ſignum habens realiter conjunctum Chriſti corpus; ſatis id explicatum fuit priore confeſſionis membro, in quo ponitur, Panem & vinum conſecratum non eſſe nudum ſignum, ſed verum corpus. Nam ſi non ſit nudum ſignum, ſed verum corpus; eo facto, non nudum ſignum frangitur, ſed ſignum habens ipſum corpus realiter conjunctum. Poſtremò, dum verborum præſtigiis & diſtinctiuncularum ludibriis alios fallere conatur, ſecum pugnat apertiſſimè. Quid enim volunt ſibi hæc verba, *Verum Chriſti corpus* ibi præſens frangitur & teritur, non tamen in *ſe*, ſed in *ſigno*? Si *verum corpus* teritur, *ipſum corpus* teritur, non aliud quiddam à corpore diverſum: ſi non in *ſe*, ſed in *ſigno* teritur, tum *ipſum corpus* non frangitur aut teritur, ſed *ſignum* quod eſt à corpore diſtinctum quiddam & diverſum. Eodem igitur ſpiritu contradicentia profert, verbis leviter immutatis. Nè nimis multus ſim, hæc expoſitio Bellarmini, *Verum corpus frangitur, non tamen in ſe, ſed in ſigno*, ex diametro pugnat cum illis Berengarii verbis, *Non ſolùm in ſacramento, ſed in veritate* (hoc eſt, in ſe) *frangitur corpus Chriſti*. Non potuit itaque adverſarius hujus concilii decretum ab errore liberare, niſi ipſum decretum, adhibitis quibuſdam verborum præſtigiis, negando & evertendo.

Canon. 1. de conjugatis.

Ibid. part. 5. cap 8.

Chemnic. exam. part. 2.

3. Erravit concilium Lateranenſe unà cum Alexandro tertio, quando decrevit, quòd poſt legitimum conſenſum de præſenti, licitum ſit alteri, altero repudiante, monaſterium ingredi. Atque hoc ſic licere dicunt, *ut pars in ſeculo relicta, poſſit novum matrimonium inire*. Eundem errorem erravit concilium Tridentinum, ſeſſ. 8. canon. 5. *Si quis dixerit matrimonium ratum, modò non conſummatum, per ſolennem religionis profeſſionem alterius conjugum non dirimi, anathema ſit*. Hinc Bellarminus de monachis lib. 2. cap. 28. conatur oſtendere, per profeſſionem monaſticam licitè dirimi matrimonium ratum, modò per carnalem copulam conſummatum non fuerit. Sed quicquid illi obtendunt eſt error exploratiſſimus. Nam ex communi conſenſu theologorum & canoniſtarum ſponſalia de præſenti faciunt verè conjuges, etiam ante conſuetudinem conjugalem.

Lomb. lib. 4. diſtinct. 27.

In quam ſententiam affertur illud à Lombardo, ex Ambroſio deſumptum; *Non defloratio virginitatis facit conjugium, ſed pactio conjugalis*: atque multa alia afferuntur ex aliis patribus teſtimonia. Sed non opus eſt teſtimoniis humanis, ſiquidem divinis abundamus. *Quos Deus conjunxit homo nè ſeparet*: At perſonæ legitimè matrimonium contrahentes per conſenſum de præſenti, ab ipſo Deo illico conjunctæ cenſentur: per monachiſmum igitur ab hominibus

minibus inventum non separantur. Et *iis qui matrimonio junctì sunt* (non dicit, qui matrimonium consummârunt per carnalem copulationem) *præcipio, non ego, sed Dominus, mulierem à viro non discedere*, 1. Cor. 7. 10. *Uxor proprium corpus non habet in potestate, sed vir: similiter autem & vir proprium corpus non habet in potestate, sed uxor*; ibid. ver. 4. Hisce positis, decretum illud concilii triplici respectu erroneum & improbum esse defendimus. Primò, quia divellit legitimum matrimonium, contra expressam legem divinam. Respondet Bellarminus, ipsum Deum dirimere, quando vocat alterum conjugum ad religionem. Sed hoc frivolum est; nam ipse Deus nullâ lege aut sanxit monachismum, aut prohibuit monachos à conjugio. Imò testatur Athanasius, multos monachos parentes liberorum factos fuisse; atque hoc licere, eodem in loco affirmat. Adhæc, si Deus dicatur dirimere matrimonia, quoties immittit hominibus propositum sectandi vitam monasticam, tum etiam matrimonia consummata dirimeret: nam alter conjugum quandoque post consummatum matrimonium affectat monachismum. At hoc ab omnibus negatur, ergò & illud etiam negandum est. Secundò, erroneum dicimus & iniquum esse prædictum decretum, quia fraudat alterum conjugum quantumvis invitum jure suo, quod acquisivit ex ipso pacto matrimoniali. Authore enim apostolo simulac matrimonium initum est, vir habet potestatem in corpus uxoris, & uxor in corpus viri. Neuter igitur debet hoc jure privari, absque culpa, causa, aut consensu suo. Sed decretum illud permittit alterum, altero reclamante & renitente, monasterium ingredi; & per consequens, privare alterum illo jure, quod ex matrimoniali contractu habuit in corpus alterius. Respondet Bellarminus, *Tenetur uxor consentire marito volenti perfectiores nuptias inire; si autem nolit, potest cogi ut faciat, quod tenetur facere.* Sed quomodo probabit teneri ad renuntiandum juri suo? Scilicet *quia licet marito de statu minùs perfecto ad perfectiorem transire, si id fieri potest sine uxoris detrimento; fit autem, quia permittitur ei alium maritum sibi quærere.* At nos negamus licere ei qui matrimonium contraxit, illum statum abjicere ut perfectiorem acquirat: quia est status divino jure indissolubilis: & bonum minus præferendum est majori, quando illud *necessitatis* est, hoc *libertatis*. Præterea, neque id fieri potest sine uxoris injuria: nam injuriosum est fœminam, cui de marito jam prospectum est, invitam ad novum quærendum adigere. Tertiò, dicimus hujus concilii decretum impium esse, quia permittit manifestum adulterium. *Nam uxor alligata est lege quamdiu vivit vir ipsius*; 1. Cor. 7. 39. *Et vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro*; Rom. 7. 3. Sed hoc decretum permittit uxori, ut alteri nubat, vivente priore marito, modò is secedat in monasterium, & mortuus obambulet inter mo-

Epist. ad Draconium.

nachos

nachos cucullatos. Reſpondet Bellarminus, in matrimonio eſſe duplex vinculum; *ſpirituale*, quod ex ſolo conſenſu naſcitur; & *carnale*, quod naſcitur ex copula: atque ut carnale diſſolvitur per mortem corporalem, ſic ſpirituale dirimi poteſt per mortem ſpiritualem, qualis eſt monaſtica profeſſio, quâ homo moritur toti mundo. Sed infirma eſt hæc reſponſio: nam primò, ſpirituale illud vinculum quod oritur ex conſenſu & contractu matrimoniali, obligat etiam ad illud carnale quod naſcitur ex copula ſequenti: nam ſimulac fiunt maritus & uxor, eodem momento illud de jure valet, *Erunt duo in carnem unam.* Morte itaque hâc (quam fingunt) ſpirituali non modò diſſolvunt vinculũ ſpirituale, ſed etiam vinculum carnale. Nam vinculum non ex *actu*, ſed ex *officio*, & *debito* æſtimatur. Secundò, verba apoſtoli hanc diſtinctionem apertè excludunt, Rom. 7. 3. ζῶντος τοῦ ἀνδρὸς μοιχαλὶς χρηματίσει, ἐὰν γένηται ἀνδρὶ ἑτέρῳ. Ἐὰν δὲ ἀποθάνῃ ὁ ἀνὴρ ἐλευθέρα ἐστὶν, &c. Quæro quid ſit *vivente viro*? utrùm *naturalem* vitam deſignet, an *ſpiritualem*? Si *naturalem*, tum vinculum matrimonii conſtabit non obſtante morte ſpirituali illâ & monaſticâ; & uxor adultera vocabitur, ſi juxta decretum concilii novum maritum ſibi quærat, priore vitam naturalem adhuc vivente. Si *ſpiritualem* vitam deſignet, erit etiam adultera; quia, ut iſti putant, monachi præ cæteris omnibus vivunt vitam ſpiritualem. Quæro etiam, quid ſit illud Ἐὰν δὲ ἀποθάνῃ ὁ ἀνὴρ αὐτῆς; Si ἀποθανῇ hoc in loco ſit *monaſterium ingredi*, & *mundo mori*, tum vita monaſtica etiam conjugium conſummatum diſſolveret: nam ſtatim ſequitur, *libera eſt à lege viri.* Si autem illud non denotet, ſed mortem naturalem; tum nè ratum quidem matrimonium diſſolvet monachatus. Sed viderunt ſapientiores papiſtæ haſce argutias nihil poſſe; confugiunt itaque ad ſacram ſuam anchoram, ſcilicet ad occultam traditionem. Sic Gregorius de Valentia; *Si quid approbet eccleſia, quod Scriptura non tradit, præſertim ſi majus quiddam & excellentius ſit quàm ut humanâ authoritate conſtitui potuerit, credendum eſt apoſtolos id eccleſiæ tradidiſſe. Quo pacto probatur authoritas quam habet eccleſia diſpenſandi in votis, & relaxandi juramenta, & dirimendi matrimonia rata per votum religionis ſolenne.* Quod ante illum Canus eiſdem penè verbis ſcripſit; *Si quicquam eccleſia approbat, quod humana poteſtas efficere non potuit, id ex apoſtolorum traditione neceſſariò derivatum eſt; ut vota diſſolvere, remittere juramenta, dirimere matrimonium per profeſſionem monaſticam.* Hîc autem diligenter obſervari à vobis velim, Primò, concedi ab ipſis papiſtis, hanc diremptionem matrimonii rati per monachiſmum, eſſe quiddam quod ſuperat humanam poteſtatem: Secundò, non poſſe aliter defendi, quàm recurrendo ad occultam traditionem: Tertiò, eſſe regulam receptam inter pontificios, ut quicquid approbatum eſt ab eccleſia Romanenſi, quod nec probari poteſt

Anal. fid. lib. 8. cap. 6.

Loc. theol. lib. 3. cap. 4.

ex

ex Scripturis, nec conſtitui potuit ab hominibus, ſemper referatur ad traditionem apoſtolicam. Nos uno verbo hæc omnia refellimus: Nam *traditio non ſcripta* nunquam obtendi poteſt aut debet contra *legem ſcriptam*: oſtenſum autem eſt, hanc diremptionem matrimonii, atque novi permiſſionem, adverſari Scripturis. Atque de hujus concilii errore ſatìs dictum eſt.

4. Reſtat aliud concilium Lateranenſe ſub Innocentio tertio, quod inſigne & verè œcumenicum fuiſſe ſcribit Laurentius Surius; quod tamen in turpiſſimum errorem incidit, cap. 1. de fide catholica: ubi infarcit in ſymbolum fidei pro articulo ex neceſſitate credendo vaniſſimum tranſubſtantiationis commentum. Non jam diſputo utrùm Chriſti corpus naturale & reale præſens ſit in euchariſtia; ſed adeſſe illud per *modum tranſubſtantiationis* quem concilium credendum omnibus proponit, aut fuiſſe, aut eſſe, aut eſſe poſſe articulum fidei Chriſtianæ, pernego. Fidei enim ſymbolum colligi debet ex ſacris Scripturis: delirium autem tranſubſtantiationis nititur ſolâ authoritate eccleſiæ Romanenſis. Ut demus igitur opinionem tranſubſtantiationis eſſe *probabilem*, imò *veram*; tamen graviſſimus error fuit, ſine teſtimonio Scripturarum inter articulos fide catholicâ credendos illud nudâ authoritate eccleſiæ Romanæ conjicere. Quod ex ipſorum papiſtarum teſtimoniis oſtendam. Altiſſiodorenſis, lib. 3. tract. 3. quæſt. 3. *Credendo verum peccat aliquis, quando id quod non eſt determinatum in ſacra Scriptura aliquis præſumit aſſerere, licèt ſit verum.* Paulò pòſt; *Cùm aliquis aſſerit aliquid de Deo, quod non eſt determinatum ab ipſo Deo, licèt ſit verum, tamen peccat, quia facit ſe judicem Dei.* Sic Mirandulanus, *Qui aliquid tenent eſſe de fide, quod non ſit de fide, malè ſentiunt de fide.* Et in eodem libro ſic diſputat; *Arctare hoc mirabile ſacramentum ad determinatum defenſionis modum, qui ex canone Scripturæ, aut eccleſiæ determinatione non habeatur expreſſus, eſt divinam potentiam arctare ad intellectus noſtri capacitatem.* Et rurſus; *Tenendo communem modum converſionis* (tranſubſtantiationem innuit) *non convertitur panis, ſed annihilatur; & qui volunt ſalvare quòd ſit converſio, ità quòd non annihilatio, videntur potiùs verbis quàm re ſatisfacere.* Ex hiſce doctiſſimi Mirandulani diſputationibus apertum eſt, tranſubſtantiationem neque ex canone Scripturæ, neq; ex eccleſiæ determinatione antiqua, ſed ex Romanenſis ſynagogæ prætoria authoritate fluxiſſe. Idem ſenſerunt doctiſſimi quique ex ipſis pontificiis. Scotus in 4. ſent. diſt. 11. quæſt. 3. art. 1. *Ad tenendam tranſubſtantiationem principaliter movet Romanæ eccleſiæ authoritas: nam ad verba Scripturæ quod attinet, ea poſſunt aliter ſervari, ſecundum intellectum magis facilem, & veriorem ſecundum apparentiam.* Petrus de Alliaco clariùs; *Ille modus qui ponit panem remanere eſt poſſibilis, nec authoritati Scripturæ repugnat, imò eſt facilior ad intelligendũ, & rationabilior quàm eorum opinio qui volunt accidentia panis remanere*

Concil. tom. 3. pag. 736.

Apol. pag. 139.

Pag. 183.

Pag. 193.

In 4. ſentent. quæſt. 5. art. 2.

ſine ſubſtantia: nec ullum inconveniens ſequeretur ex hac opinione, ſi concordaret cum definitione eccleſiæ. Idem ſenſit Cajetanus in 3. Aquinat. quæſt. 25. art. 1. Durandus etiam, aliique.

Ex hiſce patet, tranſubſtantiationem non deduci ex Scripturis, ac proinde turpiter errâſſe concilium Lateranenſe, quod illud commentum ſuum obtrudit pro fidei articulo. Nam, *nec papa, nec generale concilium poteſt facere aliquid de fide, quod antè non fuit*, ut optimè Gerſon. *Regula* ſiquidem *fidei noſtræ una omnino eſt, ſola, immobilis, & irreformabilis*, ut rectè Tertullianus; neque credibile eſt per mille annos eccleſiam Chriſti ignorâſſe articulum fidei ſuæ Chriſtianæ. De erratis conciliorum etiam à pontifice Romano approbatorum plura dicere ſupervacaneum eſſet; nam ex illis quæ dicta ſunt liquidò apparet, judicium conciliorum non eſſe infallibile. Patrum ſententias pauculas apponemus.

Part. 1. de error. circa art. magic.

CAP. XXIIII.

Quòd concilia ſint errori obnoxia multis argumentis demonſtratum eſt; jam tandem accedat & illud, hanc ſententiam ſemper fuiſſe conſentientibus patrum ſuffragiis comprobatam; quod deinceps oſtendemus.

1. IGitur patet, antiquos patres non putâſſe conciliorum judicium eſſe infallibilem fidei regulam, quia hoc privilegium ſolis Scripturis canonicis vindicare ſolent; conciliorum autem decreta nunquam inter Scripturas canonicas habita fuerunt. Hoc à nobis plurimis teſtimoniis oſtenſum fuit in quæſtione de regula fidei; quæ omnia huic etiam præſenti inſtituto poſſunt accommodari.

2. Cum concilia non ex prophetis aut apoſtolis extraordinario motu inſpiratis, ſed ex ordinariis eccleſiæ rectoribus conſtent, quicquid de patrum ſcriptis & authoritate aſſeritur, id etiam ad illorum decreta in conciliis propoſita & determinata extendi poteſt. Patres enim in conciliis nihil aliud ſunt quàm patres, & ſcripta eorum decreta nihil aliud quàm patrum decreta; non prophetarum oracula, aut apoſtolorum evangelia. De his igitur ſcribit Auguſtinus; *Hoc genus literarum ab authoritate canonis diſtinguendum eſt. Non enim ſic leguntur, tanquam ità ex eis teſtimonium proferatur, ut contrà ſentire non liceat, ſicuti fortè aliter ſapuerint quam veritas poſtulat.* Et epiſt. 111. *Neque enim quorumlibet*

Tom. 2. epiſt. 48

diſputationes,

diſputationes, quamvis catholicorum & laudatorum hominum, velut Scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, ſalvâ honorificentiâ quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum ſcriptis improbare atque reſpuere. Talis ego ſum in ſcriptis aliorum, tales volo eſſe intellectores meorum. Et epiſt. 112. *Si Scripturarum firmatur authoritate, ſine ulla dubitatione credendum eſt: aliis verò teſtibus vel teſtimoniis tibi credere vel non credere liceat.* Et lib. 2. contra Creſconium Grammaticum, cap. 31. *Non ſine cauſa tam ſalubri vigilantiâ canon eccleſiaſticus conſtitutus eſt, ad quem certi prophetarum & apoſtolorum libri pertineant, quos omnino judicare non audeamus, & ſecundum quos de cæteris literis vel fidelium vel infidelium liberè judicemus.* Poſtremò, ipſe Bellarminus agnoſcit ſcripta patrum non eſſe *regulas fidei*, nec habere *authoritatem obligandi*. At conciliorum decreta nihil aliud ſunt quàm ſcripta patrum in ſynodis congregatorum: neque ipſa multitudo aut collectio plurium poteſt afferre illis ſcriptoribus authoritatem infallibilem & divinam, qui ſigillatim & ſeorſum non habent aliam quàm humanam & errori expoſitam.

Tom. 7.

De concil. lib. 2. cap. 12.

3. Patres verbis expreſſis agnoſcunt concilia eſſe errori obnoxia, dum admittunt contraria decreta ab illis poſſe ſtabiliri. Hilarius; *Si contraria invicem ſenſerunt* concilia, *debemus quaſi judices probare meliora*; de ſynodis adverſus Arrianos. Auguſtinus; *Concilia quæ per ſingulas regiones fiunt, plenariorum conciliorum authoritati cedere debent: ipſáque plenaria ſæpe priora à poſterioribus emendari poſſunt.* Et contra Creſconium Grammaticum, lib. 2. cap. 31. *Non debet eccleſia ſe Chriſto præponere, cùm ille ſemper veraciter judicet, eccleſiaſtici judices ſicut homines plerunque fallantur.* Iſiodorus Hiſpalenſis in epiſtola ad Maſſanum, & citatur à Gratiano diſtinctione 50. *Quotieſcunque in geſtis conciliorum diſcors ſententia invenitur, illius concilii magis teneatur ſententia, cujus aut antiquior, aut potior extat authoritas.* Quid apertius, quàm ex horum patrum ſententia concilia inter ſe pugnare, & proinde errare poſſe? Sed adhuc apertiora afferamus. Hieronymus; *Spiritus ſancti doctrina eſt, quæ libris canonicis prodita eſt; contra quam ſi quid ſtatuant concilia, nefas duco.* Gerſon, de examinat. doctrin. part. 1. conſid. 5. *Si aliquis ſimplex non authorizatus, eſſet excellenter in ſacris literis eruditus, potiùs credendum eſſet in caſu doctrinali ſuæ aſſertioni, quàm papæ declarationi. Et talis eruditus deberet, in caſu ſi celebraretur generale concilium, cui ipſe præſens eſſet, ſe ei opponere, ſi ſentiret majorem partem ad oppoſitum evangelii malitiâ vel ignorantiâ declinare.* Picus Mirandulanus theorem. 4. de fide & ordine credendi; *Liquet varias de firmitate judicii conciliorum & pontificis ſententias à doctoribus ferri, nec adhuc aliquid (quod ſciam) promulgatum eſt, cujus vi ad alterutrum credendum obſtringamur.* Et paulò pòſt; *Concilium legitimè congregatum in cauſis fidei falſum judicare non poſſe, apud Joannem de Turre cremata veritatem indubiam non continet, quamvis ſit eccleſiaſticæ dignitatis magnus aſſertor.*

In epiſt. ad Galat. cap. 5.

Pag. 260.

Pag. 261.

Et theorem. 8. illorum theologorum ſententiam commemorat, qui ſtatuerunt, pontificem cum concilio poſſe errare: id tantummodo addit, Quoties hoc continget, ab aliquibus, quamvis numero paucioribus reclamaretur, quorum vera ſententia præponderaret, & vinceret erroneam concilii determinationem; atque affert exemplum Athanaſii, qui ſolus myriadas Arrianorum tandem devicit. Denique idem Mirandulanus theorem. 16. *Si pars major* (inquit) *contra divinas literas, contráque ea quæ violare nefas eſt, decernere quicquam vellet, reliquis qui pauciores eſſent contrà nitentibus, numero minori adhæreſcendum eſſet, quemadmodum accidit in Ariminenſi concilio, & in Epheſino* 2. Hæc ille. Panormitanus & plerique juriſtæ cum illo, docent falſum eſſe, quòd concilium non poſſit errare. Ex hiſce omnibus luce clarius eſt, neque apud patres, neque apud ipſos pontificios, infallibile judicium conciliorum pro fidei dogmate fuiſſe receptum.

Almain. de poteſt. eccleſ. cap. 16.

Hiſce tam apertis teſtimoniis nihil habent quod opponant Jeſuitæ, niſi hæc omnia referenda ad ea ſolummodo concilia, quæ caruerunt approbatione pontificis Romani; illâ autem accedente, dicunt conciliorum determinationes extra periculum errandi conſtitutas. Sed non poſſunt ità eludere hoſce teſtes. Nam primò, plerique illorum loquuntur de conciliis non reprobatis, ſed legitimis, quæ tamen ex ignorantia quandoque in errorem incidere poſſunt. Secundò, nunquam apud veteres invaluit illa opinio, quæ aſſerit concilia irrita, ſi deſit ſolius pontificis Romani ſuffragium: hoc Jeſuiticum commentum eſt, & nullâ ratione ſuffultum. Errat itaque concilium quando errant patres qui formant decreta, licèt quivis epiſcopus, ſive Romanus ſive Conſtantinopolitanus, reclamet; quod antea à nobis demonſtratum eſt. Poſtremò, ipſos Romanos pontifices unà cum reliquis epiſcopis errores approbâſſe oſtendimus. Concludamus itaque, miniſteriales judices non habere abſolutam aut infallibilem judicandi poteſtatem in negotiis fidei ac religionis. De judicio ſubordinato & miniſteriali ſatis diu diſputatum eſt, ultimo jam in loco reſtat ut de judicio privatæ & practicæ diſcretionis diſſeramus.

CAP.

Cap. XXV.

De judicio privatorum, quod practicæ diſcretionis appellatur.

Quandoquidem perſpicuè demonſtratum eſt, non eſſe judicem aut judices aliquos viſibiles & miniſteriales, qui ità infallibiliter judicant de ſenſu Scripturarum, aut de fidei dogmatibus, ut eorum definitionibus cujuſlibet Chriſtiani conſcientia ſemper teneatur acquieſcere; neceſſarium eſt ut privatis Chriſtianis ſuum quoque quoddam judicium permittamus. Hic mirum in modum tumultuantur pontificii, & clamitant indignum facinus admitti, quoties laici, vel inferiores quicunque prælatorum judicia excutere præſumunt, quorum ſententia valere debet apud omnes inferiores prætoriâ quâdam & abſolutâ authoritate. Adeò miſerè diffidunt doctrinæ ſuæ, ut nè ſperare quidem audeant populum Chriſtianum illam velle admittere, niſi priùs cogantur oculos ſuos occludere, & proprii judicii lumen extinguere. Sed veritas oculatos diſcipulos non reformidat, imò exoptat: & Deus ipſe jubet, ut doctrinam quorumvis mortalium, non cæcâ fide amplectamur, ſed ad Lydium lapidem verbi divini, pro modulo ſcientiæ nobis à Deo collatæ, exigamus. Ad hanc igitur controverſiam veniemus, eámque tribus quæſtionibus abſolvemus.

Quæſt. 1.

Quæſt. 1. *De privatorum judicio.*

1. Quæritur an quilibet Chriſtianus teneatur uti hoc judicio diſcretionis in recipiendis interpretationibus aut definitionibus prælatorum de rebus ad fidem ac ſalutem pertinentibus; an potiùs in rebus fidei teneatur abſolutè ſubmittere ſuum judicium ſententiæ judicum eccleſiaſticorum. Quid de hac re ſtatuant Romanenſes, quibus argumentis ſuam ſententiam adſtruant primitus oſtendam; iiſque rejectis & refutatis, ad noſtræ ſententiæ confirmationem accedam.

Veriſſimè ſcripſit Lutherus, *hoc uno ſcelere* (nimirum quòd ſibi abſolutum dominium in fidem atque mentem Chriſtianorum vendicent) *meritos eſſe prælatos Romanenſes, ut ex eccleſiæ cœtu tanquam lupi & tyranni pellerentur.* Tom 2. pag. 375. Sed nè falſum crimen illis impingere videamur, non meis, ſed ipſiſſimis adverſariorum verbis illorum opinionem proponam. Sic igitur Bellarminus ſtatuit, de verbi Dei interpret. lib. 3. cap. 10. *Chriſtiani, quibus conſtat eccleſiam non poſſe errare in explicanda doctrina fidei, tenentur eam recipere, & non dubitare an hæc ità ſe habeant.* Et paulò pòſt, *Debet Chriſtianus ſine examine recipere doctrinam eccleſiæ.* Atque prope finem ejuſdem capitis, *Aliud eſt interpretari legem more doctoris, aliud*

more judicis ad explicationem more doctoris requiritur eruditio, ad explicationem more judicis requiritur authoritas. Doctor enim non proponit ſuam ſententiam ut neceſſariò ſequendā, ſed ſolùm quatenus ratio ſuadet; at judex proponit ut ſequenda neceſſariò. Aliter accipimus gloſſas Bartholi, & Baldi, aliter declarationem principis. Auguſtinus igitur & cæteri patres in commentariis fungebantur officio doctorum: at concilia & pontifices funguntur officio judicis. Hæc ille. In quibus tria velim à vobis obſervari. Primum, Chriſtianos debere omnes eccleſiæ explicationes, ſive definitiones de doctrina fidei, abſque omni dubitatione & examine recipere. Secundum, Eccleſiam interpretari legem divinam, non more doctoris, ſed more judicis, ſive ſupremi principis, qui ſententiam ſuam non ſolùm quatenus ratio ſuadet, ſed neceſſariò, & pro ſua authoritate ſuſcipiendam proponit. Poſtremum, Hanc eccleſiam, cui tribuunt hoc abſolutum imperium in Chriſtianos, nihil aliud eſſe quàm concilia cum pontificibus Romanis. Nam hoc omnibus papiſtis ſolenne eſt, ſpecioſum *eccleſiæ* nomen ad prælatos ſolos, eoſdémque papiſticos, coarctare. Huc igitur redit ſumma ſententiæ Bellarminianæ; Quicquid prælati papiſtici definiunt in cauſis fidei, id ſine dubitatione & examine ab omnibus Chriſtianis credi debet, quia habent judiciariam & imperatoriam authoritatem, cui omnes tenentur judicia ſua ſubmittere, non ſolummodo quatenus ratio ſuadet, ſed neceſſariò propter ipſam authoritatem judicantium. Jam nè quis putet hæc tam craſſa obiter excidiſſe Bellarmino aliud agenti, lib. 1. de concil. & eccleſ. cap. 18. eandem ſententiam conatur adſtruere. *Quæritur* (inquit) *an concilium ſit verum judicium, & epiſcopi veri judices, ità ut ſtandum ſit eorum ſententiæ, quia ipſi ſic ſtatuerunt, quomodo ſtatur ſententiæ prætoris in cauſis politicis: an verò tantum ſit inquiſitio quædam, & tantum valeat decretum concilii quantum valet ejus ratio; quomodo loquimur de deciſionibus doctorum, quas in ſcholis faciunt.* Priorem opinionem ſibi ac ſuis vendicat, poſteriorem nobis attribuit. Sed hîc interim artem Jeſuiticam adhibet, dum veros judices confundit cum judicibus abſolutis, & dum nobis illam ſententiam adfingit quæ faciat patres in concilio congregatos *inquiſitores* tantummodo, non *judices*. Nam nos agnoſcimus eos, veros judices, ſed ſubordinatos & miniſteriales, ut antea diſputatum eſt; atque idcirco errori obnoxios quoties diſcedunt à ſententia Dei ſupremi judicis in verbo revelatâ. Audiſtis Bellarminum, jam prodeat Gregorius de Valentia, quo nemo impudentiùs hanc cauſam egit. In tractatu quem inſcripſit analyſin fidei catholicæ, lib. 8. cap. 6. ſic ſcribit; *Nemini ſubditorum fas erat judicium ſibi de judicis ſui ſacerdotiſque definitione arrogare, num divinæ legi eſſet conſentanea; quia ſimpliciter omnes jubebantur ſacerdoti de rebus controverſis aliquid ſtatuenti acquieſcere. Itaque*

cùm

cùm ſine contradictione ulla obedire homines juſſi ſunt ſacerdoti judicanti ſecundum divinam legem, perſuadere etiam ſibi divinitus juſſi ſunt, illum, cùm de rebus controverſis judicabat, omnino judicare ſecundum divinam legem: quod ipſum perſuadere nobis de ſummo eccleſiæ paſtore & nunc jubemur. Atque cap. 7. in eandem ſententiam; *Tum doctrinæ ſpiritum ex Deo eſſe ſatis intelligimus, cùm à legitimo eccleſiæ paſtore, præſertim concilio aſſentiente, proponi eam animadvertimus. Hîc quiſquis non acquieſcit, ſed ulteriùs judicium ſibi in ſuos judices arrogare vult, in diſputationémque vocare, veráne ſint, quæ ab eccleſiæ præpoſitis (per quos nos Spiritus ſanctus doceri voluit) definita ſunt; non exequitur, ſed tranſgreditur modum probandi ſpiritus à divina lege præſcriptum.* Tria hîc molitur Gregorius: Ut omnem judicandi facultatem eripiat Chriſtianis, quia ſubduntur præpoſitis ſuis: ut imponat illis hanc perſuaſionem neceſſariò tenendam, Eccleſiæ præpoſitos ſemper judicare ſecundum legem divinam: ut oſtendat doctrinæ probationem, quam Deus requirit ab omnibus Chriſtianis, non ex ipſa ratione aut examinatione doctrinæ faciendam, ſed ex penſitata ſolummodo conditione doctorum. Si illi ſint legitimi & catholici doctores, illis credendum eſt ſine ulteriori examine; ſi hæretici aut ſchiſmatici, tum rejiciendi & repellendi ſunt. Vide etiam Stapletoni ſententiam apud Whitakerum de author. Script. lib. 3. *Eccleſiæ miniſterio credimus ſimpliciter & abſolutè, ſive conſtet, &c.* Accedat ultimo in loco Tannerus, in colloquio Ratisbonenſi, ſeſſione 9. ubi vehementer contendit, populum ità ſubjectum eſſe regimini præpoſitorum ſuorum, *ut ſi illi in aliquo dubio definiendo errarent, populus Chriſtianus vi talis regiminis errare poſſet, imò deberet.* Abſolutum igitur obſequium à populo efflagitat, & omnem judicandi libertatem illis eripit. Poſtremò, vir doctiſſimus Cornelius Agrippa, in libro de vanitate ſcientiarum, cap. 96. de arte inquiſitorum, deſcribit hanc tyrannidem pontificiam, atque carnificinam, quam exercent in conſcientias hominum. Nimis prolixum eſſet locum integrum deſcribere, hæc ſumma eſt; *Tortores iſtos papiſticos neque Scripturas neque patres curare, ſed unam Romanam eccleſiam cum ſuo pontifice, quam dicunt errare non poſſe. Hujus itaque definitiones obtrudunt omnibus Chriſtianis, quas ſi non admittant, Scripturarum teſtimoniis aut aliis rationibus quibuſcunque innitentes, illico exclamant, Non eſſe illis negotium cum ſcholaribus ad cathedram, ſed cum judicibus ad tribunal, non diſputandum, ſed ſimpliciter reſpondendum, ſi velint ſtare decretis Romanæ eccleſiæ, & opinionem ſuam revocare: ſi id facere detrectent, non Scripturis & argumentis, ſed faſciculis & flammis eos convincendos minitantur. Atque hâc ſævitiâ Chriſtianos, nec pertinaciæ convictos nec meliora edoctos, contra conſcientiam propriam ſuas opiniones abjurare compellunt.* Hæc ille. Habetis papiſtarum ſententiam ex ipſorum ſcriptis depromptam, quæ penitus adimit populo Chriſtiano omnem facultatem judican-

di,

di, atque probandi doctrinas ſibi propoſitas à prælatis eccleſiæ, & cæcam fidem ac obedientiam à ſubditis omnibus requirit. Jam reliquum eſt, ut oppoſitam noſtrorum theologorum ſententiam exponamus.

Noſtri igitur omnes, utcunque prælatis tribuunt officium judicandi de controverſis fidei dogmatibus, illúdque cum coercitione copulatum; tamen quia hi judices miniſteriales ſunt ſubordinati, & ad Dei ſententiam in verbo olim pronuntiatam alligati, à qua poſſibile eſt illos deviare; dicunt omnes Chriſtianos, quibus ſalus ſua curæ eſt, debere quorumvis hominum de fide decreta ad fidei normam exigere, atque eatenus admittere, quatenus ad eandem intelliguntur convenire. Concedimus itaque populo Chriſtiano judicium ſuum; non illud quidem *forenſe*, aut *authoritatis publicæ*, quod aliis poſſit quicquam præſcribere, ſed *rationale*, & *diſcretionis privatæ*, quod propriis ipſorum conſcientiis & animis poſſit ſatisfacere. Impoſſibile enim eſt, ut quis verè credat, quod animus ſuus, conſcientia ſua, & judicium ſuum non dictat credendum. Hinc Lutherus, *Oves debent ferre judicium, utrùm prælati vocem Chriſti vel alienorum proponant*: & eodem in loco docet, *eum cœtum, in quo evangelii vox ſonat, non tantùm habere jus & mandatum judicandi de quovis dogmate, ſed debere quemlibet pium hoc præſtare, ſub periculo ſalutis.* Melanchon & Chemnicius, in locis ſuis theologicis, oſtendunt eccleſiam non eſſe ſimpliciter alligatam ad epiſcopos, ut teneatur in omnibus illorum doctrinam & decreta admittere, ſed poſſe eam & debere attendere, quam vocem ſonent, ſeu qualem doctrinam afferant: permittunt igitur Chriſtianis probationem doctrinæ ſibi à præpoſitis commendatæ. Whitakerus noſter; *Omnibus piis incumbit ut ſibi caveant, & quamvis doctrinam diligenter examinent, nè falſa forſan pro veris ſuſcipiant. Quiſque debet niti ſuâ fide, ſuóque judicio divinitus inſpirato, non ex alterius nutu & arbitrio pendere.* Polanus; *Non datur omnibus fidelibus ſpiritus interpretandi Scripturas, ad authoritatem publicam in eccleſia: ſed tamen uniuſcujuſque Chriſtiani eſt ſpiritus ille, ad privatam doctrinæ probationem, & dijudicationem in conſcientia ipſius.*

Habetis quid de hoc judicio diſcretionis ſtatuatur tum à pontificiis, tum à noſtris theologis; quorum contrarias ſententias ex amborum ſcriptis verbatim ponendas putavi, nè vel nos adverſariis, vel illi nobis alium quæſtionis ſtatum proponant, quàm illum, qui ab utriſque afferitur & propugnatur: jam ad argumentorum conflictum venia mus.

CAP.

Tom. 2. pag. 375. in tract. *Quòd eccleſ. poteſtatem habeat judicandi de quævis doctrina, &c. De eccleſia.*

Contr. 1. queſt. 5. de interpret. Script.

Synag. lib. 1. cap. 45.

Cap. XXVI.

Argumenta pontificiorum pro absoluta obedientia absque omni examine, sive judicio privatæ discretionis.

Arg. 1.

Fides implicita non discutit, aut sub examen revocat doctrinâ prælatorum, sed docet subditos omnes sensum suum ecclesiæ absolutâ quadam obedientiâ submittere, & pro vero agnoscere quicquid illa præscribit, sive illud quid sit explicitè intelligant, sive non intelligant. Hujusmodi fides implicita optimè convenit laicis & indoctis, ut scilicet credant quod credit ecclesia: Nam (ut est apud Hugonem de S. victore) *qui credenti credit, non inconvenienter credere dicitur, quod ille credit cui credit, etiamsi nesciat illud quid sit quod credat. Tales* (inquit) *sunt simplices in ecclesia, qui perfectioribus credentibus & cognoscentibus credunt.* Atque huc afferre solent illud Jobi 1. 14. *Boves arabant & asinæ pascebantur simul*; id est, minores qui significantur per *asinas*, debent in credendis cohærere majoribus qui per *boves* significantur. Si hæc sit tuta & bona credendi ratio, tum minimè opus est hoc judicio discretionis, quod nos adhibendum dicimus in prælatorum doctrinis recipiendis.

De sacr. fid. lib. 1. part. 10. cap. 3.

Aquin. 2. 2. qu. 2 art 6.

Sol.

Fides hæc implicita, quam papistæ tantopere commendant hominibus laicis & indoctis, nihil veræ fidei in se continet; sed est mera insciti inertiæ conjuncta. Ad fidem enim duo requiruntur, *cognitio propositionis credendæ*, & *inclinatio intellectus ad assentiendum huic propositioni revelatæ & cognitæ.* Verbi causâ; Gentes huic propositioni, *Christus morte suâ nos reconciliavit Deo Patri*, non potuerunt fidem adhibere, nisi ea per prædicationem apostolorum fuisset illis revelata: neque nuda cognitio aut perceptio propositionis hujus facit fidelem, sed accedat insuper oportet assensio: credere enim est *cum assensu cogitare.* Jam verò in hac fide implicita nulla est cogitatio, cognitio, aut perceptio propositionis credendæ; nulla assensio propter formalem rationem credendi, hoc est, propter authoritatem Dei revelantis; sed cæca quædam animi promptitudo ad illa omnia, quantumvis ignota, recipienda quæ prælati ipsi crediderunt: postremò, nè consistere quidem potest hæc fides implicita eo sensu quo à pontificiis defenditur, sive permittamus laicis actum judicii discretionis, sive negemus. Si permittamus illis judicium & examen suum, tum fides non est implicita; nam illa supponit propositionem creditam nè percipi quidem, multò minùs dijudicari aut examinari ab ipso credente: si negemus illis hoc judicium suum rationale, tum non erit fi-

Rom. 10. *Aquin. 2. 2. qu. 2. art. 1. & in 10. ad Romanos, pag. 34.*

des; quia fides ſupponit cognitionem rei credendæ cum aſſenſu. Non *fides* itaque dicatur hæc vaga & cæca aſſenſio, ſed *pura puta ignorantia*. Nam ſi verè Tertullianus, *Temerè creditur quodcunque ſine originis agnitione creditur*; tum non omnino creditur, quod ſine ulla revelatione, aut agnitione propoſitionis credendæ, credi per implicitam fidem ſtultiſſimè affirmatur.

Aquin. 2.2. qu. 2. art. 6. Contra Marcionem lib. 5.

Arg. 2. Colloq. Ratisb. ſeſſ. 9.

In omni republica bene ordinata populus ſubjectus tenetur in dubio ſequi ſententiam magiſtratus, ergò populus non debet uti hoc privato ſuo diſcretionis judicio, eique adhæreſcere contra judicium ejuſdem magiſtratus.

Sol. 1.

Antecedens hujus argumenti multipliciter vacillat. Primò, quia illud dubium ſemper eſſe ſupponit, de quo magiſtratus & populus diverſimode ſentiunt. Verbi causâ; Si, qui publicam obtinent authoritatem in eccleſia de aliquo dogmate uno modo ſtatuant, privati autem fideles de eodem aliter ſentiant, Jeſuitæ illico exclamant, dubium jam ortum eſſe, in dubiis autem credendum ſemper judicio publici magiſtratus. Sed non ità ſe res habet: nam ſæpe accidere poteſt, ut, qui publicam habent authoritatem, in rebus claris ac manifeſtis, & ipſi populo fideli minimè dubiis, falſas & impias ſententias tueantur, quod ſi contigerit, non oportet populum fidelem veritatem deſerere propter contrarium hæretici & infidelis magiſtratus judicium. Sacerdotes & Phariſæi in dubium vocabant, utrùm Chriſtus eſſet Meſſias; atque tandem apertè definiebant illum fuiſſe *impoſtorem*, non *redemptorem Iſraelis*: peccâſſent tamen fideles ſi in hac re ſecuti fuiſſent judicium eorum, qui publicam obtinuerunt authoritatem. Sic Nabuchodonoſor ſtatuebat idolum quod ille erexerat ab omnibus colendum, & proculdubio dubitabat nunquid ſolus Jehova colendus eſſet; tres pueri tamen non ſequebantur ſententiam magiſtratus, ſed judicium ſuum privatum ex Dei verbo petitum. Poſtremò, in eccleſia Chriſtiana qui publicam habebant authoritatem, hoc eſt epiſcopi in conciliis congregati, dubitabant utrùm Chriſtus eſſet Deo Patri conſubſtantialis, & tandem judicabant non eſſe; privati tamen orthodoxi ſuum judicium non abjecerunt, ut conciliis errantibus adhæreſcerent. Nota eſt Auguſtini in hac re ſententia, *Oportet nos ex ea parte, quæ ad hanc vitam pertinet, ſubditos eſſe poteſtatibus: ex illa verò parte, quâ credimus Deo & in regnum ejus vocamur, non oportet nos eſſe ſubditos cuiquam homini id ipſum in nobis evertere cupienti. Deo enim potiùs obtemperandum quàm hominibus.* Secundò, peccat hoc argumentum, etiamſi de dubio intelligatur, in quo privati apud animos ſuos dubitant & hærent quid de aliqua re ſentiendum ſit: in talibus enim fides non poteſt nec debet in nudis decretis hominum ſemper

Dan. 3.

In exp. ep. ad Roman. propoſ. 72.

2.

acquieſcere.

acquiescere. Distinguendum itaque est de natura dubiorum, & de qualitate dubitationis. Si dubium oriatur circa rem levem, & suâ naturâ adiaphoram, quia magistratus constitutus est à Deo ad hujusmodi res suâ authoritate determinandas, possunt & debent homines pacifici ingenii dubitationem suam deponere, & privatum suum sensum judicio publico conformare. Sed si extiterit dubium circa dogmata fidei, aut opera cultus divini, neque possunt ad nudum imperium aliorum contra propriæ conscientiæ judicium credere, neque debent judicium suum (nisi illato novo lumine ex verbo Dei) commutare, & ad voluntatem aliorum conformare. Nam fides ex verbo divino concipitur per Spiritum cooperantem, non ex jussu humano exoritur per authoritatem compellentem. Jam quod attinet ad qualitatem sive gradum dubitationis, aliquando vacillatio hæc vel dubitatio consurgit ex conjecturis tantummodo debilibus & incertis, atque adversus leves hosce scrupulos non est difficile imperare animo suo, ut eosdem abjiciat, & cedat authoritati eorum qui peritiores putantur: Sed aliquando oritur dubitatio ex rationibus quæ validæ videntur, & quæ intellectum ità movent, ut non possit eis repugnare: in ejusmodi dubiis subditi nequeunt suam sententiam quamvis erroneam relinquere, nisi instruantur, & novum judicium in illis formetur; quo facto, non cæci alienum judicium sequuntur, sed proprium illud discretionis privatæ, quod nos requirimus.

(n)

(n)

Gerson part. 2. fol. 211.

Non est melior conditio privatorum quàm magistratus: sed si illi in dubiis sequi possent suum potiùs judicium, quàm magistratus sententiam, jam meliori conditione uterentur subditi quàm præpositi, quod absurdum est, & bono ordini contrarium.

Arg. 3. colleg. Ratisb. sess. 9.

Quod attinet ad illuminationem spiritus, & cognitionem veritatis, melior sæpenumero est conditio multorum privatorum, quàm eorum qui publicam authoritatem obtinent, sive in republica, sive in ecclesia. Pronuntiatum itaque illud universale, quod absolutè negat conditionem populi esse meliorem quàm præpositorum, apertè falsum est. Porrò, conditionalis illa propositio quæ annectitur, multis vitiis scatet. Nam neque dubium censendum est, quicquid præpositi in dubium vocant; neque in controversiis religionis volumus privatos judicium suum quod ex *naturali ratione* & *acumine* oritur, sed illud quod ex *inspiratione Spiritus sancti*, & *lumine verbi* nascitur, præferre corrupto judicio quorumvis mortalium. Postremò, quando hoc faciunt privati rectè sentientes, tamen utuntur duriore conditione quàm magistratus errantes: nam illi non possunt præpositos errantes ullo supplicio afficere, at illi solent privatos, etiam justitiæ & veritatis causâ illorum sententiis adversantes, acerbissimis mulctis pœnisque divexare. Subditi igitur

Sol.

quando recuſant ſubſcribere judicio illorum qui habent publicam authoritatem, agnoſcunt tamen ſe eſſe inferiori & pejori conditione, dum pœnas injuſtas alacri & lubenti animo pro amore veritatis ſubire & tolerare non recuſant.

Arg. 4. Qui in re controverſa ſententiam alterius dijudicat, ſe facit judicem ejus; at ſubditi non debent ſemetipſos conſtituere judices ſupra præpoſitos ſuos: ergò non debent illorum ſententias latas examinare aut judicare, ſed illis protinus obedire.

Sol. Non ſe judicem alterius facit, qui ſententiam ab alio latam perpendit & examinat, quatenus continet aliquid à ſe, ſive faciendum, ſive credendum, ſed ſolummodo ſe facit judicem actuum ſuorum. Nam utcunque, qui judicem agit, verè dicitur *judicare*, tamen omnis qui judicat, non propriè dicitur *judicem agere*. Judicem agit, qui profert ſententiam in foro externo, quæ vi juriſdictionis ad alterum pertingit, ſed judicat, qui in inferiori foro privatæ ſuæ conſcientiæ concipit ſententiam de credendis vel agendis, quæ ad ſemetipſum ſolummodo ſpectat: poſteriori modo & poſſunt & debent privati judicare de ſententiis ac decretis magiſtratuum, neque hoc agendo conſtituunt ſeſe judices *magiſtratuum*, ſed *ſuarum actionum*, ut modò diximus. Sic apoſtoli judicabant, non eſſe abſtinendum à prædicatione evangelii propter decretum ſacerdotum, neque tamen faciebant ſeſe judices eorundem. Sic privati Chriſtiani judicabant, non obſtante ſententiâ imperatorum Paganorum, idola non eſſe colenda, neque tamen judices fuerunt imperatorum. Potuerunt Jeſuitæ ab Aquinate didiciſſe hoc diſcrimen inter judicium *forenſe*, quod ad illos ſolos ſpectat qui habent publicam poteſtatem, & *rationale*, quod pertinet ad omnes qui à Deo acceperunt animam rationis participem. Nam Ille in quæſt. diſput. quæſt. 17. de conſcientia, artic. 5. proponit hanc Jeſuiticam cavillationem hoc modo; *Subditus non debet judicare de præcepto prælati, ſed potiùs prælatus de actibus ſubditi: at judicaret, ſi propter ſuam conſcientiam ab ejus præcepto recederet.* Dein ſolvit, *Dicendum, quòd ſubditus non habet judicare de præcepto prælati, ſed de impletione præcepti quæ ad ipſum ſpectat. Unuſquiſque enim teneatur actus ſuos examinare ad ſcientiam quam à Deo habet; omnis enim homo debet ſecundum rationem agere.*

Act. 5. 40.

Arg. 5. Quibus incumbit, ut in omnibus ſequantur doctrinam præpoſitorum, illis non licet adhibere hoc judicium privatæ diſcretionis in aliquibus doctrinis admittendis, aliquibus rejiciendis, prout ſibi videantur ad normam verbi divini vel congruere, vel non congruere. Sed Deus voluit populum ſacerdotum judicio ſimpliciter acquieſcere, & illorum doctrinam ſine dubitatione admittere: ergò, &c. *Super cathedram Moſis ſedent Scribæ & Phariſæi, quæcunque dixerint vobis ſervate & facite, &c.* Vide Staplectonum apud Whitakerum, de author. Script. lib. 3. pag. 454.

Bellarm. de verbi Dei interpret. lib. 3. cap. 4. & 5.

Præcepit

Præcepit Deus ſacerdotes eſſe audiendos, ſed in illis tantùm in quibus contra veritatem ab ipſo Deo revelatam nihil docuerunt. Semper igitur obedientia quæ debetur præpoſitis, cum hac exceptione præſtanda eſt, *Si illi Deo ſeſe non opponant.* Pio itaque animo hæc conſideratio ſemper adeſſe debet, utrùm id quod præcipitur ſit divino mandato contrarium, nécne: atque, nè ex hac parte fallantur, adhibendum eſt illud judicium diſcretionis quod nos tantopere urgemus. Nam quæro ab adverſariis, an populus Judaicus tenebatur credere Scribis & Phariſæis, Chriſtum impoſtorem affirmantibus, ejúſque doctrinam evangelicam condemnantibus? Pudebit (ſat ſcio) hoc afferere, ergò illud, *Quæcunque dixerint vobis ſervate & facite*, commodâ interpretatione limitandum eſt. Hoc Bellarminus ab Auguſtino diſcere potuit, *Sedendo* (inquit) *ſuper cathedram Moſis legem Dei docent, ergò per illos Deus docet: ſua verò illi ſi velint docere, nolite audire, nolite facere.* Potuit etiam ab Aquinate, qui tractans hanc quæſtiunculam, *Utrùm ſubditi teneantur ſuis ſuperioribus in omnibus obedire*, duas exceptiones haſce apponit: una eſt, *Non tenetur ſubditus obedire ſuperiori ſuo contra præceptum majoris poteſtatis*: altera, *Non tenetur obedire ſi ei aliquid præcipiat in quo ei non ſubdatur.* Si hæ legitimæ ſunt exceptiones, tum ſemper licebit ſubdito diſpicere, & apud conſcientiam ſuam ponderare, utrùm quod prælatus jubet eum ſive *credere*, ſive *facere*, ſit contra mandatum divinæ poteſtatis, nécne, utrùm in eo excedat limites poteſtatis ſuæ, nécne. Sive enim credere aliquid jubeat *contra* verbum, nemo tenetur parere, quia hoc eſt contra præceptum majoris poteſtatis, ſcilicet divinæ: ſive jubeat aliquid credere *præter* verbum, non debetur illi obedientia, quia non habet dominium in fidem ſubditorum: nam fidem revelatam prædicare, eſt miniſtrorum, fidem condere, ſolius Dei. Atque de hoc argumento ſatis.

Sol.

Tract. 46. in Joan.

2.2. quæſt. 104. artic. 5.

5.

Fides Chriſtianorum non debet eſſe conjecturalis, ſed certa & ſolida: ſed quando Chriſtiani utuntur judicio proprii ſpiritus in admittendis vel rejiciendis doctrinis, fides illorum ſit conjecturalis. Nam judicium privati ſpiritus ſæpe fallit, judicium verò eccleſiæ divinum eſt, quia profertur aſſiſtente Spiritu ſancto.

Arg. 6.

Agnoſco fidem veram & theologicam non eſſe conjecturalem, ſed certam, cui falſum ſubeſſe nullo modo poteſt: in hoc igitur optimè convenit nobis cum Bellarmino. Quod verò adjungit, *Fidem illorum eſſe ſolummodo conjecturalem, qui nituntur judicio proprii ſpiritus*, ambiguè & doloſè poſitum eſt. Non enim hæc noſtra defenſio eſt, *Debere ſingulos niti judicio proprii ſpiritus*, ſed *debere niti judicio proprii intellectus.* Is nititur proprii ſpiritus judicio, qui illud ſentit de rebus divinis, quod ratio humana illi dictavit, ſed is etiam utitur judicio proprii intellectus, qui illud ſentit de rebus divinis, quod ſpiritus per verbum menti ejus perſuaſit. In eo

Sol.

6.

autem turpiſſimè labitur Jeſuita, quòd judicium ſpiritus privati, & ſpiritus divini, ex *multitudine* potiùs æſtimat, quàm ex *origine*. Nam quod *concilia* ſtatuunt, id ille vocat judicium ſpiritus divini; quod *unus* ſentit, id appellat judicium ſpiritus privati. At ſæpe è contrà poteſt evenire, ut judicium multorum, ſi *originem* ſpectes, fluat à ſpiritu privato, judicium verò unius à ſpiritu divino. Sic patres qui in concilio Nicæno putabant conjugalem conſuetudinem ſacerdotibus denegandam, ſequebantur judicium privati ſpiritus: unus Paphnutius, qui defendebat, torum immaculatum, etiam in ſacerdotibus, honorabilem, ſequebatur judicium ſpiritus divini. Si quis igitur doctrinam aliquam amplectatur exinde tantùm, quòd privato ſuo ſpiritui arrideat, fatemur hunc non eſſe actum ſolidæ fidei, ſed meræ opinionis. Illud etiam addimus, Si quis alicui doctrinæ fidem adhibeat, ſolummodo quia ità docent & jubent prælati, non eſſe actum fidei theologicæ, ſed credulitatis humanæ: ſed ſi quis credat aliquid per & propter internum dictamen ſpiritus divini, mentem ejus ac judicium per verbum illuminantis & informantis, is ſolus credit utì oportuit, vero ſcilicet actu fidei theologicæ & infuſæ. Spiritus enim Dei per miniſterium verbi in privatis hominibus non extinguit privatum & proprium illorum judicium, ſed dirigit & informat. Semper igitur in fidei dogmatibus recipiendis adhibendum judicium propriæ mentis: quod vanum eſt aut conjecturale, quoties oritur ex ſolo dictamine *rationis humanæ*; verum autem & ſolidum, quoties oritur ex lumine *Spiritus, verbiq; divini*.

Arg. 7. Bellarm. de interpret. verbi Dei, lib. 3. cap. 9

Si in republica interpretatio legum non permittatur judicio privato uniuſcujuſque, tum multò minùs in eccleſia interpretatio Scripturarum relinquenda eſt judicio ſingulorum; quia omnes non habent illud ſupernaturale lumen quod eſt neceſſarium ad intelligendam Scripturam.

Sol.

Quemadmodum in republica non facimus privatos homines publicos legis interpretes, ſed illos tantùm qui ad hoc officium ſunt a ſupremo principe vocati & ordinati: ſic in eccleſia, ad interpretationem publicam Scripturarum, non admittimus privatos, ſed illos tantùm quos Deus per legitimam vocationem huic officio admovit. Veruntamen ut in ipſa republica privatorum eſt adhibere judicium diſcretionis in recipiendis ſubordinatorum judicum interpretationibus, quando actum aliquem ſuum concernunt: ità in eccleſia incumbit privatis, ut utantur judicio diſcretionis ad probanda prælatorum decreta, quoties illis imponunt aliquid credendum aut agendum, de quo ſinguli tenentur rationem reddere ad tribunal Dei, recténe an ſecùs crediderint egerintve. Denique, utcunque privatus unuſquiſque non habeat illud donum interpretationis, quod eum habi-

lem

lem reddat ad fungendum publici interpretis munere in eccleſia: fideles tamen omnes habent illud lumen judicii à Spiritu infuſum, quod illos ſufficientes reddat ad judicandum in privato conſcientiæ ſuæ foro, quid verum, quid falſum, quid pabulum, quid venenum, in omnibus ad ſalutem illorum neceſſariis. Atque hoc ſenſu ſcripſit Joannes 1. epiſt. cap. 2. ver. 27. *Unctio vos docet de omnibus.* Adhibendum itaque eſt illud judicium, quod ipſa unctio mentibus ſingulorum fidelium inſpiravit.

Plurimi Chriſtiani ſunt adeò rudes & imperiti, ut ipſimet fateantur, ſe nullo modo poſſe judicare de quæſtionibus fidei; & tamen etiam illi ſalvari poſſunt. Ad corroborandum hoc argumentum licet ex Gregorio de Valentia & illud adjicere, Deum non requirere ab indoctis, ut ad fidei cognitionem perveniant judicando ex *ratione doctrinæ*, quid verum, quid falſum ſit; ſed ex *authoritate docentium* pendendo, ut, quorum authoritas conſideratis omnibus major, & fide dignior eſt, illorum ſententiam ſine omni dubitatione aut examine amplectantur. Deus enim non obligavit imperitos & indoctos, ut, quò fidem incorruptam tenerent, in ſtudium theologiæ incumbant. Hoc itaque judicium diſcretionis, quod nos adhibendum dicimus in doctrinis probandis & recipiendis, non eſt hominibus privatis, præſertim indoctis, neceſſarium.

Non quæritur quid rudes & inertes Chriſtiani facere poſſint, ſed quid pii & fideles facere debeant. De quæſtionibus autem & controverſiis, quæ circa fidem exortæ ſunt, omnibus & ſingulis non neceſſe eſt ut judicent, imò nè ut audiant quidem aut cogitent ſinguli Chriſtiani: ſed de dogmatibus neceſſariis, ſine quibus non eſt ſalus, neceſſe eſt ut omnes ſalvandi audiant, cogitent, judicéntque. Nam ille luminis & judicii expers aſſenſus, quando laicus quilibet dicit ſe credere quod credit eccleſia, atque interim omnino neſcit illa dogmata quæ profitetur ſe credere, fidei ſalutiferæ naturam, rationémque nullo modo aſſequi poteſt. Atque hîc obſervatione dignum eſt, quàm impiè populo Chriſtiano illudant prælati pontificii: Primùm, eripiunt illis privatum uſum Scripturarum; dein, publicum reddunt prorſùs inutilem, dum ad linguam Latinam adſtringunt: cùm hâc ſuâ nequitiâ illos rudes ac cæcos in fidei doctrina effecerint, ab hac cæcitate argumentantur cum Bellarmino; *Vos rudes eſtis & imperiti, nullo modo poteſtis judicare de quæſtionibus fidei; ergò ſi ſalvi eſſe velitis, nihil jam reliquum eſt, niſi ut cæcâ obedientiâ veſtro judicio ſubſcribatis.* Sed miſſo Bellarmino, ad Gregorium accedamus. Is fingit hominem imperitum, ſed veritatis ſtudioſum, ſecum deliberare, utrùm in fidei dogmatibus, proteſtantibus an papiſtis accedat. Atque hîc dicit eſſe duplicem rationem judicandi: Unam, ſi ipſe apud quos veritas ſit ex ratione doctrinæ

probare

Arg. 8. Bellarm. de verbi Dei interpret. lib. 3. cap. 9. Gregor. de Valent. anal. fid. lib. 6. cap. 13.

Soli

probare ac judicare conetur; atque hanc viam removet, & negat ineundam ab hoc imperito Chriſtiano: aliam, ſi authoritatem docentium inter ſe comparet, atque illis aſſentiatur, quorum authoritatem fide digniorem invenerit; atque hanc viam judicandi laudat, & huic Chriſtiano commendat. Stultiſſimum hoc figmentum, quo valde gloriatur Jeſuita, jam refellamus.

Pſal. 19.7. Iac. 1.5. &c.

Primò igitur dico hanc eſſe virtutem verbi divini, ut imperitis ſapientiam afferat: hic itaque imperitus, quem fingit, ſi incumbat in ſtudium Scripturarum, atque à Deo poſtulet ſapientiam mente piâ & devotâ, fiet peritus. Non itaque neceſſe eſt ut aliorum judicium cæcus approbet, qui per verbi meditationem & Dei invocationem oculatus evadat. Secundò, hic modus judicandi de dogmatibus credendis ex ſola authoritate proponentium, fidem tollit; nam ſic aſſentiri, non eſt actus *fidei theologicæ*, ſed *credulitatis humanæ*: imperitos ſæpe fallit; nam qui authoritate maximè pollent, quandoque in fidei dogmatibus turpiſſimè errant: difficultatem denique judicandi auget; nam de ipſis dogmatibus faciliùs judicatur, quàm de comparatione doctorum aliquid certi ſtatuitur. Exemplo id patefiet: Dubitat indoctus Chriſtianus, utrùm abſque omni examine fidem adhibeat papiſtis imaginum adorationem docentibus, an noſtris illam adorationem pro cultu idololatrico ex verbo condemnantibus: Pro ſua prudentia monet Gregorius ut componat inter ſe doctorum authoritatem, quam æſtimandam dicit ex ingenio, ſtudio, multitudine, antiquitate, integritate vitæ, & miraculis; qui hiſce omnibus præcellunt, illorum ſententiam veram judicet, credátque. Sed quis non rideat ſtultitiam Jeſuitæ, qui putat hominem indoctum poſſe conferre inter ſe ingenia & ſtudia doctorum virorum, poſſe judicare quæ ſententia habeat numeroſiores, antiquiores, & ſanctiores patronos; cùm patroni harum ſententiarum diverſis terrarum locis, diverſíſque ſeculis vixerint, neque de hac collatione aliquid certi ſtatuere poſſit imperitus, niſi orbem terrarum priùs obambulet, aut monumenta hiſtoriarum antiquarum perluſtret? Verè igitur affirmare licet, multò faciliorem & expeditiorem eſſe illam viam judicandi, quæ de dogmatibus fidei ſtatuit ex ipſa regula fidei, quàm hæc quæ pendet tota ex comparatione doctorum. Nam quivis indoctus audire poteſt quid Scripturæ dicant de cultu imaginum, atque indè judicium ſuum formare, ſpiritu Dei illuminante: ſed quid hiſtoriæ dicant de ſanctitate, de numero, de eruditione ipſorum doctorum, nec facilè cognoſcere poteſt; neque ſi cognoſceret, indè de veritate doctrinæ aliquid certi animo ſuo perſuadere. Poſtremò, quod obtendit Gregorius, *Deum non obligâſſe indoctos ad ſtudium theologiæ*; ſi per theologiam intelligat *ſpinoſas Scholaſticorum altercationes*, facilè concedo; ſi *Scripturarum ſacros libros*, apertè pernego.

pernego. Nam quod de ſua apocalypſi Joannes, id de tota Scriptura dicendum; *Beatus qui legit, & qui audiunt verba prophetiæ hujus, & obſervant ea quæ in eâ ſcripta ſunt.* Atque ipſe Chriſtus ad Scripturas ſcrutandas omnes remittit, qui vitam æternam in illis repoſitam putant. Deus etiam conqueritur hoc ſtudium negligi: Hoſ. 8. 12. *Scripſi illis mirabilia legis meæ, & ſicut res aliena reputata ſunt.* Non debent itaque Chriſtiani hoſpites eſſe & peregrini in ſtudio ſacrarum literarum; ſed verbum Chriſti in illis omnibus habitare debet ἐνοικῶς, ut monet ipſe apoſtolus ad Coloſſenſes. Cap. 1. vers. 3. Joan 5.

Arg. 9. Gregor. de Valent. anti. fid. lib. 6. cap. 13.

Illi fidem debet populus Chriſtianus, cui ſi (re circumſpectè deliberatâ) crediderit, prudenter fecerit: at ſi crediderit doctoribus papiſticis, non adhibitâ ipſius doctrinæ examinatione, prudenter tamen fecerit; quia illi proteſtantibus longè authoritate antecellunt; atque homines indocti prudenter faciunt, quando inducunt animum ſuum, ut credant majori potiùs quàm minori authoritati. Atque hîc confidenter concludit Gregorius, nihil omnino ipſum Deum habiturum quod in illo tremendo tribunali opponat cuivis mercatori, opifici, aut homini illiterato cuicunque, ſi doctrinam papiſticam amplectatur; quia convinci non poteſt quin prudenter crediderit; Deus autem non vult ut contra prudentiæ legem credamus. Non eſt itaque opus judicio diſcretionis & examine doctrinarum, ſed ſufficit credere authoritati potiori.

Sol.

Veriſſimum eſt, Deum poſtulare ut prudenter credamus: ſed prudentiam hanc in eo ſitam eſſe, ut ſine examine aut judicio quis adhæreſcat illorum doctrinæ qui authoritate inter homines præpollere viſi ſunt, ſtultiſſimum & vaniſſimum eſt. Nam aliquando qui apud *nos* poteſtate, eruditione, multitudine, addo etiam, ſanctitatis ſpecie *præfulgent*; apud *Deum* tamen, propter ſuperbiam, hæreſin, & hypocriſin, præ omnibus *ſordent*. Non igitur ſe prudentem oſtendit, qui ex hiſce externis æſtimat veritatem, & fidē ſuam dirigit, ſed qui cum Davide Dei teſtimonia ſcrutatur, & hac in re pro ſuis conſiliariis amplectitur: *Super omnes docentes me intellexi, quia teſtimonia tua meditatio mea.* Nam ut cunq; in rebus humanis prudentiæ ſit, quandoque credere hominibus propter nudam illorum authoritatem: tamen in rebus divinis, Deus hoc modo ſibi ſoli, & verbo ſuo credi voluit, aliis autem, quatenus ex verbo doctrinis ſuis fidē conciliare poſſunt. Sed ſi concedamus, authoritati majori fidē ab indoctis ſine omni examine adhibendā, adhuc non conſtat papiſtarum authoritatem meritò majorē cenſeri quàm proteſtantium. Hoc enim ſatis arroganter ſuis papicolis vendicat, ſed valde tenuiter, ſolâ nimirum affirmatione ſuâ confirmat, cui negationem noſtram opponimus. Poſtremò, aſſero Deum habiturum quod in illo tremendo die opponat cuivis indocto Pſal. 119. 98.

mercatori, aut opifici, qui fidem adſtrinxerit ſuam papiſticis iſtis ſeductoribus quantâvis authoritate pollentibus. Dicat enim iſtis omnibus, Ego dedi vobis Scripturas quæ nec fallere, nec falli potuerunt; juſſi hiſce aures præbere, animúmque attendere: promiſi Spiritus mei ductum petentibus, & in lege mea meditantibus: dedi denique omnibus ſeculis, qui veritatem ex verbo docuerunt, errores oppugnárunt. Cur normam verbi mei non conſuluiſtis? Cur fallacibus hominibus clauſis oculis fidem veſtram mancipáſtis? Cur illam interminationem, *Si cæcus cæcum duxerit, ambo in foveam cadent*, neglexiſtis? Ego fidem veſtram, non titulis aut humanis authoritatibus, ſed teſtimoniis & legibus divinis adſtrinxi. Deum hæc objicientem Gregorius allatâ hâc ſuâ prudenti doctorum inter ſe collatione nunquam refutabit.

Arg. 10. Qui non habent ſpiritum ſeu donum interpretandi Scripturas, & verum ſenſum ex illis eruendi, non debent judicare, quis ſit verus illarum ſenſus, ſed prælatorum judicio acquieſcere: At privati Chriſtiani non habent hunc ſpiritum interpretationis: non enim omnibus fidelibus promiſcuè, ſed *uni datur per Spiritum ſermo ſapientiæ, alii ſermo ſcientiæ, alii interpretatio ſermonum, &c.* 1. Cor. 12, 9.

Sol. Reſpondeo, per *donum interpretationis* intelligi illud lumen quod datur quibuſdam, quo idonei redduntur ad publicam explicationem Scripturarum, atque ad inſtructionem aliorum: atque de hoc loquitur apoſtolus, quod fatemur non dari omnibus fidelibus. Sed eſt aliud lumen inferius, quo mens illuſtratur ad privatam Scripturarum intelligentiam, quatenus ſufficit ad ſalutem: atque hoc donum, ſive *interpretationis* ſive *intellectionis* rectiùs vocetur, omnibus ſalvandis competere defendimus. Non itaque volumus ut ſinguli fideles de ſenſu Scripturarum, aut fidei dogmatibus judicent per *modum doctorum*, aliis præſcribendo, ſed per *modum auditorum fidelium*, ſuis conſcientiis privatim ſatisfaciendo. Atque hoc judicium privatæ diſcretionis omnibus piis ipſe Chriſtus promiſit, Joan. 7. 17. *Si quis voluerit voluntatem ejus facere qui miſit me, cognoſcet de doctrina mea, utrùm ex Deo ſit.* Hæc cognitio non implicitam illam aſſenſionem & cæcam obedientiam papiſtarum, ſed ſupernaturalem mentis illuminationem & judicii informationem deſignat.

Arg. 11. *Bellarm. de verbi Dei interpret. lib. 3 cap. 5* Spiritus privatorum probandus & judicandus eſt ab aliis; ergò non poteſt eſſe judex doctrinarum: quomodo enim erit judex, cùm de ipſo adhuc judicandum ſit? Multi ſunt qui jactant *Spiritum ſanctum*, qui agitantur *ſpiritu vertiginis*. Privatus igitur ſpiritus *judicari* debet, non *judicem agere*. 1. Joan. 4. 1. *Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus ſi ex Deo ſint: multi enim pſeudoprophetæ, &c.*

Non

Non omnino pugnant inter ſe, ut idem judicet, & ab aliis judicetur. Privati, ſi conentur aliquam doctrinam aliis præſcribere, debent eccleſiæ judicium ſubire; iidem, quando à prælatis aut paſtoribus fidei dogmata propoſita accipiunt, debent in illis admittendis judicium privatæ diſcretionis adhibere. Atque verba apoſtoli ab adverſario allata noſtram cauſam maximè confirmant: nam ille alloquitur non prælatos ſolos, ſed promiſcuè omnes Chriſtianos fratres; atque jubet illos non credere ſpiritui omni, ſed probare ſpiritus. A quocunque itaque afferatur, ipſum genus doctrinæ probandum, examinandum, atque ad Lydium lapidem exigendum eſt, priuſquam illi fidem noſtram adſtringamus. Probatio autem hæc ſine actu judicandi nè intelligi quidem poteſt. Judicium igitur diſcretionis ſemper adhibendum. *Sol.*

Poſtremò, argumentatur Bellarminus à perpetua eccleſiæ praxi. Nam qui non acquieverunt in judicio illorum, qui ſecundum ordinariam ſucceſſionem erant eccleſiarum præpoſiti, ſemper habiti & damnati ſunt pro hæreticis: ergò nunquam licuit cuiquam judicium diſcretionis privatæ publico judicio prælatorum anteponere. *Arg. 12.*

Probamus perpetuam praxin eccleſiæ, quæ judicium publicum miniſteriale, non *privatis*, ſed *prælatis* committit: ſed negamus hoc illorum judicium tollere & perimere judicium illud diſcretionis, quod ſingulis fidelibus vindicamus. Optimè enim inter ſe hæc duo conveniunt, ut præpoſiti habeant poteſtatem publicè judicandi in *foro externo*, & privati retineant libertatem privatim judicandi de dogmatibus propoſitis in *foro interno* mentis ſuæ. Nam de eo, quod mihi agendum aut credendum eſt, neceſſe eſt ut ego judicem; quia (ut antè ex Aquinate oſtendimus) unuſquiſque rationis particeps tenetur actus ſuos examinare ad ſcientiam ſuam. Neque obſtat quòd hæretici habiti ſunt, qui, utentes judicio ſuo, judicio prælatorum acquieſcere noluerunt: nam hoc omnibus commune eſt, qui publicam poteſtatem obtinent, ut illos, qui ſuis decretis reſiſtunt, pro hæreticis habeant; quia ſibi perſuadent, ſe juxta normam veritatis decreviſſe. At quoties illi falluntur in decernendo, quod aliquando accidit, qui decreta illorum repudiant habentur & vocantur ab illis *hæretici*, ſed ſunt interim revera *orthodoxi*. Huc itaque ſumma redit reſponſionis noſtræ, Privatos Chriſtianos qui non acquieſcunt judicio prælatorum, ſed aliter ſentiunt aliter judicant, *haberi hæreticos*, ſed *eſſe orthodoxos*, quoties prælati falluntur, & illi judicio divinitus illuminato nituntur: *haberi* autem & *eſſe hæreticos*, quoties prælati in judicando normam verbi ſequuntur, illi autem privati ſui ſpiritus errorem amplectuntur. Reſiſtere prælatorum decretis facit aliquem *haberi* hæreticum, ſed reſiſtere verbo divino facit

esse hæreticum. Adhibendum ergò judicium discretionis in doctrina prælatorum admittenda, ne, dum *haberi* pro hæreticis vitamus, *esse* hæretici incipiamus. Atque hæc de argumentis adversariorum.

De verbi Dei interpret. lib. 3. cap. 7. & 8.

Ad testimonia pontificum, imperatorum, & patrum, quæ congeruntur à Bellarmino, non opus est ut sigillatim respondeam: probant enim quod nos minimè negamus, nimirum ad episcopos pertinere forensem examinationem, definitionem, ac determinationem controversiarum; ad laicos autem & indoctos non spectare publicum hoc officium inquirendi & judicandi de rebus controversis. Sed nunquam patres affirmârunt, aut episcopos, quibus hoc officium judicandi incumbit, in eodem exercendo non posse errare; aut laicos, abdicato omni discretionis judicio, cæcâ obedientiâ oportere etiam errores horum judicum approbare.

Demus igitur episcopis ac ministris ecclesiarum quod *suum* est, ut penes illos sit publicum munus exponendi Scripturas, atque controversa dogmata explicandi ac definiendi; sed nè illis concedamus quod *divinum* est, ut imperatoriâ & infallibili authoritate in rebus fidei quidvis pro imperio quibusvis credendum imponant. Laicis etiam præcipiamus quod illis *utile* est, nè temerè & superbè rejiciant sana & orthodoxa decreta præpositorum; sed nè illis mandemus quod *planè servile* est, ut nullo judicio adhibito faciant quævis imperata superiorum. Sed adversariis satis responsum est; nostra jam argumenta in medium proferamus.

CAP. XXVII.

Adferuntur argumenta pro judicio discretionis, quod adhibendum tenemus ab omnibus, quibus sua salus curæ est.

ACcepistis qualem fidei obedientiam papistæ à suis subditis extorqueant, nimirum quæ removeat à privatis omnem curam doctrinas probandi, omnem libertatem de iisdem judicandi; eosdémque astringat, ut pro sacrosancta veritate habeant quicquid à prælatis definitum fuerit, quia ipsi sic statuerunt. Digna profectò pontificiis sententia; nam illis, qui lucem evangelicam extinxerunt, id solum reliquum fuit, ut, quò tenebræ minùs displicerent, omni populo oculos eriperent. Nos autem dicimus reliquos Christianos eodem modo illuminandos, & ad

fidei

fidei πληροφοριαν perducendos, quo ipsi prælati ad fidei obsequium pertrahuntur. Nam ut ipsi prælati in credendo non nituntur suâ propriâ authoritate, aut voluntate, non enim admittunt dogmata fidei tantùm quia ipsi sic volunt, sic jubent, sed quia examinata & dijudicata ad normam verbi divini, eidem consentanea inveniuntur & agnoscuntur: sic etiam & alii Christiani omnes credunt doctrinæ prælatorum, non quia ipsi volunt & jubent ut sibi credatur, sed quia & quatenus dogmata ab illis proposita, eidem verbo Dei consentanea esse ostenduntur, & à recipientibus talia judicantur. Ad fidem enim humanis animis ingenerandam, non absoluto imperio, sed verbi organo utuntur ministri evangelici: & in omnibus qui credunt non extorquent jubendo vacuum omni judicio consensum, sed illuminando virtute verbi divini formant in illis judicium oculatum, quod judicium adhibent in recipiendis fidei dogmatibus. Sed ad argumenta accedamus.

Habent Christiani omnes à Deo mandatum, quod impleri non potest sine examine doctrinarum & exercitio propri judicii, ergò voluit Deus, non ut cæcâ fide quidvis acceptarent, sed ut mentis suæ oculos exercerent, & judicium discretionis in fidei dogmatibus admittendis semper adhiberent. Mandatum hoc quod innuimus multis in locis occurrit. Matth. 24. 4. *Videte nè quis vos seducat.* 1. Thessalon. 5. 21. *Omnia probate.* 1. Joan. 4. 1. *Nolite cuivis spiritui credere, sed probate spiritus an ex Deo sint.* Si Christiani tenerentur fidem adhibere doctrinis & definitionibus illorum qui præsunt ecclesiæ, sine omni dubitatione aut examine, tantùm quia ipsi sic statuerunt; manifestum est illos non posse cavere nè seducantur, aut probare doctrinas sibi propositas: cautio enim hæc & probatio, exclusâ actione judicandi, intelligi non possunt, nedum adhiberi. Deus itaque qui fidelibus Christianis mandat, ut caveant deceptiones, ut probent spiritus, eâdem operâ mandavit, ut adhibeant hoc discretionis judicium. Respondet Bellarminus, *agi de doctrina dubia; nam illa sola indiget probatione: doctrina autem legitimorum præpositorum non est dubia, sed apertè bona.* At nos è contrà affirmamus, legitimos ministros (hoc est, qui habent legitimam & ordinariam vocationem externam) proposuisse nonnunquam doctrinas non modò dubias, sed falsas. Scribæ & Pharisæi erant ordinarii ministri; spargebant tamen doctrinas falsas & hæreticas. Arrius, Macedonius, Nestorius, Eutyches, erant doctores legitimè vocati; errores tamen pernicioso docuerunt. Hoc igitur saltem obtinemus, doctrinam ipsorum episcoporum, si sigillatim sumantur, opus habere examine, nec deglutiendam esse absque probatione à fidelibus Christianis. Sed quæ etiam populo injungitur ab episcopis conjunctim, credi non debet absque omni probatione.

Arg. 1.

De verbi Dei interpret. lib. 3. cap. 10.

Nam utcunque in ſe dubia non fuerit, *auditoribus* tamen dubia eſt & incerta, donec ex fundamentis prophetarum aut apoſtolorum ſtabiliatur. Illis autem hoc cognitum & perſuaſum eſſe non poteſt certitudine fidei, niſi cum Bereœenſibus, Scripturis diligenter penſitatis, judicent *an ità ſe habeant.* Sed neque ſemper in ſe expers dubitationis eſt omnis doctrina quæ à conciliis dimanat: nam & errare poſſe, & errâſſe concilia demonſtratum eſt. Valebit igitur etiam ad conciliorum doctrinam examinandam illud Dei mandatum; *Videte nè quis vos ſeducat, Probate ſpiritus.* Secundò, reſpondet Bellarminus, *prædicta mandata non ad omnes, ſed ad doctores ſolos pertinere: ſicut ſi ſcribatur ad aliquam academiam, ut examinet librum, non ille examinandus eſt promiſcuè ab omnibus, ſed tantùm à doctoribus ejus facultatis de qua liber tractat. Ità Deus mandat ut præpoſiti, non ut laici, probent ſpiritus, & doctrinas examinent.* Sed hoc perſpicuè ex ipſo contextu refellitur: nam in illo ad Theſſalonicenſes loco Paulus potiùs *auditores* quàm *doctores* alloquitur; jubet enim eos agnoſcere ſuos *præpoſitos*, & quàm maximè charos ducere: tum iiſdem alia præcepta tradit, inter quæ & hoc recenſetur, *Omnia probate, quod bonum eſt tenete.* Quod autem attinet ad alterum teſtimonium ex Joanne, de probandis ſpiritibus; & illud etiam ad quoſvis fideles, non ad ſolos doctores pertinere, patet ex eo, quòd eos quos alloquitur appellet *puerulos*, παιδία· quæ appellatio multò aptiùs convenit privatis fidelibus, quàm doctoribus aut præpoſitis. Atque de primo noſtro argumento ſatis.

Act. 17. 11.

1. Theſ. 5. 12.

Arg. 2. Si fideles omnes alligentur, non ad perſonas aut titulos prælatorum, ſed ad doctrinam evangelii, & ad vocem ſummi & unici magiſtri Jeſu Chriſti, tum neceſſarium eſt ut auditores non ſolùm ſpectent qualitatem & authoritatem docentium, ſed etiam ut apud ſe perpendant qualitatem doctrinæ, & conformitatem ejuſdem cum doctrina Jeſu Chriſti. At quis hoc facere poterit, ſi illi interdictum ſit nè utatur ſuo judicio in doctrina prælatorum examinanda; atque ſeveriſſimè injunctum, ut talium perſonarum doctrinæ fidem adhibeat, ſive ipſe videat illam eſſe evangelio conſentaneam, ſive non? Si igitur cæcâ fide admittendum eſſet quicquid ordinarii prælati proponunt credendum, fruſtra dixiſſet Chriſtus, Matt. 23. 8. *Unus eſt magiſter veſter; omnes autem vos fratres eſtis.* Nam hi etiam eſſent magiſtri, quibus fides omnium non minùs adſtricta foret quàm ipſi Chriſto. Fruſtra dixiſſet apoſtolus, Gal. 1. 8. *Si nos, aut angelus è cœlo evangelizet vobis præter id quod accepiſtis, anathema ſit.* Nam nemini liceret inquirere utrùm præpoſiti ab evangelii præſcripto diſcederent; ſed quicquid ſtatuunt, pro evangelio & vera doctrina habendum, quia ipſi ſic ſtatuerunt. Quandoquidem igitur ex verbo manifeſtum eſt, nec humanis, nec angelicis titulis, ſed evangelio alliga-

tam

tam esse fidem nostram, semper incumbet piis, ut judicium suum divinitus illuminatum exerceant in dijudicanda ipsa qualitate doctrinæ, nè, dum *evangelium* sitiant, *venenum* hauriant.

Arg. 3. Quod est absolutè impossibile, non cadit sub officio hominum fidelium; sed, absque proprii judicii prævia actione, fide catholicâ assentiri doctrinæ præpositorum, est planè impossibile. Nam ad nudam præscriptionem aut determinationem alterius sine lumine privati judicii *credere* nemo potest, etiamsi cupiat maximè. Potest non contradicere, potest etiam leviter opinari; sed actum *fidei theologicæ* elicere, absque proprii judicii illuminatione, & subsequente ex eadem approbatione, non potest. Verè scripsit Comes Mirandulæ; *Nullus credit aliquid esse verum præcisè, quia vult credere id esse verum: non est enim in potestate hominis facere aliquid apparere suo intellectui verum, quando ipse voluerit.* Impiè itaque ineptiunt papistæ, quando dicunt omnes Christianos sine examine aut exploratione debere credere quod prælati jubent, tantùm quia jubent: intellectus enim non credit quæ supra captum naturæ sunt, nisi illustretur lumine supernaturali; illud autem lumen, discernendi & judicandi secum affert facultatem. Non igitur quia illi sic docent, fideles sic credunt; sed quia ex lumine infuso ità judicant esse credendum; nam divinum lumen divinúmque afflatum, ut Christianæ fidei quis verè assentiatur, adesse oportet. Sed de hoc lumine in quæstione proxima dicendum erit.

Rom. 10. 17.

In 900. concl. & apol. pag. 225. 226.

Picus Mirand. theorem. 2.

Arg. 4. Fides salutifera non est merè acquisita, aut conjecturalis: sed illa quæ acquiescit in præpositorum judicio, tantùm, quia ipsi sic statuerunt, nititur tantummodo credulitate humanâ, & certitudine acquisitâ ac conjecturali. Nam utcunque doctrina proposita certa sit & divina in *se*: tamen quoad *modum apprehensionis* incerta est & conjecturalis in mente illius, qui idcirco credit, quia prælati jusserunt illum credere; nullum interim adhibens actum judicandi de conformitate ejusdem ad certam regulam veritatis. Hoc ab ipsis pontificiis agnoscitur. *Assensus dependens ex approbatione ecclesiæ est acquisitus*, inquit Durandus lib. 3. dist. 25. qu. 3. At fides illa, cui falsum subesse non potest, infusa est, non acquisita, ex communi consensu omnium theologorum. Sic Mirandulanus theorem. 2. duplicem fidem designat, alteram quam acquirimus rationibus humanis, aut authoritate hominum permoti, quæ idcirco appellatur *acquisita*; alteram quæ ex donatione & illuminatione divina obtinetur, & hanc ob causam vocatur *infusa*. Patet igitur illos omnes, qui non habent adhibentque judicium donatum & illuminatum à Deo in assentiendo illis dogmatibus quæ ad fidem spectant, præstare solummodo actum *acquisitæ*, non *infusæ* fidei. Papistæ ergò, qui credunt ex imperio & authoritate prælatorum, non ex judicio suo illuminato &

divinitus

divinitus inſpirato, veram & theologicam fidem non habent.

Arg. 5. Si ex Dei mandato & ordinatione oporteret laicos abſque omni dubitatione aut examine credere quicquid præpoſiti eorum definiunt eſſe credendum, tum Deus illos excuſatos haberet, qui errorem quemvis aut hæreſin crederent, prælatis ità docentibus. Manifeſta ſequela eſt; quia nemini obeſſe debet apud Deum, quòd divinæ ordinationi paruerit. Atque hoc non modò admittitur, ſed etiam urgetur à Jeſuitis in colloquio Ratiſbonenſi: ubi confidenter affirmant, Si prælati in decernendo fallerentur, populum vi regiminis unà errare poſſe, imò debere. At è contrà, ſi ordinarii paſtores populum ſeduxerint, Deus utriſque ſupplicium minitatur. Lucæ 6. *Si cæcus cæcum duxerit, ambo cadent in foveam.* Quando igitur ſpeculatores cæci evadunt, nemini licet impunè eorum erroribus adhæreſcere: Primò, quia ipſe Deus juſſit *cavere*, vetuit *parere* doctoribus erroneis, ſive habeant ordinariam ſucceſſionem in eccleſia, ſive careant. *Nè auſcultate verbis iſtorum prophetarum; viſionem animi ſui eloquuntur, non ex ore Jehovæ*; Jer. 23. 16. Et Chriſtus, qui agnovit Scribas & Phariſæos ſedere in cathedra Moſis, tamen monuit ſuos, ut *à fermento illorum ſolicitè caverent*; Matth. 16. 6. Secundò, quia Deus in hoc caſu proſpexit auditoribus, nè deciperentur erroribus paſtorum ſuorum. Nam ſuos omnes ad legem & teſtimonium remittit, jubétque pro occæcatis habere quoſlibet doctores, qui ab hac regula diſcedunt. Poſtremò, quia Deus Spiritu ſuo piis & veritatem ex animo quærentibus adeſſe ſolet, eóſque deducere in vias ſalutis, quando externi doctores conantur eos præcipitare unà ſecum in foveam perditionis. Hac de re verè & piè ſcripſit Pariſienſis; *Si ſeductor, ſub prætextu veri catholicique doctoris, ſimplici alicui & indocto errorem aliquem impietatis prædicet, Deus cor ejus avertet nè illi credat, niſi hoc vel negligentia ejus, vel alia culpa impediat.* Quandoquidem igitur nec licitum nec tutum eſt, cæcum obſequium prælatis docentibus adhibere; judicium hoc diſcretionis ab omnibus piis adhibendum conſtat.

Arg. 6. Si intellectus humanus creatus ſit ad inquirendam & cognoſcendam veritatem ſalutiferam, tum in vitio ſunt omnes qui (deſidiæ & inertiæ dediti) aliorum opinionibus & placitis adhæreſcunt, nunquam inquirentes, indagantes, aut examinantes apud animos ſuos ad lucernam verbi divini utrùm ea, quæ ab aliis credenda proponuntur, fide digna ſint nécne. At certiſſimum eſt intellectum cujuſlibet hominis Deo debere hanc ſuam operationem indagandi & exquirendi veritatem: nam credere promiſcuè quicquid affirmatur, aut decernitur à prælatis, non opus eſt *virilis intelligentiæ*, ſed *puerilis inſcitiæ*. Infantes deglutiunt quodcunque à nutricibus in os illis ingeritur, ſed viri non devorant quic-

quid

quid apponitur, sed quod illis salubre & sapidum videtur. Quod examen veritatis eò magis requiritur ab omnibus fidelibus, quia, præter naturalem intellectus lucem, habent supernaturalem illuminationem; talentum autem hoc intelligentiæ & lucis infusæ sepelire, atque alieni judicii oculis fidem suam omnino dirigendam committere, & ignavi, & ingrati est. Apostolus ad Ephesios 1. 18. Deum precatur, ut det fidelibus *spiritum sapientiæ & revelationis, in agnitionem ejus: illuminatis* nimirum *cordis illorum oculis, ut scirent quæ sit spes vocationis illorum, &c.* Quorsum quæso hæc omnia? Si implicitâ fide, cæcâ obedientiâ, absq; dubitatione aut examine, alieno judicio in omnibus subscribendum est; quid opus spiritu sapientiæ, aut revelationis? quid illuminatis oculis? Sed qui hæc donat Christianis, expectat procul dubio ut exerceant hæc dona sapientiæ, revelationis, & illuminationis supernæ; hoc est, ut virtute eorundem spiritus probent, errores rejiciant, falsos doctores dijudicent, Christi vocem in veris agnoscant, atque veritati agnitæ adhærescant; uno verbo, ut illuminatum discretionis, & intelligentiæ judicium, in dogmatibus fidei, seu admittendis, seu rejiciendis adhibeant.

Si laici deberent sine dubitatione aut examine ea omnia credere quæ decernuntur à prælatis, sive intelligant illa consona esse Scripturis, sive non intelligant; tum ecclesiastici dominarentur fidei laicorum: at apostolus hoc abominatur & aversatur secundæ ad Corinth. cap. 1. versu ultimo; *Non quòd dominamur fidei vestræ, &c.* Negabunt papistæ se vendicare prælatis suis dominium in fidem Christianorum: agè igitur, quid sibi assumant, ex ipsorum ore audietis; dein an sibi dominium usurpent nécne judicate. Sumatur itaque nobis, Prælatum aliquem pontificium populo edicere, quæ passim apud papistas in hac controversia occurrunt, in hunc modum; *Edico vobis ô laici quotquot estis, debere vos universos sine examine recipere doctrinam ecclesiasticorum, & non dubitare utrùm ità se habeant nécne, quæ vobis proponuntur. Non enim more doctoris, quatenus ratio suadet, sententiam suam proponunt vobis credendam; sed more judicis illam ut necessariò tenendam imponunt. Scitote igitur horum sententiæ sic vobis standum esse, ut in causis politicis statur sententiæ prætoris, aut declarationi principis, non quia rationibus suam sententiam firmant, sed quia ipsi sic statuerunt. Illud etiam cognoscite, nefas esse subditis judicare utrùm decreta præpositorum sint divinæ legi consentanea nécne, quin simpliciter debent iisdem acquiescere, & persuadere sibi, sacerdotes secundum divinam legem omnino pronuntiare. Nolite igitur disputare veráne an falsa sint, quæ à præpositis ecclesiæ sunt determinata; sed pro certo habete, doctrinam illam à Deo esse, quæ à legitimo pastore vobis proponitur. Postremò, & hoc accipite, Vos ità subditos esse regimini prælatorum vestrorum, ut,*

Arg. 7.

Bellarm.

Gregor. de Valentia.

Tanner.

ſi illi in aliquo dubio definiendo errarent, vos vi talis regiminis errare ſimul poſſetis, imò deberetis. Hæc edicta ſunt Bellarmini, Valentiæ, Tanneri: hiſce ſuis decretis an dominium tribuant prælatis in fidem cæterorum Chriſtianorum, non jam ulteriùs diſputo, ſed tacitis veſtris cogitationibus dijudicandum relinquo.

Act. 8. Ephel. 4. 14. Ephel. 5. 10. 1. Cor. 14. 20.

In rebus ad fidem & ſalutem pertinentibus non oportet Chriſtianos temerè aut leviter quicquam credere: Sed qui nullo examine, aut exploratione adhibitâ, qui minimè penſitatâ & perſpectâ conformitate ejuſdem ad verbum divinum credit doctrinæ prælatorum, pueriliter, temerè, & leviter credit, nec adhibet illam intelligentiam, curam, & diligentiam quæ à viro cordato in negotio tanti momenti adhiberi debuit: Eſt itaque ad examen redigendum, & ad lucem Scripturarum perſcrutandum, quicquid pro dogmate ſalutifero recipitur. Si enim ab ipſo Deo, & divinitus inſpiratis prophetis, & apoſtolis diſceſſeris, non datur ullus mortalis, aut cœtus mortalium, qui non & fallere, & falli poteſt, in doctrina fidei tradenda. Temerarium igitur & ſtultum eſt, cùm habemus Scripturas quæ fallere non poſſunt, iiſdem neglectis, fidem adſtringere ſolis hominibus, qui & poſſunt decipi, & ſolent decipere. *Omnis creata veritas defectibilis eſt, niſi quatenus per veritatem increatam rectificatur; unde nec homo, nec angelus infallibiliter ducit in veritatem, niſi quatenus in iis loquentis Dei teſtimonium conſideratur.* At niſi ad Dei teſtimonia recurramus, & cum iis illorum doctrinam conferamus, non poſſumus in illis certò & indubitatò Dei loquentis vocem agnoſcere: quia, ut verè Gerſon affirmavit, *Scripturæ continent artem diſcernendi falſos prophetas à veris*, part. 1. de prob. ſpirit. Et addit, *Tanquam nummum adulterinum rejiciendam omnem doctrinam quæ diſcrepat à Scripturis*; de diſtinct. verarum viſionum à falſis. Quandoquidem igitur nemini licet temerè credere, nec falſa pro veris approbare, unicuique incumbit, pro modulo ſcientiæ & illuminationis à Deo ſibi conceſſæ, in privato foro mentis ſuæ hominum quorumvis doctrinas ad ſtateram verbi exigere: atque hoc eſt illud judicium diſcretionis exercere, quod nos etiam in laicis requirimus.

Aquin. queſt. diſput. de fide, art. 8.

CAP.

Cap. XXVIII.

Testimonia veterum afferuntur pro judicio discretionis ab omnibus adhibendo.

QUia solitum est papistis, quicquid ad Romanensem normam non convenit, novitatis & hæreseos insimulare, sententiam nostram antiquorum theologorum calculis semper fuisse comprobatam ostendemus. Confidenter igitur affirmamus, non Lutherum solum, Calvinum, aut Brentium, hoc judicium discretionis fidelibus permisisse; sed Hieronymum, Augustinum, aliósque eximios theologos in eadem opinione constitutos fuisse; quorum testimonia jam apponemus.

Clemens Alexandrinus, stromatum lib. 1. *Veritatis amator Plato veluti à Deo incitatus, dixit, Ego sum ejusmodi, ut nulli alii credam, nisi rationi quæ mihi consideranti optima visa fuerit.* Putabat igitur Clemens in laude ponendum, quoties homines rationis participes in expendendis dogmatibus sibi propositis utuntur ratione, consideratione, & judicio: non autem cæco assensu in sententiam aliorum *pedibus* potiùs quàm *cordibus* eant. Idem stromatum lib. 7. *Majori curâ opus est & providentiâ, ut examinetur quomodo sit exactè & perfectè vivendum, & quænam sit vera pietas, & rectus Dei cultus. - Discernendum est comprehendente contemplatione & principali consideratione verum ab eo quod apparet.* Sed Græca sunt longè efficaciora; Διακριτέον τῇ καταληπτικῇ θεωρίᾳ καὶ τῷ κυριωτάτῳ λογισμῷ τὸ ἀληθὲς ἀπὸ τοῦ φαινομένου. Et paulò pòst; *Non absolutè enuntiantibus hominibus fidem habemus, quibus licet contrarium enuntiare. Non satis est hisce, absolutè dicere quod sibi visum est; sed oportet probare quod dictum est: nec expectamus testimonium quod datur ab hominibus, sed voce Domini probamus quod quæritur, &c.* Ex hisce testimoniis Clementis tam perspicuis, tam enucleatis, tria colligimus. Primum, fidem non concipi ab hominibus, quando per inertem, implicitum, & cæcum assensum, quidvis sine examine admittunt & approbant: sed quando per θεωρίαν, λογισμὸν, & discretionem, quærunt, & cribrant veritatem doctrinæ propositæ. Secundum, homines errori obnoxios non posse suis doctrinis fidei obsequium vendicare ex eo quòd nudè asserantur & præscribantur, nisi insuper probentur & confirmentur. Ultimum, nullam probationem ad fidem theologicam generandam esse idoneam, præter eam quæ voce Domini, hoc est, sacrarum Scripturarũ testimonio nitatur. Ex quibus omnibus manifestè sequitur, ex sententia Clementis, In doctrinis quorumvis mortalium admittendis adhibendum esse examen & judicium discretionis, ut possimus tanquam probi argentarii adulterinam à legitima doctrina discernere.

Test. 1.

1.

2.

3.

Teſt. 2. Lib. 5. cap. 12. Apud Euſebium, inter errores Apellis hæretici numeratur, quòd dixerit, *non eſſe inquirendum in doctrinam, ſed quemque ut credidit manere debere*; Μὴ δεῖν ὅλως ἐξετάζειν τὸν λόγον. Putabant igitur catholici doctrinas ſine examine minimè approbandas eſſe, ſed licere populo Chriſtiano ἐξετάζειν, id eſt, accuratè expendere & examinare quod ſibi credendum proponitur à doctoribus ſuis.

Teſt. 3. Tertullianus in libro de anima ait, *nihil à Chriſtianis recipiendum, quod non conſpiret germanæ, & ipſo jam ævo pronatæ propheticæ paraturæ.* Qui requirit conſpirationem cum doctrina prophetica in omni dogmate recipiendo, is proculdubio permittit recipientibus hoc examen, nunquid dogmata ab aliis propoſita conſpirent cum prophetis nécne.

Teſt. 4. Lactantius, divinarum inſtitutionum lib. 2. cap. 8. *Oportet in ea re maximè, in qua vitæ ratio verſatur, ſibi quemque confidere, ſuóque judicio ac propriis ſenſibus niti ad inveſtigandam & perpendendam veritatem, quàm credentem alienis erroribus decipi, tanquam ipſum rationis expertem. Quare cùm ſapere, id eſt, veritatem quærere, omnibus ſit innatum, ſapientiam ſibi adimunt, qui ſine ullo judicio inventa majorum probant, & ab aliis pecudum more ducuntur.* Hic itaque velim obſervetis, 1. Papiſtas in religione recipienda (de inferioribus & laicis præcipuè loquor) ethnicorum, imò pecudum more duci. 2. Ex mente Lactantii, in ſalutis, & vitæ æternæ negotio, oportere quemque laborem ſubire inveſtigandæ & perpendendæ veritatis. 3. Hac in re, non alienis tantummodo oculis, ſed ſuis utendum; non alieno judicio fidem noſtram committendam, ſed proprio ac ſuo confirmandam ac corroborandam eſſe. A ſingulis igitur, in doctrina ſalutis admittenda, uſus propriæ rationis, propriíque judicii requiritur: non ut ſecundum rationem naturalem de rebus divinis judicemus ſine prævio lumine verbi & Spiritus illuſtratione, ſed ut rationis illuminatæ, & per ſacram Scripturam gubernatæ, actum & praxin adhibeamus ad conſiderandum (ſecundum normas bonæ & neceſſariæ conſequentiæ, rationali creaturæ impreſſas) quid ſacro verbo conſentaneum, quid diſſentaneum ſit in qualibet doctrina ab hominibus quibuſcunque nobis propoſita. Atque propter hunc uſum rationis, judiciíque noſtri, Deus præcipuè normas, ſive κριτήρια diſcernendi verum à falſo, conſequens ab inconſequente, omnibus inſevit rationalibus creaturis. Ab omnibus igitur adhibendum hoc examen rationis, & judicium diſcretionis.

Teſt. 5. Cyprianus ad Pompeium contra epiſtolam Stephani, *In compendio eſt apud religioſas mentes & ſimplices, & errorem deponere, & invenire atque eruere veritatem: nam ſi ad divinæ traditionis caput & originem revertamur, ceſſat error humanus.* Cur in rebus controverſis non alligat religioſas & ſimplices mentes ad decreta præ-

positorum suorum absque ullo examine approbanda? Cur revocat omnes ad divinæ traditionis originem, hoc est, ad Scripturas? Cur jubet eruere veritatem, si cæca credulitas sufficeret?

Hieronymus, in procemio in epistolam ad Galatas, de Marcella sic scribit; *Cùm Romæ essem, nunquam tam festina me vidit, ut non de Scripturis aliquid interrogaret. Neque verò more Pythagorico quicquid responderem rectum putabat: nec sine ratione præjudicata apud eam authoritas valebat; sed examinabat omnia, & sagaci mente universa pensabat, ut me sentirem non tam discipulam habere, quàm judicem.* Si mulieculæ licuit tanti doctoris responsa examinare, & adhibitâ proprii judicii luce dispicere nunquid rata & sana essent necne; cur non cæteris Christianis licebit, quorumvis decreta, non Pythagorico more, quia ipsi sic statuunt, admittere, sed ponderare, & pensiculatè apud mentem suam, adhibitâ verbi divini staterâ, trutinare? Nam utcunque in prælatis major sit potestas, quàm in aliis privatis doctoribus; tamen neque in horum, neque in illorum doctrina reperitur absoluta infallibilitas. Test. 6.

Hilarius de synodis adversus Arrianos, *Si contraria invicem senserint concilia, debemus quasi judices probare meliora.* Qui concessit privatis hoc discretionis judicium in expendendis conciliorum decretis, brutam illam & cæcam obedientiam Christianorum procul dubio non approbâsset. Test. 7.

Augustinus in epist. 19. quæ est ad Hieronymum, *Ego solis eis Scripturarum libris, qui jam canonici appellantur, didici hunc honorem timorémque deferre, ut nullum eorum authorem scribendo aliquid errâsse firmissimè credam. Alios autem ità lego, quantâlibet sanctitate doctrinâque præpolleant, ut non ideo verum putem, quia ipsi ità senserunt, sed quia mihi, vel per illos authores canonicos, vel probabili ratione, quòd à vero non abhorreat persuadere potuerunt.* Perpendite quàm Augustinus ex diametro adversetur Bellarmino. Augustinus solis libris canonicis hunc honorem defert, ut credat nullum eorum authorem in scribendo aliquid errâsse: Bellarminus scriptis conciliorum decretis eundem honorem defert. Augustinus, si à scriptoribus canonicis discesseris, nullis mortalibus hanc prærogativam tribuit, ut illis necessariò credatur, quia illi sic statuerunt: Bellarminus apertè docet, patribus in concilio decernentibus credendum esse, quia illi sic statuerunt. Postremò, Augustinus in causis fidei humana placita non aliter admittenda docet, quàm quatenus homines, vel ex Scripturis, vel ex rationibus, veritatem sententiæ suæ possunt aliis persuadere: at Bellarminus non patitur Christianos præpositorum dogmata vel ad Scripturæ vel ad rationis normam exigere, sed vult illa omnia absq; examine aut judicio ab omnibus probari. Sed nos fidem potiùs adhibemus Augustino, qui permittit hominibus, quorumvis doctrinam Test. 8.

(a) Aug. & diametro Bellarmino adversatur

ctrinam ad lucem verbi examinare, quàm Jeſuitis, qui omnia præpoſitorum decreta abſque examine clamant ſuſcipienda. *Mihi imputabo, ſi à Chriſti grege per verba hominum ſeduci atque aberrare voluero, cùm me præſertim admonuerit, dicens, Oves meæ vocem meam audiunt, & ſequuntur me. Nemo mihi dicat, O quid dixit Donatus, aut quid dixit Parmenianus, aut Pontius, aut quilibet illorum? Quia nec catholicis epiſcopis conſentiendum eſt, ſicubi fortè fallantur, ut contra canonicas Dei Scripturas aliquid ſentiant.* Auguſt. de unit. eccleſ. cap. 10. Putabat igitur Auguſtinus neminem excuſatum iri, ſi ſeducatur per verba hominum; quia vocem ipſius Chriſti in ſacris Scripturis audire debuit: putabat etiam catholicos epiſcopos eſſe errori obnoxios; atque idcirco omnes omnium doctrinas ad lapidem Lydium Scripturarum probandas remittit. Qui hoc facit, ille proculdubio diſcretionis judicium Chriſtianis concedit, imò conſulit.

Teſt. 9. Chryſoſtomus, hom. 49. in 24. Matth. *Cùm videritis hæreſin impiam, quæ eſt exercitus Antichriſti, ſtantem in locis ſanctis eccleſiæ; in illo tempore, qui in Judæa ſunt, fugiant ad montes: id eſt, qui ſunt in Chriſtianitate, conferant ſe ad Scripturas. Sed quare jubet omnes Chriſtianos conferre ſe ad Scripturas? Quia in tempore hoc, ex quo obtinuit hæreſis illas eccleſias, nulla probatio poteſt eſſe veræ Chriſtianitatis, neque refugium poteſt eſſe Chriſtianorum aliud, volentium cognoſcere veritatem fidei, niſi Scripturæ divinæ. Antea enim multis modis oſtendebatur, quæ eſſet eccleſia Chriſti, & quæ gentilitas: nunc autem nullo modo cognoſcitur volentibus cognoſcere quæ ſit vera eccleſia Chriſti, niſi tantummodo per Scripturas.* Præclarus locus, atque digniſſimus, qui à vobis per otium inſpiciatur & perpendatur. Nam primò, oſtendit illud jam unicum eſſe refugium Chriſtianis, quod papiſtæ (ad laicos quod attinet) flagitium eſſe ſtatuunt, ſcilicet ut in fidei controverſis dogmatibus ad Scripturas recurrant. Secundò, oſtendit nugatoriam eſſe probationem illam doctrinarum, quam ſolam ſubditis permittunt pontificii; nimirum ut ex qualitate doctorum ſtatuant de veritate doctrinarum. Poſtremò, innuit & poſſe & debere fideles ex Scripturis divinis diſcere quæ ſit vera eccleſia, quæ ſint ſana & orthodoxa dogmata. Cæcus eſt qui non videt doctiſſimum hunc patrem omnes Chriſtianos in negotio fidei & ſalutis ſuæ ad Scripturas remittere, iiſdémque examinandi & dijudicandi dogmata neceſſarium laborem imponere. Judicium igitur diſcretionis nulli Chriſtiano denegandum.

Teſt. 10. Euſebius papa apud Gratianum, *Oves paſtorem ſuum reprehendere non poſſunt, niſi à fide exorbitaverit.* Caus. 2. qu. 7. Ipſe papa igitur ovibus permiſit judicium hoc privatæ diſcretionis, quo uti poſſunt in diſcernendo nunquid paſtores exorbitent à fide nécne. Iſidorus apud eundem Gratianum; *Is qui præeſt, ſi præter voluntatem Dei, vel præter quod in ſacris Scripturis evidenter præcipitur, vel dicit aliquid* Caus. 11. qu. 3.

quid vel imperat, tanquam falſum teſtis Dei, aut ſacrilegus habeatur. Hîc apertè permittitur ſubditis, mandata & dogmata præpoſitorum ad voluntatẽ, verbúmq; Dei revelatum examinare, &, ſi huic contraria inveniãtur, tanquã ſacrilega repudiare. Urbanus papa apud eundem authorem, *Ubi apertè Dominus, vel ejus apoſtoli & eos ſequentes ſancti patres, ſententialiter aliquid definierunt, ibi non novam legem Romanus pontifex dare, ſed potiùs, quod præcatum eſt, oſque ad animam & ſanguinem confirmare debet. Si enim quod docuerunt apoſtoli & prophetæ, deſtruere (quod abſit) niteretur, non ſententiam dare, ſed magis errare convinceretur.* Hoc illud eſt quod nos contendimus, pontificum Romanorum, atque omnium adeò mortalium placita reſpuenda eſſe, quoties propheticæ aut apoſtolicæ doctrinæ adverſantur; ut autem intelligatur, utrùm ſint Scripturis conſona néne, examen aliquod inſtituendum eſſe apud mentes fidelium, atque hoc eſt illud judicium diſcretionis, quod nos adhibendum eſſe urgemus ab illis, qui aut Dei veritatem curant, aut ſalutem ſuam. Qui plura cupit ex patribus teſtimonia, legat quæ ab eodem Gratiano congeruntur, diſtinctione 8. & 9. Jam à patribus ad ſcriptores pontificios accedamus, inter quos, quicunque non profitentur ſe mera mancipia Romani Antichriſti, judicium hoc & examen doctrinarum fidelibus relinquunt.

Caus. 25. qu. 1.

Durandus in præfat. ſua in quatuor libros ſententiarum; *Omnis homo dimittens rationem propter authoritatem humanam, incidit in inſipientiam beſtialem.* Et paulò pòſt; *Nos plus rationi, quàm cuicunque authoritati humanæ conſentientes, nullius puri hominis authoritatem rationi præferimus.* Cùm igitur patres, ſive ſeorſum ſumpti, ſive conjunctim in conciliis congregati, nihil aliud ſunt quàm puri homines, nec illorum authoritas alia quàm purè humana, horum authoritati ità fidem Chriſtianorum ſubjugare, ut illis nec luce rationis, nec Scripturarum uti liceat in horum decretis probandis, nil aliud eſt quàm illos ad inſipientiam & ſervitutem beſtialem detrudere.

Teſt. 11.

Pariſienſis de legibus cap. 21. *Sicut debitor eſt voluntas ſuæ operationis in bonis volendis, ſic intellectus ſuæ operationis debitor eſt in veris credendis, ſeu cognoſcendis: quare nec error, nec ignorantia excuſat unquam à peditione.* Si intellectus humanus debet Deo operationem ſuam ad cognoſcendum & credendum verum, tum qui patiuntur proprium ſuum intellectum, judiciúmque otiari, atque ad veritatem cognoſcendam nihil aliud adhibent præter inertem & cæcam credulitatem, ex aliorum authoritate ſuſpenſam, non ſolvunt Deo quod debent, nè conantur quidem; &, ſi decipiantur, non erunt excuſatiſſimi coram Deo, ut Tannerus nugatur, ſed damnatiſſimi.

Teſt. 12.

Colloq. Ratisb. ſeſſ 9.

Gerſon de conſolatione theologiæ lib. 4. proſâ 4. *Monendi*

Teſt. 13.

ſunt

ſunt homines *ab ingreſſu ſtudii, ut exerceant intellectum, rationémque conſulant, ex quibus principiis, vel moralibus vel theologicis, originentur prælatorum conſtitutiones. Ità enim fiet, ut colluſtrentur lumine primorum principiorum; quòd ſi vel nolunt, vel nequeunt, credant illuſtratis.*

1. Obſervandum ex hiſce verbis, Primò, optimum & tutiſſimum eſſe, ut in recipiendis decretis prælatorum quis exerceat rationem & judicium ſuum in conſiderando ex quibus principiis deducantur. 2. Secundò, qui hoc non faciunt, minimè colluſtrari lumine primorum principiorum. 3. Poſtremò, implicitam illam fidem & cæcam credulitatem relinqui tantummodo hominibus, aut deplorati ingenii, aut inertiæ belluinæ, hoc eſt, illis qui vel nequeunt, vel nolunt proprium intellectum exercere. Atque, ut tales reddantur omnes Chriſtiani, optant & enixè laborant prælati pontificii. Idem parte 1. de examinatione doctrinarum, conſid. 5. *Examinator doctrinarum per modum doctrinæ, eſt quilibet in ſacris literis ſufficienter eruditus.* Jam verò conſtat quemlibet Chriſtianum in verbo Dei & ſufficienter & abundanter eruditum eſſe Coloſſ. 3. 16. oportere. Omnes igitur ad examinationem & probationem doctrinarum incitantur.

Teſt. 14. De fide & ordine cred. theorem. 20.

Picus Mirandulanus ait, *In controverſiis fidei opinioni ei adhærendum eſſe, quæ & evangelio magis conſona eſt, & fortiori ratione munita. Rationem autem intelligo non eam tantùm quæ naturali lumine duntaxat prædita eſt, ſed eam potiſſimùm quæ Chriſti fidei ſuſceptæ pio & frequenti obſequio famulatur.* Idem theorem. 22. *Si dubitatio oriretur, quænam partium diſſidentium evangelicâ veritate niteretur magis, præcipitanda nullo pacto ſententia foret. Quamobrem librato judicio veritas quæ fidelium mentibus ſe ingerat expectanda eſt, & in eo quod intercedit tempore orandus eſt Deus pro impetranda diſcretione ſpirituum, & ſacræ literæ conſulendæ ſunt.* Habemus hìc optimam viam probandi doctrinas in quæſtionibus controverſis. Nam primò, monet perpendendum eſſe in dogmatibus controverſis, quodnam ſit magis conſonum verbo divino. At hæc collatio opinionum examinis & judicii actum clarè ſupponit. Secundò, expreſsè dicit utendum librato judicio, & pro veritate amplectendum, non quod ab aliis pro imperio decernitur, ſed quod fidelium mentibus deſuper inſpiratur. Hoc etiam cæcam illam credulitatem, quam à laicis expoſcunt prælati, planè evertit. Denique, Deum ſuppliciter invocandum monet pro impetranda diſcretione ſpirituum, quod lumen non per enthuſiaſmum anabaptiſticum, ſed per ſacrarum literarum auditionem, lectionem, meditationem, & ſtudium obtinetur. Hoc occurrit calumniæ papiſtarum, qui privatorum judicium privati ſpiritus delirium eſſe clamitant; cùm certum ſit, quemlibet fidelium, qui pro hac illuminatione ſupernaturali piè & perſeveranter oraverit, illam impetrare, quatenus ſufficit ad illum dirigendum in neceſſariis ad ſalutem.

Sed

Sed de hoc lumine in ſequenti quæſtione copioſiùs diſſeremus.

Ludovicus Vives de veritate fidei libro 3. pag. 456. 457. *Teſt. 15.* *Attentio & inquiſitio ad inveniendam veritatem valet, mendacium verò in ſegnitie ac negligentia ſubrepit. Si de re quapiam non inquiras nec ſcruteris, facilè ſubeat deceptio; ſin ſpeculeris, ac rationes cauſaſque inquiras ac conferas, veritas ſeſe proferet. Tutiſſimum mentiendi genus eſt, nolle rationem eorum quæ dicas reddere, & veritatem dictorum ad Deum referre, &c.* Hæc à doctiſſimo viro afferuntur in Mahumetem, qui prohibet ſibi ſubditos inquirere in religionem ab ipſo confictam: ſed pari jure torqueri poſſunt in papiſtas, qui ſua dogmata vetant examinari, & jubent, quaſi clauſis oculis ab omnibus recipi; affirmantes ſe omnia ex aſſiſtentia Spiritus ſancti decernere. Sed inquirendum eſſe in humanas doctrinas pii & fideles ſemper ſtatuerunt, nè impiis impoſtoribus Spiritus ſancti afflatum mentientibus prædæ fiant.

Cornelius Agrippa de vanitate ſcientiarum; *Ad ipſum verbum Dei oportet nos omnes ſcientiarum diſciplinas, & opiniones, tanquam ad Lydium lapidem examinare, atque in omnibus eò, ceu ad ſolidiſſimam petram confugere, atque ex eo ſolo de omnibus opinionibus & commentis judicare. Quodcunque enim ab eo authoritatem non habet, eâdem facilitate contemnitur, quâ probatur.* Hoc igitur examen & judicium diſcretionis, quod nos adhibendum dicimus, non modò licitum ſtatuit, ſed debitum & neceſſarium. *Teſt. 16.* *Cap. 100. de verbo Dei.*

Poſtremò Gretſerus in quodam reſponſo ſuo ad theſes Hunnii, coactus tam clarâ luce veritatis, manus dat, & judicium hoc diſcretionis, quod tam ſuperbè exploſerunt Bellarminus, Valentia, aliique Jeſuitæ, planiſſimè concedit. Nam in illo ſcripto ſuo tribuit Chriſtianis poteſtatem *judicandi de quæſtionibus fidei*, ſed non *ex officio*, nec *infallibiliter*. Quaſi nos judicium infallibile privatis tribuamus, qui ipſis præpoſitis tale judicium denegamus. Tam privatorum quàm præpoſitorum judicium fallibile eſt, quando privati ſui ſpiritus dictamen ſequuntur; infallibile, quando divino Spiritu illuſtrati regulam verbi ſequuntur. Quod autem negat *ex officio* judicare Chriſtianos; ſi per *officium* intelligat authoritatem publicam, ad alios dirigendos ſpectantem, fatemur; ſi autem privati officii rationem, ad propriam cujuſque conſcientiam pertinentem, tum *ex officio* unuſquiſque judicat de illis quibus aſſenſum fidei ſuæ præbet. Sed idem Gretſerus eodem in loco concedit ſubditis *privatum, prudens, & rectum judicium*. Cur ergò contendunt nobiſcum Jeſuitæ, quibus nunquam in mentem venit, *publicum, imprudens*, aut *curvum judicium* Chriſtianis permittere? Concedant quod largitur Gretſerus, nihil ultrà poſtulabimus. Atque hîc primæ quæſtionis finis eſto. *Teſt. 17.* *Apud Baſilium de Varna in not. anal. ad colloq. Ratisb. not. 78.*

Cap. XXIX.

De ſecundæ quæſtionis ſtatu.

Accepiſtis noſtram de probatione doctrinarum ſententiam, tum rationibus, tum antiquorum ſuffragiis confirmatam. Quandoquidem igitur conſtat, laicos fideles habere mandatum & jus examinandi quævis dogmata ab hominibus propoſita, non cum authoritate publica, ſed cum diſcretione privata, illud ſe-
Queſt. 2. cundo in loco quæritur, An ſinguli fideles habeant à Deo tale donum illuminationis, quod eos reddat ſufficientes & idoneos ad examinandum, dijudicandum, & diſcernendum, in dogmatibus fidei quid verum, quid falſum, quatenus ſunt unicuique eorum ad ſalutem neceſſariò credenda, vel cavenda.

Nos, qui judicium & examen doctrinarum inſtituendum eſſe dicimus in conſcientiis & animis ſingulorum, illud etiam teneamus eſt neceſſe, Dari omnibus fidelibus, in verbo Dei meditantibus, illam luminis menſuram, per quam poſſunt agnoſcere & diſcernere divinitus revelatam veritatem in omnibus illis ſalutiferis & neceſſariis dogmatibus, quibus fidei veræ & catholicæ actu tenentur aſſentire. Papiſtæ è contrà, quia examen & judicium doctrinarum ſubditis non permittunt, ſatis habent defendere, inclinari voluntatem fidelium ad aſſentiendum illis omnibus quæ decernuntur à prælatis, utcunque ipſi vel non intelligunt omnino, quænam ſint illa dogmata credenda, vel, ſi intelligant, non agnoſcunt tamen per illuminatum propriæ mentis judicium quòd ſunt conſona verbo divino, ſed confidunt ità rem ſe habere, quia ità dicunt & ſtatuunt illi, quibus ſe neceſſarium fidei obſequium debere arbitrantur. In noſtra ſententia conſtituenda obſervandum eſt primò, nos non concedere ſingulis fidelibus divinitus datam facultatem judicandi de omnibus controverſiis, quæ hinc indè agitantur inter theologos; ſed judicandi de omnibus fidei dogmatibus, quæ & quatenus ab ipſis fide catholicâ creduntur ad ſalutem. Sunt enim nonnullæ controverſiæ, de quibus non eſt neceſſe ut ſimplices fideles vel cogitent unquam, multò minùs ut per fidei catholicæ actum, vel in hanc, vel in illam partem aſſenſum ſuum præbeant. Hujuſmodi ſunt quæ non fundantur ſolidè in verbo Dei, ſed in phyſicis, logicis, aut metaphyſicis ſpeculationibus poſitæ ſunt, quales innumeræ verſantur inter theologos ſcholaſticos, quæ ut à doctis modeſtè tractari, ità ab indoctis modeſtè ignorari poſſunt. Secundò, nè illud quidem defendimus, Dari illuminatum judicium piis omnibus ad judicandum de interpretatione quarumvis Scripturarum, aut quorumvis dogmatum, quæ vel

ponuntur expreſsè in Scripturis, vel ex iiſdem bonâ conſequentiâ eliciuntur. Nam Deus non dat unicuique parem menſuram ſapientiæ & fidei; ſed hujus mentem illuminat ad plura cognoſcenda & credenda, illius ad pauciora. Fatemur igitur, ipſos pios & fideles errare aliquando in judicando de ſenſu aliquarum Scripturarum, & de veritate aliquorum dogmatum. Illud igitur affirmamus, (in quo cardo controverſiæ vertitur) Singulos fideles, in omnibus quæ ſunt illis creditu neceſſaria ad ſalutem, aut quæ ſunt actu ab illis percepta per fidē theologicam & catholicam, habere mentem, & judicium à Deo illuminatum; cujus divinæ lucis beneficio, quicquid credunt, non propter authoritatem prælatorum cæco obſequio admittunt, ſed ſuæ mentis oculis verum & divinum eſſe intelligunt. Atque hoc illud donum eſt, cujus virtute pii exercent examen & judicium diſcretionis, quoties divinam vocem in doctoribus catholicis agnoſcunt, approbant, & ſuſcipiunt; commenta autem humana in doctoribus erroneis damnant, rejiciunt, & averſantur. Jam in adverſariorum ſententia primò obſervare licet, illos fidei catholicæ actum illis adſcribere, qui non modò deſtituuntur omni illuminatione divinâ, quod attinet ad perceptionem propoſitionis credendæ; ſed etiam, qui carent omni cognitione acquiſitâ de eadem. Nam dicere ſolent, laicos verè & catholicè credere per fidem implicitam, etiam illa dogmata, de quibus nullam habent in mentibus ſuis informatam notionem, neque ab irradiatione divina, neque ab inſtructione humana. Secundò, in dogmatibus illis de quibus habent explicitam perceptionem rerum credendarum, dicunt laicos ſubditóſq; omnes fidem adhibere decretis prælatorum, non quatenus ex dono luminis infuſi mens eorum agnoſcit & judicat illa eſſe vera & divina; ſic enim cuivis privato credimus: ſed quatenus illorum voluntas flectit intellectum, ut abſolutum fidei obſequium præbeat doctrinæ paſtorum, propter infallibilem authoritatem proponentium; ſive intelligant illa, quæ ab iis proponuntur, eſſe verbo Dei conſona, ſive non. Atque hic ille error eſt quem refutandum ſuſcepimus, quòd putant adverſarii, ad fidei catholicæ actum eliciendum ſufficere illud cæcum voluntatis obſequium paratæ ad quidvis admittendum quod à prælatis decernitur, abſque tali illuminatione mentis, & judicii proprii informatione, quæ ad intrà doceat, atque oſtendat ipſi credenti, illud eſſe verum & divino verbo conſonum, quod ab eo approbatur ac creditur. Non igitur id agimus, ut probemus fidem ſine externo paſtorum miniſterio in cordibus hominum ordinariè gigni; ſed, ut oſtendamus illos non verè & catholicè credere verbo prædicato, qui aſſentiuntur propter meram authoritatem docentium; ſed illos ſolummodo, qui aſſentiuntur per & propter internam revelationem divinam, quæ

mentem illuminat, judiciúmque informat, ut ſciat quando in orthodoxa & vera doctrina prælatis ſit aſſentiendum, quando in erronea & falſa ſit ab illis diſſentiendum, ídque verbi divini magiſterio, quo organo Spiritus utitur ad illuminationem mentis, judiciíque ſanam informationem. Hæc ad ſtatum quæſtionis intelligendum præmiſſa ſufficiant.

CAP. XXX.

De dono illuminationis, quod facit fideles ſingulos idoneos ad judicandum de divina veritate illorum dogmatum quibus fidem adhibent.

NObis jam oſtendendum eſt, dogmata fidei non admitti à piis & fidelibus propter authoritatem prælatorum ità decernentium, ſed habere ſingulos fideles ſupernaturale lumen, quod per verbi miniſterium ſpiritus illorum mentibus infundit; in quo lumine ipſi judicant & propriæ mentis oculis percipiunt, dogmata illa, quibus aſſentiuntur actu fidei catholicæ, eſſe divina. Atque in hoc interno lumine, ſive Spiritus arcanâ eruditione, fundatum dicimus illud judicium privatæ diſcretionis, quod ab omnibus ſalvandis adhibendum defendimus. Agemus primò diſertis teſtimoniis Scripturarum, dein rationibus ex Scriptura extructis, poſtremò antiquorum teſtimoniis cauſam noſtram illuſtrabimus & confirmabimus.

Scripturarum teſtimonia.

Teſt. 1. Iſaiæ 54. 13. *Dabo omnes filios tuos doctos à Domino.* Ex hoc loco apertè colligimus, omnes fideles, & ſalvandos, per gratiam Spiritus ſancti illuminari ad credendum, atque à magiſtro intus docente certos reddi de divina veritate ejus doctrinæ cui fidem adhibent. Non itaque putandum, ut præ ſe ferunt Jeſuitæ, ſolos prælatos ex Spiritus ſancti illuſtratione & aſſiſtentia infallibiliter judicare & diſcernere, quid verum, quid falſum in fidei dogmatibus; alios autem omnes, proprii judicii expertes, horum ſolummodo infallibili authoritati confidere: ſed unus idémque Spiritus ſanctus qui docet prælatos, laicos etiam docet & inſtruit, & utriſque ſuam veritatem revelat: quódque publicè in Scriptura indicavit, idipſum privatim cordibus fidelium, ſive prælatorum ſive ſubditorum, ſolet patefacere. Atque hinc fit quòd nemo fide catholicâ aliquid credat, quod non ſuo judicio, jam divinitus illuminato, divinum & fide dignum appareat.

Teſt. 2. Pſalm. 119. 18. *Revela oculos meos, ut intuear mirabilia ex lege*

tua.

tus. Hinc patet, Deum internâ operatione revelare & aperire illorum omnium oculos, qui fidei intuitu mysteria Scripturarum comprehendunt. At ex pontificiorum sententia revelantur tantùm oculi prælatorum, alii verò hoc dono carent, & idcirco assentiuntur doctrinæ propositæ propter authoritatem proponentium, non ex approbatione proprii sui judicii ab ipso Deo intrinsecus illuminati. Quæ sententia si vera esset, fideli laico non orandum esset cum Davide, *Revela oculos meos, ut intuear, &c.* sed, *Sine oculos meos clausos manere, persuade tamen animo meo ut cæcâ obedientiâ amplectar quicquid oculati pastores credendum decernunt.* Sed qui vult singulos uti oculis suis, & non fidem suam alieno judicio alligare, ille oculos revelat omni credenti.

Joannis 7. 17. *Si quis voluerit voluntatem ejus facere qui misit me, cognoscet de doctrina mea, utrùm ex Deo sit.* Cui affine est illud psalmistæ, psalm. 25. 14. *Arcanum Jehovæ timentibus ipsum: & fœdus ejus, ut faciat illos cognoscere.* Omnes igitur pii, & timentes Deum, doctrinam salutiferam amplectuntur, non quia pastores illam proponunt credendam, sed quia Deus sic aperuit illorum mentes ut planè cognoscant illam esse divinam. Bellarminus huic testimonio nihil aliud respondet, quàm indè non colligi, *Omnes bonos viros per se intelligere posse omnia loca Scripturarum, sed carere tantùm quibusdam impedimentis, propter quæ alii, nec per se, nec per alios fidei veritatem intelligere possunt.* Quorsum spectet hæc responsio, ego non intelligo: non enim ex illis testimoniis conamur probare, omnes pios intelligere posse per se omnia loca Scripturarum; sed pios credere ea, quæ credunt, ex infuso lumine, quod illorum propriis mentibus & judiciis ostendit persuadétque divinam veritatem doctrinæ propositæ; non ex nudo cæcóque obsequio, quod præstandum judicant decretis prælatorum. Hoc sufficit ad judicium discretionis stabiliendum, cæcámque quam à Christianis efflagitant obedientiam refutandam.

Test. 3.

De verbi Dei interpret. lib. 3. cap. 10.

Joan. 10. 4. 5. *Oves Christi eum sequuntur, quia vôrunt vocem ejus. Alienum autem nequaquam sequentur, sed fugient ab eo, quia non vôrunt vocem alienorum.* Hic ovibus Christi, id est electis fidelibus, manifestè conceditur speciale donum gratiæ, per quod discernunt inter vocem veri pastoris, & vocem impostorum, quatenus sufficit ad salutem in Christo obtinendam. Hæc notitia vocis Christi, ex afflatu Spiritus donatur fidelibus, atque facit eos idoneos ad internoscendum & judicandum inter pabulum & venenum.

Test. 4.

1. Cor. 2. 14. 15. *Animalis homo non est capax eorum quæ sunt Spiritus Dei; sunt enim ei stultitia: nec potest ea cognoscere, quia spiritualiter dijudicantur. Spiritualis autem omnia dijudicat, &c.* Ex hoc loco habemus, Homines animales, hoc est minimè renatos, non posse

Test. 5.

efficaciter & ſalutariter percipere doctrinam cœleſtem : renatos autem & fideles, pro menſura illuminationis à Spiritu ſancto acceptæ, habere in myſteriis fidei intelligentiam illuſtratam, & judicandi dexteritatem ab eodem Spiritu communicatam. Atque hinc eſt, quòd in dogmatibus fidei probandis vel rejiciendis, non, tanquam cæci, prælatorum judicio nitantur ; ſed, ut oculati, propriò ſuo judicio, non naturali, ſed divinitus inſpirato & illuminato, utantur. Nam utcunque paſtores proponant doctrinam fidei Chriſtianis, tamen omnes, quos Spiritus ſanctus intus non docet, in ſua infidelitate remanent ; omnes, quos docet, fide amplectuntur doctrinam ſalutiferam, non propter vocem hominis in auribus ſonantem, ſed propter vocem Spiritus in corde loquentem.

Teſt. 6. 1. Joan. 5. 6. & 10. verſ. *Spiritus eſt qui teſtificatur Spiritum veritatem eſſe. Qui credit in Filium Dei, habet teſtimonium in ſeipſo.* Priore loco doctrinam Spiritus ſancti Metonymicè vocat *ipſum Spiritum*, atque dicit Spiritum ſanctum teſtimonium perhibere cordibus fidelium de veritate doctrinæ traditæ : poſteriore aſſerit fidelium corda ad credendum promoveri, non authoritate externâ miniſtrorum, ſed teſtificatione internâ Spiritus divini. Uterque locus planiſſimè excludit brutam illam & cæcam credulitatem, quam papiſtæ *fidem* vocant, atque oſtendit fidem cum ſpirituali mentis illuminatione eſſe conjunctam.

Teſt. 7. Ultimò, omnia illa loca noſtram ſententiam confirmant, quæ docent, Omnibus fidelibus mentis tenebras diſcuti, infundíque, ad capienda myſteria cœleſtia, novam lucem ſcientiæ, intelligentiæ, ſive cognitionis ſpiritualis. Ad Epheſ. 5. 8. *Eratis olim tenebræ, nunc lux in Domino.* 2. Cor. 8. 7. *In omnibus abundatis fide, & ſermone, & ſcientiâ.* Matth. 13. 11. *Vobis datum eſt nôſſe myſteria regni cœlorum, illis autem non eſt datum.* Atque ejus generis plurima occurrunt, quæ oſtendunt fideles novo dono locupletari, cujus virtute mens illorum elevatur, judiciúmque formatur ad veritatis ſalutiferæ perceptionem. Cùm igitur quilibet fidelis hâc ſupernaturali luce donatus ſit, non pendet ex authoritate prælatorum in credendo, ſed ſequitur illud illuminatum judicium mentis ſuæ, quod illi infuſum eſt à Spiritu ſancto. Jam hiſce teſtimoniis rationes quaſdam apponemus.

Rationes

A neceſſitate luminis infuſi.

Rat. 1. Si nemo poteſt fide catholicâ aliquid credere ſine adminiculo luminis infuſi, tum neceſſe eſt ut vel omnino negemus laicos credere prout oportet, aut ſimul fateamur illos oculis ſupernaturalibus donari ad judicandum & diſcernendum de iis dogmatibus, quibus fidem ſuam adſtringunt. At clarum eſt opus eſſe tali lumine ad eliciendum actum fidei theologicæ : Nam *intelle-*

ctus non potest supernaturali actu credere quæ sunt supra se, ex propriis suis viribus; quia nulla virtus per semetipsam est seipsâ fortior, ut rectè Parisiensis. Quisquis igitur non leviter opinatur, sed solidè credit, consecutus est à Deo lumen ad ostendendum menti ejus, dogmata ab eo credita esse divina & ἀξιόπιστα. cujus beneficio ipse judicat de veritate, non prælatorum judicio cæcâ obedientiâ subscribit. Paris. de fide cap. 1.

Si singulis hominibus ad hanc vitam corporalem tuendam gustus suus à natura datus est, quo cibos noxios à salubribus discernant; imò si brutis ovibus detur hæc vis judicandi, ut possint herbas noxias à pastore sibi appositas rejicere, sapidas autem seligere: tum multò magis singulis credentibus suus est judicii gustus à Spiritu & gratia divina subministratus, quo pabulum animarum à pastoribus sibi appositum explorent, ut salutiferum accipere, venenosum & mortiferum repudiare possint. In aliis enim scientiis modus sciendi est vel per ratiocinationem naturalem, vel per testimonium creaturæ, vel per modum visus: sed modus sciendi in dogmatibus fidei, ut verissimè Halensis, *est per inspirationem, per testimonium Spiritus, & per modum gustus.* Nesciunt igitur pontificii quid sit fides aut scientia theologica, quando eripiunt laicis gustum suum spiritualem, ac promiscuè credi posse putant absque proprii judicii exercitio, quicquid à prælatis credendum proponitur. Rat. 2. Part. 1. qu. 1. art. 2.

Non est actus fidei catholicæ aut theologicæ, assentiri dogmati cuicunque, nisi τὸ διότι, vel causa propter quam assentimur, sit divina authoritas animo credentis persuasa & notificata. Sed hæc formalis ratio credendi, non ex assertionibus, non ex decretis prælatorum gignitur in mentibus fidelium, sed ex interna illustratione Spiritus, qui solus monstrat formalem rationem credendi. Si igitur Spiritus cum verbi ministerio concurrens, ostendit mentibus credentium divinam authoritatem illorum dogmatum quibus fidem adhibent; tum perspicuum est, quemlibet fidelem in credendo, non niti alieno, sed uti suo judicio per donum gratiæ sic illuminato. Quòd si Spiritus hoc non revelet, nec judicium tale credentibus conferat, utcunque cedant authoritati prælatorum silendo, & minimè opponendo, vel pro veris admittendo dogmata proposita; tamen manifestum est, illos non assentiri actu fidei theologicæ, propter formalis rationis defectum. Huc summa redit; Verè credentes ex dono divinitus inspirato in dogmatibus propositis agnoscunt & discernunt formalem rationem credendi, hoc est, divinam authoritatem: at qui hoc faciunt, non cæco obsequio quidlibet credunt prælatis affirmantibus, sed habent judicium suum discretionis non minùs quàm ipsi prælati. Rat. 3.

Deus

Rat. 4.

Deus non deeſt filiis ſuis in iis quæ ſunt ad ſalutem illorum neceſſaria: ſed donum illud illuminationis, quod affert illis facultatem examinandi, diſcernendi, diſtinguendi, & dijudicandi inter doctrinas, eſt planè neceſſarium. Nam hæretici, qui venenata dogmata obtrudunt, obtendunt tamen eadem omnia quæ catholici, Scripturas, patres, antiquitatem: neceſſe eſt igitur ut omnibus ſalvandis concedatur donum diſcretionis, eâ ſaltem menſurâ, ut in fundamentalibus, & ad ſalutem neceſſariis decipi non poſſint finaliter. Ipſe Servator periculum hoc prævidit, & prædixit. Matth. 24. 24. *Surgent pſeudochriſti & pſeudoprophetæ, & edent ſigna magna & miracula, ità ut ſeducant (ſi fieri poſſit) etiam electos.* Quæro, cur fieri non poteſt ut ſeducant electos? Nunquid, quia Deus inſpiravit voluntatibus illorum, ut abſolutâ obedientiâ adhæreant pontifici Romano ejúſque decretis, ſive conſtet illis quòd conſona ſint verbo divino, ſive non? Nihil hoc commento inſulſius: nam & pontifex Romanus errare poteſt, atque de facto erravit, ut antea demonſtratum eſt; & multi ad eccleſiam pertinent, ad quos pontificis decreta non perveniunt; poſtremò, poteſt illa particularis eccleſia, non minùs quàm quævis alia, penitus extingui, ità ut nullus exiſtat in rerum natura pontifex Romanus. Cur igitur decipi non poſſunt electi ad perniciem animarum ſuarum, æquè ac alii? Quia ſcilicet Deus illis concedit Spiritum veritatis, qui illos ducit in omnem veritatem neceſſariam, qui illos docet rejicere omnem errorem mortiferum; uno verbo, qui illis impertit hoc donum illuminati & bene informati judicii, quatenus ad ſalutem obtinendam requiritur. Sic ſenſit Athanaſius; *Fidelis evangelii diſcipulus, cui gratia data eſt ut diſcernat ſpiritualia, & qui ſuper petram ædificavit fidei ſuæ domicilium, citra vacillationem firmus conſtitit, & tutus permanet ab hæreticorum impoſturis. Ideo bonum eſt, vel potiùs neceſſarium, optare gratiam diſcernendorum ſpirituum, ut unuſquiſque cognoſcat quos abjicere, quos recipere oporteat.* Videte quantum diſcrepet ſententia Athanaſii ab opinione papiſtarum! Hi putant fideles evangelii diſcipulos tum optimè cavere impoſturas, quando ſine examine aut dubitatione credunt quicquid illis proponitur ab iis qui regunt eccleſias: at ille (qui experimento ſenſerat ordinarios rectores eccleſiæ poſſe à vera fide deſciſcere) dicit illos tutos permanere, quibus gratiam Deus dat ad diſcernenda ſpiritualia. Hi temerarium & hæreticum eſſe ſtatuunt, ſi laici præſumant doctrinas probare, aut ſpiritus diſcernere: at ille bonum & neceſſarium affirmat, tum à Deo petere hanc gratiam diſcernendorum ſpirituum, tum, obtentâ hâc cognitione, eandem in actum deducere, abjiciendo doctores hæreticos, recipiendo orthodoxos & verbo divino conformes. Sed minimè mirum eſt papiſtas, qui credulam inſcitiam fidei loco ſubſtituunt, cæcum etiam ob-

Oratione 1. contra Arrianos

ſequium

ſequium pro dono diſcretionis ſubſtituere.

Qui credentibus adimit donum judicii illuminati, quo exRat. 5.
plorent & probent ea pro divinis & orthodoxis dogmatibus, quibus aſſentiuntur; ille fidem fingit, quæ ex virtute liberi arbitrii abſque gratia divina oriri poteſt. At, affirmare fidem veram & ſalutiferam ex arbitrio humano pullulare, Pelagianum eſt. *Fides & inchoata & perfecta, donum Dei eſt*, inquit Auguſtinus de prædeſt. ſanct. lib. 1. cap. 9. Et ipſe Paulus, Eph. 2. 8. *Gratiâ Dei eſtis ſalvati per fidem, & hoc non ex vobis; Dei enim donum eſt.* Sed hoc probatione non eget. Illud igitur oſtendam, papiſtas, dum donum hoc illuminati & bene inſtructi judicii fidelibus negant, non aliam fidem illis tribuere, quàm quæ ex libero arbitrio hominis non renati poſſit emanare. Nam apud illos fides laicorum nihil aliud eſt, quàm aſſenſus adhibitus doctrinæ præpoſitorum propter authoritatem proponentium. At hoc modo Pythagoræ diſcipuli magiſtro ſuo in omnibus fidem adhibuerunt. Hoc modo Turcæ Mahumeti & Alcorano ejus fidem ſuam adſtrinxerunt. Quid enim habet ſupra naturam, ut quis de rebus ſibi minimè cognitis aut intellectis ſive credat ſive cedat illis, qui & ſcientiam excellentem ſibi vendicant; &, ni fecerit, ferrum flammámque intentant? Si igitur fidelibus eripiamus hoc donum judicii illuminati, quo percipiunt & diſcernunt, per judicium privatæ diſcretionis, ea eſſe orthodoxa & divina quibus aſſentiuntur; aſſenſum merè humanum, & ex liberi arbitrii viribus elicitum, iiſdem aſſignamus.

Vera & theologica fides animo credentis imprimit πληροφορίαν, hoc eſt, plenam, ſtabilem, & certam perſuaſionem de divina veritate dogmatum creditorum: ſed talis πληροφορία haberi non poteſt abſque lumine infuſo proprium judicium credentis informante & ſtatuminante. Nam illa papiſtarum fides expers luminis & judicii, quæ prælatorum voci & teſtimonio abſolutè & ſimpliciter credit, ſive conſtet credenti, ea quæ loquuntur eſſe conſona verbo divino, ſive non; haud poteſt hanc plenam & ſtabilem perſuaſionem in animis credentium gignere. Ædificium enim non poteſt eſſe ſtabilius quàm fundamentum illud cui inædificatur: hoc autem fundamentum in quod recumbit fides papiſtica, nimirum, *Prælati hoc decreverunt credendum, ergò credo*, non habet in ſe ſtabilitatem ſive certitudinem divinam: non poteſt igitur talem certitudinem illorum animis afferre, qui tali fundamento innituntur. Audiant pontificii angelicum ſuum doctorem nobis apertè ſuffragantem; *Non certificatur aliquis ex hoc, quòd audit hominem loquentem; certificatur autem ſolùm ſecundum quod interiùs audit veritatem loquentem, quam conſulit etiam de his quæ ab homine audit, ut certus fiat.* Atque eodem in loco in reſponſione ad argumentum primum; *Prohibemur hominem vocare magiſtrum*,

Rat. 6. Rom. 4. 21. & 14. 5.

" *Tho. diſp. de magiſtro, artic. 1. object. 17.*

ut illi principalitatem magisterii attribuamus, quæ Deo competit: quasi in hominum sapientia spem ponentes, & non magis de his quæ ab homine audivimus divinam veritatem consulentes, quæ in nobis loquitur per suæ similitudinis impressionem, quâ de omnibus possumus judicare.

1. Ex hisce colligimus primò, Si de rebus naturalibus nihil sciri potest per certitudinem ex eo quòd audimus homines aliquid affirmantes, nisi audiamus etiam veritatem interiùs loquentem; tum in rebus fidei prælatorum vox non potest certitudinem fidei afferre, nisi vox Dei idem confirmantis intus in corde audiatur.

2. Secundò, Si in cognitione naturali non potest haberi certitudo sine lumine interiùs menti cognoscentis indito, tum in cognitione fidei non habetur πληροφορία absque lumine infuso.

3. Postremò, Si in scientia humana, ut certi reddamur, consulimus illud inditum lumen, & ab eo judicandi dexteritatem accipimus, tum in supernaturalibus fidei doctrinis debemus etiam consulere lumen à Spiritu sancto animis nostris infusum, & ejus adminiculo de doctrinis propositis judicare.

Object. 1. Sed contra hoc internum lumen, & arcanam Spiritus divini instructionem, unde nos affirmamus oriri πληροφορίαν in mentibus fidelium, & judicandi dexteritatem, sic argutatur Gregorius de Valentia, anal. fid. cathol. lib. 4. cap. 1. *Si singulos ipse Deus per se solus docet, quanam ratione hoc facit? docetne illos ità ut nequeant omnino ipsi falli, dum putant se aliquid didicisse ex Deo? an verò permittit eos ejusmodi judicio quandoque decipi? Primum dici non potest; nam omnibus temporibus fuerunt hæretici qui falsò sibi persuaserunt, eam esse divinam doctrinam quæ pugnat cum sententia divina. Nec illud alterum; quia si Deus ità docet, ut nihilominus quivis decipi possit existimando idse discere ex Deo quod ipse fingit errore proprio; nondum erit satis provisum hominibus, ut veram fidem in omnibus dignoscere ac retinere possint.* Certitudinem igitur in rebus fidei habent fideles ex eo quòd adhærent & assentiuntur infallibili alicui authoritati externæ, non ex eo quòd credunt huic interno testimonio, de quo certi esse non possunt, utrùm sit Dei loquentis vox, an privati sui spiritus figmentum, vel Satanæ ludibrium.

Sol. Non affirmamus Deum per se solum docere, sed in docendo uti ministerio hominum, & organo verbi divini. Humanum itaque ministerium requirimus, & anabaptisticos enthusiasmos repudiamus. Nam ad fidem procreandam in auditorum animis duo concurrant est necesse: notificatio, sive externa declaratio doctrinæ credendæ; *Quomodo credent ei quem non audiverunt? aut quomodo audient sine prædicante?* Rom. 10. 14. & interna illuminatio ac persuasio mentis, ut percipiat veritatem doctrinæ propositæ, atque in eadem firmiter acquiescat; *Quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui revelatum est?* Isa. 53. 1. Quod ad prius attinet, non solet Deus extraordinariâ inspiratione patefacere

1.

doctrinam

doctrinam credendam, sed voluit illam ex verbo suo, sive lecto sive audito, peti, & ministerio pastorum aliis proponi: quod ad posterius, solus Deus interna sua operatione accendit lumen in cordibus piorum, quo discernant veritatem ab erroribus, solus flectit corda eorum, ut actu fidei theologicæ doctrinam sacram amplexentur. Hoc igitur est quod dicimus; Etsi Deus non doceat singulos solus per se, sine externa opera ministrorum, qui Dei verbum populo proponunt & exponunt; tamen posito hoc ministerio, atque verbi organo, ipse accendit lumen in mentibus ac judiciis salvandorum, quo dignoscant fidei salutiferæ dogmata ab erroribus perniciosis: atque hoc lumen non debent negligere aut extinguere prætextu cujuscunque authoritatis externæ. Nam homines sæpe falluntur & fallunt in externa doctrinæ sacræ administratione, at *Spiritus sanctus nec fallere, nec falli potest in intima veritatis manifestatione.* Sed pergamus cum Gregorio. *Sciscitatur porrò, nunquid Deus ità doceat homines, ut omnino nequeant falli dum putant se aliquid didicisse ex Deo? an permittat eos in ejusmodi judicio quandoque decipi?* Respondeo, Deum omnes illos, quos docet interno hoc magisterio, ità docere, ut nequeant falli in iis in quibus à Deo eruditiuntur. *At* (inquit) *multi hæretici putant se aliquid à Deo didicisse, & falsò sibi persuadent eam esse divinam doctrinam quæ pugnat cum sententia divina.* Quid hoc ad rem? Nos non defendimus, neminem decipi qui somniat se doctum à Deo; sed eos, qui sunt revera θεοδίδακτοι, esse ab errore tutos, & beneficio divini luminis scire illa esse vera & certa, quibus fidei assensum præbent. Absurdum igitur est, cùm de fidelibus & illuminatis disputatur, de hæreticis & occæcatis concludere. Eodem argumento concluserit aliquis, Neminem vigilantem certò statuere posse se vigilare; quia multi (dormientes scilicet & somniantes) putant se vigilare, & interim falluntur. Apponam hac de re Gersonis sententiam; *Quemadmodum dormiens non potest distinguere inter visionem somnialem & illam quæ fit in vigilia, scit nihilominus homo vigilans se certitudinaliter videre: similiter homo spiritualis, in vigilia veræ lucis divinæ positus, scit verè se videre & sapere divina, quæ videt & sapit.* Plura ab eodem authore ad hanc rem illustrandam afferuntur in tractatu de distinctione verarum visionum à falsis: hæc summa est; Quæ Deus per Spiritum suum fidelium mentibus ex verbo revelat & persuadet, de iis per eumdem Spiritum sic corda illorum instruit & illuminat, ut sciant se divinâ veritate illuminari, non humanâ aut diabolicâ fraude illudi. Hoc ipse Paulus regenitis & fidelibus concedit, quando dicit, Deum per Spiritum illis revelâsse mysteria evangelii, idque ità, ut sciant quæ illis à Deo donata sunt, ut possint componere spiritualia cum spiritualibus, ut possint omnia dijudicare, postremò, ut verè dicantur mentem ipsius Christi tenere. Talem cognitionem

2.

Gerson de examinatione doctrinarum, part. 1. consid. 6.

Part 1. de prob. spirit.

Part. 1.

1. ad Cor. cap. 2. ver. 10. 11. &c.

doctor cordium omnibus donat ſalvandis, non ſecundum eandem menſuram, ſed cuivis, quantumvis indocto & ſimplici, quatenus ſufficit ad ejus ſalutem. Auctarii loco totam hanc argumentationem Gregorii retorquebo, & oſtendam non minùs militare contra eos qui fidei certitudinem ab externa authoritate eccleſiæ proficiſci volunt, quàm contra nos qui defendimus αὐτοφωτίαν fidei ex interno teſtimonio & infuſo Spiritus lumine oriri. Sic enim cum Gregorio argumentemur. Si ſingulos per externam authoritatem eccleſiæ docet Deus, quæro an ità doceat, ut nequeant omnino ipſi falli dum putant ſe aliquid didiciſſe ex vera eccleſia? an verò permittat eos in ejuſmodi judicio quandoque decipi? Primum dici non poteſt, nam omnibus temporibus fuerunt hæretici, qui falsò ſibi perſuaſerunt, ſe ea ex vera eccleſia didiciſſe, quæ pugnabant cum ſententia orthodoxæ eccleſiæ. Nec illud alterum, quia ſi Deus ità doceat per eccleſiam, ut nihilominus quivis decipi poſſit exiſtimando id ſe didiciſſe ex vera eccleſia, quod aut errore proprio finxerit, aut ab eccleſia erronea acceperit, nondum erit ſatis proviſum hominibus ut fidem veram dignoſcere & retinere poſſint. Scire igitur debuit Jeſuita, certitudine fidei non cognoſci, nec quæ ſit vera ac ſalutifera doctrina, nec quæ ſit vera & orthodoxa eccleſia, niſi per hanc internam Spiritus illuminationem, quæ affert ſecum judicium diſcretionis, & facit fideles rectè de utroque judicare.

Stapl. apud Whit. de author. Script. pag. 25.

Obiect. 2. Gregor. de Valent. anal. fid. lib. 4. cap. 1.

Nihil intereſt utrùm fidem dicamus unicuique ex proprio ingenio cognoſcendam eſſe, vel magiſterio ſolius Dei, qui tamen utrùm aliquid ipſe doceat nôrunt, unuſquiſque ingenio proprio & fallibiliter dijudicare debeat.

Sol.

Reſpondeo, nos minimè affirmare fidem cognoſci magiſterio ſolius Dei, excludendo verbi externum miniſterium, ſed dicimus cum Auguſtino, *magiſteria hominum eſſe externa quædam adjutoria, & admonitiones; cordium verò doctorem in cœlo cathedram habere.* Porrò, aſſerimus plurimum intereſſe, utrùm dicamus fidem ex proprio ingenio uniuſcujuſque, an ex magiſterio divino eſſe cognoſcendam. Nam quos verè Deus docet, illi non ex ingenio proprio conjectant ſolummodo ſe eſſe edoctos à Deo, ſed ità illuminantur per Spiritum Dei, verbum in illorum animas infigentem & inferentem, ut probè intelligant, ſe non humanis ſomniis, ſed divinis oraculis fidem ſuam adhibere. Denique & hæc etiam ratiuncula Gregorii, in authorem ipſum vibrari poteſt. Nihil enim intereſt utrùm fidem dicamus unicuique ex proprio ingenio cognoſcendam eſſe, vel magiſterio catholicæ eccleſiæ, cùm unuſquiſque ingenio proprio & fallibiliter judicare debeat, & quæ ſit illa catholica eccleſia, & quis ſit ſenſus doctrinæ ejus. Semper igitur, ſi certitudinem infallibilem in rebus fidei

Tract. 3 in epiſt. Joan.

cognoſcendis

cognoscends tribuere velimus fidelibus, redeundum est necessariò ad hoc donum luminis infusi, & judicium discretionis divinitus inspiratum, sine quo nemo, vel quæ sit Dei sententia in verbo pronuntiata, vel quæ sit ecclesiæ catholicæ sententia ex verbo deprompta, fidei πληροφορίᾳ comprehendit.

Deus in verbo reprehendit eos qui de rebus divinis ea sentiunt & docent quæ ipsis propriè & singulariter veniunt in mentem; neque id juvat, quòd id faciant prætextu divinæ doctrinæ, quam ipsi singulariter & propriè divinitus se accepisse putent. Deus igitur non privatim singulos, sed per communem aliquam regulam (hoc est, per ecclesiæ vocem & authoritatem) *omnes docet.* Object. 3. Gregor. de Valent. anal. fid. lib. 4. cap. 1.

Aliud est in rebus divinis ea sentire, quæ propriè & singulariter veniunt in mentem meam; aliud ea sentire, quæ menti meæ propriæ à Spiritu Dei, interno fidelium doctore, ostenduntur. Neque subditi, neque ipsi prælati debent in rebus divinis ea sentire quæ propriè & singulariter illis veniunt in mentem, hoc est, quæ propriâ suâ opinione & naturali ratiocinatione concipiunt: sed utrique tamen debent in propria sua mente judicare atque discernere veritatem illorum dogmatum quibus assentiuntur, accepto lumine à communi fidelium magistro, Spiritu Dei. Impossibile enim est ut ego sentiam aut credam, quod mea mens proprio & singulari suo actu non judicavit esse sentiendum & credendum. Neque fingimus privatam & secretam Spiritus instructionem absque publica & communi aliqua regula; sed ad producendum fidei effectum in quolibet homine concurrit publica sive communis regula, & secreta sive particularis ejusdem instructio. Regula communis non est vox prælatorum absolutè sumpta, ut somniat Gregorius; sed verbum Dei per eos prædicatum: privatus autem doctor est Spiritus Christi, qui quemlibet singularem fidelem sic instruit & illuminat, ut prælatos verbum Dei docentes audiat & suscipiat, sua autem inventa obtrudentes rejiciat & repellat, quatenus illi sufficit ad salutem consequendam. Pontificii igitur prælati impiè confundunt quæ Deus distinxit, nimirum vocem ministrorum & verbum divinum, externum ministerium ecclesiæ & internum magisterium Spiritus, dum ipsam externam vocem ministrorum faciunt absolutam & communem regulam fidei, atque absolutum & infallibilem doctorem fidei. Nam utcunque Deus uti voluit operâ ministrorum in docendo, tamen neque voluit illorum authoritatem esse regulam fidei nostræ, neque dedit illorum externæ voci hanc potestatem, ut sine Spiritu intus illuminante possit fidem in auditorum animis procreare. Quotquot igitur credunt, non ex prælatorum voce, sed ex verbo divino pendent; neque illorum judiciis aut decretis cæci adhærescunt, sed à Spiritu illuminati proprium & suum Sol.

discretionis judicium acquirunt. Atque sic satisfactum est objectionibus adversariorum, jam patrum testimoniis defensionem nostram munienus.

Cap. XXXI.

Afferuntur testimonia antiquorum pro discretionis judicio quod donatur singulis fidelibus à Spiritu sancto.

Qui doctrinam suam à Christianis examinari & judicari vetant, negare etiam solent adesse fidelibus tale lumen aut donum à Spiritu inspiratum, cujus beneficio possint hoc examen & judicium discretionis exercere. Ut itaque temerariæ præsumptioni imputant, quando fideles de doctrinis illorum hunc actum judicandi adhibent: ità fanaticæ illusioni tribuunt, quando donum hoc illuminati judicii sibi vendicant. Sicut igitur in priore quæstione ostendimus consentientibus antiquorum suffragiis, non absolutè & simpliciter credendum esse quicquid prælati docent aut definiunt, sed judicium discretionis à piis esse semper adhibendum: ità nunc ex eorundem testimoniis demonstrabimus, habere pios & fideles talem judicandi & discernendi facultatem divinitus sibi donatam, ad agnoscendam approbandámque doctrinam salutiferam, atque ad pestiferam repudiandam.

Test. 1. Justinus Martyr in dialogo cum Tryphone; *Inprimis precare Deum, ut tibi fores luminis aperiantur: neque enim cerni intelligive possunt prophetæ, nisi ab iis quibus Dei Christique munere datum est.* Hinc colligo, illis omnibus qui efficaciter intelligunt divina & salutifera fidei mysteria priùs πᾶσὰς ἀνοιχθῆναι πύλας, ut loquitur Justinus. At luce hâc in mentem immissâ, quis non videt judicium discretionis cum eodem dono esse copulatum? Verbo igitur concedunt hoc donum illuminationis supernæ, sed re ipsâ negant, & omnem ejus usum tollunt, qui credi jubent dogmata fidei, quia ità statuunt prælati, sive tu ipse videas ea esse consona verbo divino, sive non: nam in hac cæca fide quis dixerit ullas luminis fores apertas esse credenti?

Test. 2. Athanasius orat. 1. contra Arrianos, *Bonum & necessarium est optare gratiam discernendorum spirituum, ut unusquisque cognoscat quos abjicere, quos recipere oporteat.* Hunc locum antea attigimus, nunc ex eo manifestè deducimus, dari hoc donum discretionis omnibus salvandis, quia est unum ex donis planè necessariis.

Hilarius

Hilarius de Trinit. lib. 11. pag. 174. *Paulus ad Timotheum ſcribens, hoc addidit, Intellige quæ dico, dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum. Admonitio intelligendi ex difficultate intelligentiæ eſt. Intelligentiæ verò à Deo donum, fidei munus eſt, per quam infirmitas ſenſus gratiam revelationis meretur. Ergò ſi Timotheus, apoſtolico teſtimonio homo Dei, & legitimus Pauli ſecundum fidem filius, ut intelligat admonetur, quia ei Dominus intelligentiam in omnibus ſit daturus, nos quoque admoneri per apoſtolum ad intelligentiam meminerimus, ſcientes Dominum nobis intelligentiam omnium præſtiturum. Et ſi fortè humanæ conditionis errore præſumptum aliquid ſenſu tenebimus, profectum intelligentiæ per revelationis gratiam non recuſemus.* Huic loco affinis & alter, ubi ſcribit, *animum humanum, niſi per fidem donum Spiritus hauſerit, habere quidem naturam Deum intelligendi, ſed lumen ſcientiæ non habere.* Perpendite jam apud vos, ſi à fidelibus laicis illud requiratur, ut ſine omni dubitatione, examine, aut judicio credant quicquid definiunt prælati, quia ab illis ità definitum & determinatum fuit. Si non infundatur illis donum diſcretionis, ad diſcernendum & judicandum de voce & doctrina paſtorum, cur dixit Hilarius, donum intelligentiæ, lumen ſcientiæ, gratiam revelationis, & peti debere, & obtineri ſolere à piis & fidelibus? Nam bruta cæcáque illa fides, quam laicis relinquunt papiſtæ, ſine gratia revelationis & lumine ſcientiæ optimè conſiſtit. Credere enim illi ſolent quod credit eccleſia, etſi nunquam illuminati fuerint cognitione illarum rerum quas credit eccleſia.

Teſt. 3.

2. de Trin. prope finem.

Auguſtinus tract. 3. in ep. Joan. tom. 9. *Nolite putare quenquam hominem aliquid diſcere ab homine. Admonere poſſumus per ſtrepitum vocis noſtræ: ſi non ſit intus qui doceat, inanis ſit ſtrepitus noſter. Interior magiſter docet, Chriſtus docet, inſpiratio ipſius docet.* Ex his apparet, Auguſtinum à papiſtis multum diſſentire: Nam illi gloriari ſolent pontificem Romanum poſſe omnes ſuos catholicos ſubditos, quantumvis dubitantes aut litigantes de fide, prolatâ definitivâ ſuâ ſententiâ illico ad veram & catholicam fidem convertere: at videtis opus eſſe alio doctore, adeóque illuminatore cordium, nam abſque hoc dono inſpirati luminis fides nunquam concipi poteſt.

Teſt. 4. Cor. 1. 3. 6

Theologi paſſim docent, *ſeptiformem* (ut illi loquuntur) *Spiritus ſancti gratiam omnibus ſalvandis pro ſuo modulo communicatam.* Unde facilè deducemus, judicium diſcretionis competere omnibus fidelibus. Auguſtinus ſerm. 209. de tempore, *In hac ſeptiformi Spiritus ſancti gratia maneamus, in qua vocati ſumus, repleti dono Spiritus ſancti.* Gregorius hom. 19. in Ezech. *Per Spiritus ſancti ſeptiformem gratiam aditus nobis regni cœleſtis aperitur.* Brevitatis cauſâ cæteros omitto. Sed quibus in rebus ſita eſt hæc ſeptiformis gratia? Nimirum in donis illis quæ recenſentur ab Eſaia,

Teſt. 5.

dono

Isa. 11 vers. 2. dono ſcilicet *ſapientiæ, intellectus, conſilii, fortitudinis, ſcientiæ, pietatis, timoris Domini.* Cogitet jam qui poteſt, dona hæc ſapientiæ, intellectus, ſcientiæ (ut de cæteris taceam) omnibus ſalvandis donari, & tamen hoc donum judicandi & diſcernendi de doctrina paſtorum ſuorum illis denegari.

Teſt. 6. Lombardus lib. 3. diſtinct. 34. literâ C. *Intellectus naturalis peccato obtenebratus, per virtutem quandam & gratiam quæ dicitur Spiritus intelligentiæ reformatur, atque adjuvatur ad intelligendum: & per illam virtutem, quæ dicitur Spiritus ſapientiæ, erigitur mentis ratio ad contemplationem æternæ veritatis.* Hæc itaque illa dona ſunt ſupernaturalia, quæ nos cum patribus, & ſcholaſticis ipſis affirmamus dari omnibus ſalvandis, & per hæc dona quoſvis, quantumvis indoctos, modò verè pios, ſcire quid credere debeant propter adipiſcendam vitam beatam, quid rejicere, utcunque non ſciant de iiſdem rebus diſputare aut controverſias agitare.

Teſt. 7. Pariſienſis de legibus cap. 21. pag. 56. *Qui invenit doctores vel prædicatores contrarios, nec ſufficit judicare cui eorum magis credere debeat, imploret divinum auxilium, & totâ inſtantiâ deprecetur, ut illuminator animarum Deus viam veritatis ei oſtendat, & cor ejus applicet ei parti contradictionis, quæ vera eſt, & ei accepta. Piè autem credendum eſt de miſericordia Dei, quia ſic pulſanti aperiet, &, niſi negligentia quærendæ veritatis vel alia culpa obſiſtat, cor ejus avertet Deus nè impietatis errori conſentiat.* Hîc habemus quaſi vivam deſcriptionem conditionis noſtræ, qui vivimus illis temporibus in quibus omnia controverſiis & contradictionibus circa fidem & religionem circumſtrepunt. Quid igitur faciendum? Nunquid doctis aut indoctis cæcâ fide credendum? An quicquid docent aut decernunt illi qui regunt eccleſias, in quibus ſingulos naſci contigit, amplexandum? Hoc dici non poteſt, niſi ſtatuamus Chriſtianos in diverſis eccleſiis ad diverſa, imò ad pugnantia dogmata recipienda eſſe obligatos. Prudenter igitur monuit Pariſienſis, in hoc caſu, 1, auxilium divinum ab illuminatore animarum eſſe implorandum: atque, nè hoc meritò nobis ſubtrahatur, 2, diligentiam in veritate quærenda eſſe etiam à nobis adhibendam: ſub qua diligenti inquiſitione, Scripturarum ſtudium, indagationem, & conſiderationem contineri, minimè dubium eſt. Poſtremò, hiſce aliiſque mediis convenientibus adhibitis, rectè ſtatuit piè credendum eſſe, quòd Deus Chriſtianis viam veritatis oſtendet, mentem intellectúmque aperiet, cor denique ab omni errore lethali avertet; hoc eſt, infundet illud donum diſcreti ſive illuminati judicii, quod nos contra cæcum papiſtarum obſequium defendimus.

1. 2. 3.

Teſt. 8. Bonaventura in ſent. lib. 3. diſt. 34. qu. 1. *Rationalis tripliciter ſolet impediri, aut propter ignorantiam in cognoſcendis, aut propter præcipitationem in deliberandis, aut propter hebetudinem in inveſtigandis: &*

ideo

ideo datur huic facultati triplex donum, videlicet donum ſcientiæ ut expediatur in cognoſcendo, donum conſilii ut expediatur in deliberando, & donum intellectus ut expediatur in ſublimia perſcrutando. Ex hoc teſtimonio colligimus primò, hæc dona Spiritus ſancti à Chriſto capite ad omnia ejus vera & viva membra derivari. 1. Secundò, horum donorum effectum eſſe, ut beneficio eorundem mens expeditè procedat in cognoſcendo, perſcrutando, ac judicando res fidei & religionis, quæ captum naturalem ut plurimùm ſuperant. 2. Poſtremò, pro menſura hujus infuſæ ſcientiæ & intelligentiæ, & poſſe & debere quemlibet fidelem in doctrinis admittendis vel rejiciendis apud mentem ſuam judicium diſcretionis adhibere. 3.

Aquinas 2. 2. quæſt. 8. artic. 4. *Nullus habens gratiam caret dono intellectus. Sed ſicut per donum charitatis Spiritus ſanctus ordinat voluntatem hominis, ut directè moveatur in bonum quoddam ſupernaturale: ità per donum intellectus illuſtrat mentem hominis ut cognoſcat veritatem, in quam oportet tendere voluntatem rectam.* Et eodem in loco reſp. ad 3. *Donum intellectus nunquam ſe ſubtrahit ſanctis circa ea quæ ſunt neceſſaria ad ſalutem; ſed circa alia interdum ſe ſubtrahit, ut non omnia ad liquidum per intellectum penetrare poſſint.* Idem quæſt. 9. artic. 1. *Ad hoc, quòd intellectus humanus perfectè aſſentiat veritati fidei, duo requiruntur: quorum unum eſt, quòd capiat ea quæ proponuntur, quod pertinet ad donum intellectus; aliud eſt, ut habeat certum & rectum judicium de iis, diſcernendo credenda à non credendis; & ad hoc neceſſarium eſt donum ſcientiæ.* Obſervate mecum primò, Aquinatem concedere, hæc dona intellectus & ſcientiæ omnibus in gratia conſtitutis competere. 1. Secundò, ex hiſce donis non oriri ſemper abſolutum & exactum judicium de omnibus ad fidem ſpectantibus, ſed ſemper ex iiſdem proficiſci judicium rectum in omnibus neceſſariis ad ſalutem. 2. Poſtremò, hoc judicium non poſitum eſſe in illo abſoluto obſequio, aut implicita credulitate, quæ prælatorum doctrinæ acquieſcit, quia illis ſic viſum eſt ſtatuere de rebus fidei: ſed in actu diſcernendi credenda à non credendis. 3. De hoc judicio diſcretionis divinitus omnibus ſalvandis inſpirato plura legere licet apud eundem, eodem in loco, & etiam artic. ſecundo & tertio ejuſdem quæſtionis nonæ. *Teſt. 9.*

Argentina, de prædictis donis ſcribens, hæc verba habet; *Notandum quòd prædicta dona Spiritus ſancti ſunt quidam habitus nobiliſſimi à ſolo Deo humanæ menti infuſi, ſecundum quos agendo homo non innititur humanæ regulæ, ſed divinæ.* Apertè mihi videtur in hoc loco oſtendere, illos omnes qui credunt innitentes ſoli authoritati prælatorum, non credere ab habitu infuſo, quod eſt donum Spiritus ſancti; ſed ab arbitrio ſuo, quod eſt opus credulitatis humanæ. *Teſt. 10. Lib. 3 diſt. 34. quæſt. 1.*

Nam quicunque in credendo agit ſecundum hoſce habitus infuſos, innititur divinæ regulæ, non humanæ authoritati.

Teſt. 11. Gerſon de exam. doctrinar. part. 1. conſid. 6. *Examinator doctrinarum, eſt omnis habens diſcretionem ſpirituum, quantum hoc donum Spiritus ſancti in eo vult extendi.* Et paulò pòſt; *Donum diſcretionis ſpirituum quandoque datur ad privatam inſtructionem recipientis, quaſi privata lex: eſt autem hujus doni operatio, facere quodam intimo ſapore cum illuſtratione certa cognitam eſſe veritatem. Aliquando datur hæc diſcretio ſpirituum ad ædificationem eccleſiæ, ſicut & donum prophetiæ, vel linguarum.* Noſtra igitur defenſio eſt, Quemlibet ſalvandum conſequi à Deo hoc donum diſcretionis ſpirituum; non quòd omnes fideles illud habeant ſecundum eandem menſuram, ſed ſecundum voluntatem Spiritus infundentis, in quantum opus eſt ad ſalutem recipientium. Affirmamus etiam, eſſe propriam effectionem vel operationem hujus doni, privatim inſtruere mentes fidelium, & imbuere intimo ſapore & certâ cognitione veritatis. Faceſſat igitur illa fides bruta & cæca papiſtarum, quæ univerſalem & abſolutum aſſenſum præbet decretis prælatorum ſine diſcretione ſpirituum, ſine examine doctrinarum, imò aliquando ſine ulla cognitione dogmatum credendorum. Non aliud profectò elogium meretur hæc fides, quàm illud Cyclopis apud poetam; *Monſtrum horrendum, &c.*

Teſt. 12. Joan. Franciſc. Pic. Mirandul. de fide & ordine credend. theorem. 3. *Aſſenſus qui ex acquiſito provenit habitu, infirmus eſt, & cum formidine: qui autem ex infuſo, firmus & ſecurus, Deo juvante cujus eſt opus. Certitudo fidei non tam ex objecto eſt, quàm ex aſſenſu, inclinante ſcilicet Spiritu ſancto, & magnam certitudinis lucem ſuggerente, per quam præſentati objecti veritas conſpicitur, alioquin ex acquiſito habitu minimè conſpicienda.* Si hæc vera ſunt, tum omnes qui credunt actu fidei ſalutiferæ & infuſæ, habent certitudinem de propoſitionibus creditis, non ex nudo teſtimonio prælatorum docentium aut decernentium, ſed ex dono Spiritus ſancti certitudinis lucem ſuggerente, atque animum credentis veritate ſingularum rerum creditarum quaſi ſigillante. Qui hoc modo credit, infuſâ luce diſcernit credenda à non credendis: qui ad Jeſuitarum normam credit, non contradicit ſolummodo, aut fortè conſentit illa eſſe vera quæ à prælatis definiuntur; ſed propriâ diſcretione, luce, atque certitudine, ad ſingula quod attinet dogmata, deſtituitur. Sed ſecundam hanc quæſtionem ſatis ventilavimus; ad ultimam veniemus.

CAP.

Cap. XXXII.

Quæſt. 3. *An ſpiritus privatus conſtituatur judex ex ſententia proteſtantium.*

SUperiori noſtrâ diſputatione populo Chriſtiano vindicavimus jus examinandi doctrinas ad lumen verbi divini: dein docuimus, à Spiritu ſancto infundi omnibus ſalvandis donum intellectus ac diſcretionis, quatenus ſufficit ad oſtendendum illorum mentibus, quid credendum, quid repudiandum in dogmatibus ad ſalutem neceſſariis: Jam tertio & ultimo loco diſpiciendum nobis eſt, utrùm proteſtantes, qui hoc examen doctrinarum & judicium diſcretionis ſingulis concedunt, privatum uniuſcujuſque ſpiritum judicem conſtituant de dogmatibus fidei & cauſis religionis. Niſi haberemus adverſarios projectos ad calumniandum & mentiendum, nihil opus eſſet hâc quæſtione; nam ex iis quæ ſuprà diſſeruimus clarè apparet, nos prælatis publici & miniſterialis judicii poteſtatem tribuiſſe, privatos verò Chriſtianos ab hac authoritate judiciaria penitus removiſſe. Illud etiam ex prædicta diſputatione ſatis manifeſtum eſt; utcunque accidat aliquando tam prælatis quàm privatis, ut ſpiritum ſuum ſequantur in judicando (hoc eſt, proprii ſenſus cerebríque figmentum) nos tamen fanaticum hunc ſpiritum in utriſque ex æquo averſari, atque referre omnem rectè judicandi facultatem ad operationem Spiritus ſancti per verbum illuminantis, ac judicia ſive prælatorum ſive ſubditorum dirigentis. Sic Whitakerus noſter, *Nos non ad privatum ſuum ſpiritum quenquam remittimus, ſed ad ipſam Scripturam, & Spiritum Dei clarè in Scripturis loquentem.* Et cap. 5. *Nos non remittimus quenquam, de re aliqua dubitantem, ad ſpiritum ſuum privatum, neglectis mediis inveniendi veri, ſed ad ipſam Scripturam, & ad Spiritum ſanctum publicè in Scripturis loquentem; quem audiendum eſſe, & ex cujus authoritate controverſias omnes eſſe definiendas dicimus.* Idem contra Stapletonum: *Nos eccleſiæ miniſterium in honore habemus, internas perſuaſiones ſine externo verbo, tanquam Satanæ ludibria, cavemus; ex Scripturis ſapimus, cum Scripturis ſentimus, propter Scripturas credimus.* Hæc eſt omnium noſtrorum theologorum ſententia; qui cùm judicium diſcretionis Chriſtianis tribuunt, illud tamen ex regula Scripturarum & illuminatione Spiritus ſancti, non ex conjecturis aut inſomniis privati ſpiritus cujuſcunque dependere & dimanare

Contr. 1. de Script. interpret. qu. 5. cap. 4

De author. Script. lib. 1. cap. 10. prope finem.

dimanare oportere oſtendunt. Sic noſtri omnes. At Bellarminus tamen odiosè nimis, & ineptè ſatis hanc ſententiam nobis adfingit; *Omnes* (inquit) *hæretici* (ſic enim vocat omnes extra ſuos papicolas) *docent Spiritum ſanctum Scripturæ interpretem non eſſe alligatum epiſcopis, vel ulli hominum generi: & idcirco unumquemque judicem eſſe debere, ſive ſpiritum ſuum ſequendo, ſi ipſe donum interpretationis habeat; ſive alicui alteri adhærendo, quem eodem dono præditum viderit.* In hiſce verbis Bellarmini perſpicere poteſtis, quo argumento permoti pontificii ſuam calumniandi anſam arripuerint, & quæ ſit illa calumnia quam nobis tam falsò tamque immeritò impingunt: de utroque illis reſpondebimus, & poſtea ſententiam noſtram perſpicuis aliquot argumentis ab hac criminatione liberabimus.

De verbi Dei interpret. lib. 3. cap. 3.

Dicit Bellarminus docere nos unanimi conſenſu, Spiritum ſanctum Scripturæ interpretem non eſſe alligatum epiſcopis, aut ulli hominum generi, atque hanc ſententiam ſubſternit, quaſi fundamentum calumniationis ſuæ. Agnoſcimus hanc eſſe noſtram ſententiam, illámque eſſe veram & orthodoxam facilè oſtendemus. Nam utcunque epiſcopis conceſſum ſit, vel (ſi illud vocabulum magis arrideat Bellarmino) *alligatum* officium ſive miniſterium interpretandi Scripturas, atque ex iiſdem controverſias definiendi: tamen ipſum Spiritum ſanctum eſſe illis alligatum quiſquis ſenſerit, graviter errat; quiſquis dixerit, impiè blaſphemat. Nam primò in confeſſo eſt, ordinarios paſtores quibus commiſſum eſt officium interpretandi Scripturas (ſi turbam & majorem partem reſpiciamus, qui dominantur in judiciis & decretis) eſſe poſſe homines improbos, pertinaces, occæcatos, atque privatis ſuis erroribus addictos. Secundò, ipſa Scriptura oſtendit, Spiritum veritatis non eſſe alligatum ordinariis paſtoribus, idque tam teſtimoniis expreſſis, quàm exemplis. Iſaiæ 56. 10. &c. *Speculatores ejus cæci omnes, neque quicquam noverunt, omnes canes muti, &c. Paſtores nihil ſciunt, neque intelligunt.* Jer. 5. 31. *Prophetæ prophetabant mendacium, & ſacerdotes applaudebant manibus ſuis.* Et cap. 12. 10. *Paſtores multi demoliti ſunt vineam meam, &c.* Ezech. 22. 26. *ſacerdotes contempſerunt legem meam, & polluerunt ſanctuaria mea: inter ſanctum & profanum non habuerunt diſcretionem: inter pollutum & mundum non intellexerunt.* Multa hujuſmodi occurrunt apud prophetas, ex quibus clarè conſtet, turbam ſacerdotum ſpiritu vertiginis & erroris ſubinde fuiſſe abreptam, ac proinde Spiritum ſanctum non fuiſſe illorum cœtui alligatum. Sed exemplis etiam idem patet. Scribæ & Phariſæi erant ordinarii rectores eccleſiæ Judaicæ; Spiritus tamen veritatis non erat hiſce alligatus; nam perniciosè errârunt tam in fide quàm in moribus. Unde ipſe Chriſtus monet diſcipulos ſuos, ut ab eorum fermento caverent. Qua-

les

les fuerint interpretes legis divinæ colligitur ex Matthæi 5. quo in loco apparet eos legem Dei de homicidio, de adulterio, de dilectione proximi, falsò & impiè fuisse interpretatos. Joannis etiam 9.22. cœtus sacerdotum decernit omnes excommunicandos, qui Christum pro Messia recipiebant. Marci 14.64. judicant Christum blasphemum, & morte dignum. Quinetiam ipse summus sacerdos non ità habuit sibi alligatum Spiritum sanctum, ut non posset publicè atque toti ecclesiæ aliquod erroneum & impium obtrudere. Nam legimus Uriam desiisse sacrificia offerre in altari Dei, quod lex jusserat, & extruxisse novum idololatricum altare, simile altaris Damasceni, atque in eo holocausta adoleviſſe. Neque juvaret pontificios, si responderent, hunc sacerdotem, regis imperio territum & coactum, hoc fecisse: nam quibus Spiritus sanctus alligatus est nè errent in causis religionis, illos ità confirmat & corroborat, ut nec spe, nec metu, nec ullâ aliâ causâ deficere possint ad errorem vel idololatriam. Ridiculum enim est dicere, Spiritum sanctum esse sacerdotibus alligatum, sub hac scilicet exceptione, Nisi metu, spe, superbiâ, temeritate, ignorantiâ, aut aliquâ aliâ causâ abigatur. Sed pluribus opus non est in re perspicua, præsertim cùm in quarta quæstione de judicibus subordinatis hac ipsa de re fusè à nobis disputatum fuerit. Veniamus igitur ad illam calumniam, quam ex hoc verissimo fundamento inferre, & nobis intentare conatur Bellarminus. 2. Reg. 16.

(n) *Protestantes* (inquit) *docent Spiritum sanctum non esse alligatum episcopis: & ideo unumquemque judicem esse debere, sive spiritum suum sequendo, si ipse donum interpretationis habeat; sive alicui alteri adhærendo, quem eodem dono præditum videat.* Negamus hanc illationem; quæ nec nostra est, nec ex præmissa propositione ullo modo deduci potest: quod apparebit si in syllogisticam formam conjiciatur. *Qui docent Spiritum sanctum episcopis non esse alligatum, illi statuunt unumquemque judicem esse debere spiritum suum sequendo, vel cujvis alteri pro arbitrio suo adhærendo: Sed protestantes, &c.* Major illa propositio tota vitiosa est, nec speciem ullam habet veritatis. Nam primò, qui negat Spiritum sanctum esse perpetuò & infallibiliter alligatum episcopis docentibus, aut decernentibus, non idcirco negat illorum authoritatem judicialiam, aut alios judices ministeriales in illorum locum substituit. Possunt enim illi quibus Deus commisit subordinatam judicandi potestatem, prò malis suis meritis occæcati, & in reprobum sensum tradi, atque tum non Spiritus veritatis illis alligatur, sed spiritus erroris illis dominatur. Quod cùm accidit, agnoscimus tamen illos ex officio esse judices, atque dicimus, privatos non posse illos ex sede judiciaria detrudere; sed illud etiam addimus, non debere illos impiis aut erroneis illorum decretis

consentire. Secundò, qui negat absolutè standum esse omnibus decretis episcoporum, non illico seipsum judicem constituit: non est enim judex, qui judicis sententiæ parere aliquando recusat; sed qui cum potestate publica judiciariam sententiam profert. Tres pueri non seipsos judices constituebant, quando sententiæ regis idololatrici obedire noluerunt. Apostoli non vendicârunt sibi officium & authoritatem judicis, quando sacerdotum impio edicto restiterunt. Protestantes non assumunt sibi judicandi authoritatem, quando inquisitoribus Romanensibus fidem suam non submittunt; nam eodem tempore corpus suum flammis subjiciunt. Tertiò, qui privatim apud conscientias suas statuunt non esse parendum judicio episcoporum, non indè convincuntur privati sui spiritus judicium sequi. Nam publicum Spiritus sancti in Scripturis pronuntiatum judicium, potest aliquando contrarium esse judicio episcoporum: id autem quoties accidit, qui horum episcoporum sententiæ repugnant, non privatum suum spiritum sequuntur, sed Spiritum Dei loquentem in Scripturis. Quartò, qui assentitur potiùs uni alicui doctori quàm cœtui episcoporum, non semper redargui debet, quasi privatæ personæ aut privato spiritui pro arbitrio suo adhæreret, spretâ ecclesiæ authoritate. Nam si ille unicus doctor juxta verbum docuerit, cœtus autem ille doctorum ab hac regula aberraverit; qui hunc unum sequitur, non *personæ* adhæret, quæ *privata* est; sed *doctrinæ*, quæ *publica* est, & *à Spiritu veritatis profecta*: qui etiam cœtum illum episcoporum rejicit, non *authoritatem* rejicit, quæ *publica* est; sed *opinionem falsam*, quæ *privata* est, & *à spiritu erroris prognata*. Videtis quàm nullâ ratione Bellarminus intulerit, Ex eo quòd negamus Spiritum sanctum alligatum esse episcopis, atque affirmamus oportere privatos judicium quoddam discretionis adhibere in admittendis aut rejiciendis illorum decretis, nos constituere, privatum quemlibet judicem esse debere, spiritum suum sequendo. Quasi idem esset judicare apud animum suum de dogmatibus sibi credendis, & judicem forensem sive ministerialem agere. Futilem igitur hanc Bellarmini collectionem Melchioris Cani testimonio ad extremum refutabo. Sic igitur ille de hac argumentandi formula, etsi in causâ diversa; *Non decet veros gravesque theologos verborum ambiguitate ludere. Non enim judicium usurpamus pro ejus sententia, qui re ipsâ quam judicat superior est: sed nobis judicare, nihil aliud est quàm discernere verum à falso, humanum à divino.* Hæc Canus de alia quæstione; sed ad hanc nostram non minùs aptè accommodari possunt, nec minùs Bellarminum refellunt, qui ex actu judicandi, hoc est discernendi, qui conceditur privatis, officium, & potestatem judicis illis tributam esse colligit, vel potiùs confingit.

Loc. theol. lib. 1. cap. 8.

CAP.

Cap. XXXIII.

Rationibus ostenditur nos non facere privatum Spiritum judicem controversiarum.

Quanquam ex iis quæ in duabus prioribus quæstionibus dicta ac disputata fuerunt, cuivis facile sit sententiam nostram ab hac calumnia liberare; tamen quia plerasque ea, quæ ad hanc rem faciunt, sparsim ac vagè posita sunt, eadem jam excerpere, atque in fasciculum conjicere, vobisque ob oculos sub uno aspectu proponere, neque mihi molestus labor videbitur, neque vobis (uti arbitror) supervacaneus. Duo igitur hæc breviter demonstrabo. 1. Non facere nos privatos quoslibet judices controversiarum, licèt singulis Christianis judicium discretionis & concedamus & suadeamus. 2. Hoc ipsum judicium discretionis quod privatis concedimus, privato tamen eorum spiritui minimè concedi eo sensu quo Jesuitæ privatum spiritum nobis exprobrant. Prius hisce rationibus confirmabimus.

Qui judex controversiarum constituitur, illi tribuitur potestas quæ exercetur in foro externo, quæque sententiam profert tendentem ad actiones aliorum regulandas. Sic cùm prælatos judices ministeriales & subordinatos appellamus, id volumus, eos habere delegatam potestatem publicè atque in foro externo sententias pronuntiandi; quæ sententiæ ordinationem habent ad alios regulandos. Jam verò, quibus hoc judicium discretionis permittitur, nihil tale attribuitur: non potestas quæ exerceatur in tribunali aliquo externo, sed in privato foro conscientiæ ejus qui judicat: non sententia ordinata ad alios regulandos, sed ad satisfaciendum conscientiæ ipsius judicantis. Quis enim nostrûm unquam asseruit, posse privatum quemlibet (quantumvis Spiritu divino illuminatum & instructum) prælatos ecclesiæ de fede judiciaria deturbare, aut eandem quovis prætextu invadere? quis docuit posse eos sententiam in mente ac conscientia sua conceptam, ad fidem aliorum regulandam cum authoritate præscribere? Hæc sunt judicis propriè dicti officia, quæ nos à privatis removemus. Sciant itaque Jesuitæ, aliud esse judicem (si ità loqui liceat) *officialem* agere, aliud judicem *rationalem* agere. Illud certorum hominum est, quibus ecclesia concessit publicam potestatem: hoc omnium, quibus Deus dedit mentem rationalem. Scripturas adeamus, atque inibi inveniemus, judicandi actum filis concedi, quibus tamen judicis officium non conceditur. 1. ad Corinth. 10. 15. *Tanquam sapientibus loquor: judicate vos id quod dico.* Nunquid

Rat. 1.

quid apoſtolus conſtituit hoſce Corinthios miniſteriales judices aut publicos interpretes dogmatum ſive Scripturarum? Nihil minùs. Judicium igitur diſcretionis non arguit officium judicis, ut ineptè colligunt pontificii. Sic cap. 14. ejuſdem epiſtolæ, verſu 29. *Prophetæ duo aut tres loquantur, alii dijudicent.* Hi tamen non fuerunt illico conſtituti judices prophetarum, quibus permiſſum fuit uti hoc judicio diſcretionis in prophetiis illorum examinandis.

Vide Canum, loc. theol. lib. 2. cap. 8.

Rat. 2. Qui judex conſtituitur, illi ſemper tribuitur ſententia armata, hoc eſt, talis ſententia quæ annexam habet poteſtatem puniendi eos qui eidem acquieſcere recuſabunt. Sic qui judex politicus eligitur, pœnis politicis, putà incarceratione, mulctâ pecuniariâ, aut corporali aliquo ſupplicio (quà poteſt) cogit ſubditos, ut ſtent ſententiæ ſuæ. Qui judex eccleſiaſticus ordinatur, idem facit abſtentione, excommunicatione, pœniſque ſpiritualibus. At illi quibus tantummodo judicium diſcretionis permittitur, non exercent in alios armatam hanc poteſtatem, ſed ſibi retinent inermem ſuam ſententiam. Non igitur aſſumunt ſibi officium judicis, aut authoritatem judiciariam. Judicant quidem privatim apud animos ſuos, quid ſibi credendum aut non credendum, quid faciendum aut non faciendum ſit; hoc eſt, judicant de propriis ſuis actionibus: ſed non publicè agunt judices, puniendo eos qui contrà ſentiunt; hoc eſt, armatâ poteſtate non utuntur, utì judices ſolent in ſubditos.

Rat. 3. Ipſe judex non ſiſtit ſe puniendum, ſi ejus ſententia minùs placeat ſubditis: imò (ut præmiſsâ ratione oſtenſum eſt) eos punit, ſi eandem acceptare renuerint. At nos privatos (quibus hoc diſcretionis judicium concedimus) docemus interim debere perſonas ſuas ordinariis judicibus ſubjicere. Non igitur illos judices facimus, quos affirmamus à prælatis eccleſiaſticis debere puniri, quoties privato ſuo ſenſui pertinaciter adhærent contra rectum judicium eccleſiæ; quos etiam monemus, Cenſuras prælatorum ſubeundas eſſe, quoties Spiritui ſancto in verbo loquenti fideliter adhærent contra falſum judicium eccleſiaſticorum. Non obſtante igitur hoc judicio diſcretionis, quod ſubditis relinquitur, prælatis competit armata poteſtas judicis: quâ legitimè uti poſſunt, quando vera præſcribunt; impiè uti ſolent etiam, cùm falſa decernunt. Nunquam ergò privari beneficio hujus judicii, quod *diſcretionis* appellamus, judices miniſteriales evadunt; imò oves potiùs occiſionis conſtituuntur, qui contra judicium prælatorum divino Spiritui in verbo loquenti ſeſe ſubjicere non poſſunt, niſi eâ conditione ut ſimul erroneis prælatis ſemet puniendos ſubjiciant.

Rat. 4. Si privatus adhibendo judicium diſcretionis in ſententiis prælatorum admittendis conſtituitur judex prælatorum, aut ju-

dex

dex fidei; tum privati, qui judicium diſcretionis adhibuerunt in admittendis vel rejiciendis ſententiis ſive decretis regum aut imperatorum, conſtituti erant judices imperatorum & reipublicæ. Utrobique par ratio: nihil enim cauſari poſſunt papiſtæ, cur dicatur judicis officium uſurpare qui adhibet judicium diſcretionis in approbandis decretis prælatorum, ſi non dicatur uſurpâſſe qui adhibet hoc ſuum judicium in examinandis decretis magiſtratuum & imperatorum. Sed manifeſtum eſt, pios Chriſtianos, qui agnoſcebant ſe ſubditos imperatorum, & longiſſimè abfuerunt à judicis officio uſurpando, adhibuiſſe hoc judicium diſcretionis in mandatis illorum ſive faciendis ſive omittendis. Hoc Auguſtinus & obſervavit & probavit. *Julianus* (inquit) *extitit infidelis imperator: milites tamen Chriſtiani ſervierunt huic imperatori infideli. Quando volebat ut idola colerent, ut thurificarent, præponebant illi Deum. Quando autem dicebat, Producite aciem, ite contra illam gentem, ſtatim obtemperabant. Diſtinguebant Dominum æternum à domino temporali, & tamen ſubditi erant propter Dominum æternum etiam domino temporali.* Videtis hic judicium diſcretionis ab illis adhibitum in examinandis Juliani decretis, qui ſemet interim non judices, ſed ſubditos Juliani agnoſcebant. Sic igitur privati adhibent judicium ſuum in diſtinguendis decretis prælatorum, & tamen agnoſcunt ſeſe ſubditos eſſe, non judices eorundem. Quando prælati definiêrunt Chriſtum eſſe Patri ſuo conſubſtantialem, quando decreverunt Spiritum ſanctum eſſe verum Deum, quando in Chriſto unam perſonam, duas autem naturas eſſe judicârunt; omnes pii & orthodxi ſtatim obtemperabant illorum decretis. At quando ſtatuunt Chriſtum non eſſe Patri ὁμόσιον, quando decernunt imagines eſſe cultu religioſo adorandas, quando judicant laicis in euchariſtia calicem eſſe adimendum, uno verbo, quando proponunt decreta divino verbo contraria; orthodoxi nec poſſunt nec debent illorum decretis parere. Clament itaque licèt ad ravim pontificii, hoc eſſe judicem ſeſe conſtituere; nos reſpondebimus cum Auguſtino, hoc nihil aliud eſſe quàm diſcernere & diſtinguere judicem abſolutum & æternum à judice miniſteriali & ſubordinato, atque apud animum ſuum decernere, Deo & verbo ejus potiùs credendum, quàm hominibus aut decretis humanis. Hæc de priori.

Tom. 8. in pſal. 124. (a.)

Jam ad probationem poſterioris propoſitionis accedamus, quæ fuit ejuſmodi; Hoc ipſum judicium diſcretionis quod privatis relinquimus, privato tamen eorum ſpiritui minimè concedimus eo ſenſu quo Jeſuitæ privatum ſpiri-

tum accipiunt. Hîc igitur illud præmittendum eſt rationibus noſtris: Quando negamus judicium diſcretionis privato ſingulorum Chriſtianorum ſpiritui à nobis eſſe conceſſum, per privatum ſpiritum non intelligimus propriam mentem, intellectum, ſpiritum, ſive animam rationalem, quatenus actum internum judicandi intra ſe exercet. Nam hoc ſenſu neceſſe eſt, ut quod quivis homo judicat, id per proprium, ſingularem, ſive privatum ſuum ſpiritum judicet. Actiones enim ſunt ſingularium: nec poteſt *judicare meum*, vel *intelligere meum*, aliter quàm per *meum judicium*, & *meum intellectum* exerceri. Sicut enim nemo actionem videndi peragit, niſi ſuis oculis, aut ambulandi, niſi ſuis pedibus; ità nec actionem intelligendi aut judicandi, niſi ſuo privato intellectu, & ſuo judicio. Quando igitur negamus, hoc judicium diſcretionis privato uniuſcujuſque ſpiritui à nobis concedi: non ipſum actum judicandi reſpicimus, qui ſemper in privato ſpiritu, id eſt mente rationali judicantis, perficitur, ſed ortum ſive originem ſententiæ in animo judicantis conceptæ ſpectamus, quæ non à privato phantaſmate, ſed ab illuminatione Spiritus divini deducitur. Hæc ſumma eſt; In judicio diſcretionis actum judicandi privato cuilibet Chriſtiano attribuimus, ſed ortum hujus diſcreti judicii privato ejus ſpiritui minimè concedimus. Quod rationibus oſtendetur.

Rat. 1. Qui hoc privatum diſcretionis judicium, quod ſingulis Chriſtianis concedunt, divino verbo interim alligant & adſtringunt, illi idem non committunt privato cujuſvis ſpiritui, hoc eſt, nolunt ut oriatur ex propria imaginatione aut phantaſmate cujuſvis hominis; ſed hoc judicium arceſſunt à communi & infallibili regula veritatis. At omnes proteſtantes unanimi conſenſu ad verbum Dei alligant omnia omnium mortalium judicia. Ridiculi enim, imò pluſquam inſani eſſemus, ſi, cùm paſtores, concilia, ipſóſque pontifices Romanos ad publicum verbum Dei tam arctè aſtringamus, quemvis è plebe Chriſtianum ſpiritui ſuo privato dirigendum permitteremus. Sed illud movet adverſarios, ut hanc ſententiam nobis adfingant, quia dum privati adhibere conantur hoc judicium diſcretionis, atque dum arbitrantur ſe divino verbo adhærere, adhærent nonnunquam privati ſui ſpiritus erroribus & inſomniis. Non negamus hoc aliquando accidere: ſed iniquum eſt ipſi rei attribuere, quod ab accidentali ejus abuſu poteſt evenire. Non modò proteſtantes, ſed Deus ipſe hoc judicium ſingulis Chriſtianis commendat: regulam & cynoſuram hujus judicii non modò ipſe

Deus, ſed omnes etiam proteſtantes à verbo Dei petendam conclamant. Si quis igitur privatus, in exercendo hoc judicio, ad verbum Dei non reſpiciat, ſed privatis ſuis inſomniis adhæreat; culpetur ejus inſcitia ſive pertinacia, ſed ipſum tamen judicium diſcretionis non idcirco explodatur. Si quis privatus nolit ſui ſpiritus delirium prælatorum decretis ex Dei verbo petitis ſubmittere, nos affirmamus illum coercendum pœnis ſpiritualibus, & temporalibus; tantum abeſt ut defendamus, licere cuivis privati ſui ſpiritus judicio adhæreſcere. Poſtremò, æquiores erga nos eſſent Jeſuitæ ſi ſuam ſententiam ipſi perpenderent, quæ huic criminationi æquè obnoxia eſt atque noſtra, ſi nos æquè prompti eſſemus ad calumniandum atque illi eſſe ſolent. Nam prælati, quibus à theologis conceditur non modò hoc judicium privatæ & practicæ diſcretionis, ſed etiam publicæ & miniſterialis poteſtatis, quandoque verbum Dei à tergo rejiciunt, & privati ſui ſpiritus errorem ſequuntur. Si quis tamen indè concluſerit, Privatum ſpiritum prælatorum à theologis judicem controverſiarum conſtitui; aut, Ab illis permitti prælatis, ut in judicando adhæreſcant figmentis cerebri ſui; egregium ſe calumniatorem probaret. Idem ſtigma merentur & iſti, qui ex noſtra ſententia colligunt, judicium diſcretionis, quod propugnamus, privato cuivis ſpiritui eſſe attributum.

Qui judicium hoc diſcretionis, vanum, falſum, fanaticum eſſe concedunt, quando ex privato ſenſu, & phantaſmate ipſius judicantis dimanat; verum, firmum, & legitimum eſſe affirmant, ſolummodo cùm oritur ex infuſo lumine Spiritus ſancti, & dirigitur ad normam verbi; illi hoc judicium diſcretionis Spiritui ſancto, non ſpiritui humano, tanquam authori acceptum referunt: At hæc omnium noſtrorum defenſio eſt. Quid enim aliud actum à nobis eſt in ſecunda quæſtione, quàm ut probaremus hoc judicium diſcretionis, quod verè fidelibus competit, oriri & pendere à dono cœleſti, non à carne aut ſanguine originem ducere? In quocunque igitur reperitur judicium diſcretionis rectum & ſanum, non illud privato ejus ſpiritui adſcribimus, ſed de eo dicimus, quod Chriſtus Petro de divinitate ejus rectè judicanti, *Caro & ſanguis hoc tibi non revelavit, ſed Pater qui eſt in cœlis.* Sed ut cæci de coloribus, ità carnales, hæretici, & infideles de dogmatibus malè judicant. Agnoſcimus ergò, tales in judicando obſcuta & cæca privati ſui ſpiritus phantaſmata ſectari: at hoſce dicimus, non judicium *diſcretionis*, quod *oculatum* eſt, ſed judicium *præcipitationis*, quod *cæcum* eſt, adhibere. Judicium igitur diſcretionis, quod fidelibus tribuimus, à ſacro fonte verbi divini, & cœleſti lumine Spiritus ſancti arceſſimus, non à caligantibus & obtenebratis humanæ mentis oculis.

Rat. 2.

Matth. 16. 17.

Qui, ut formetur in fidelibus hoc judicium diſcretionis, illos

Rat. 3.

remittunt non ad afflatus anabaptiſticos, ſed ad ordinarios verbi miniſtros, palàm eſt illos non probare Chriſtianos, qui ex privato ſuo ſenſu & cerebro judicant de dogmatibus fidei & religionis. Nam ſi hoc nobis probaretur, juberemus noſtros, otioſos domi deſidere, atque enthuſiaſmos expectare. Sed nos è contrà monemus, ut ſacros conventus frequentent, ut paſtoribus docentibus aures animúmque præbeant, ut denique judicia ſua refingi & reformari patiantur operâ miniſtrorum organo verbi divini utentium. Si hoc ſit privato ſingulorum ſpiritui judicium diſcretionis permittere, ego prorſus neſcio quid ſit Spiritui ſancto in Scripturis loquenti omnes alligare. Sed ſcio quid malè habet papiſtas noſtros: Quia prælatos *Deos* non facimus, nec nudis eorum aſſertionibus aut decretis Chriſtianorum fidem alligamus, indè clamant, nos privatum quemlibet in ſolium judiciarium evehere. Rurſus, quia laicos *beſtias* non facimus, neq; illis mentis ac judicii ſui uſum interdicimus, vociferantur illico, nos privato ſpiritui ſingulorum judicium de rebus divinis committere. Sed horum Jeſuitarum inconditos & inſanos clamores non eſt quòd morentur cordati theologi, aut prudentes quivis Chriſtiani. Quid Deus jubeat, qui nos ſalvos eſſe cupit, auſcultemus; quid papa aut papiſtæ dicunt, qui nos ſervos facere ſtudent, floccifaciamus. Atque jam ad exitum perducta eſt diſputatio noſtra de triplici judicio, *abſolutæ* ſcilicet *authoritatis*, quod ſoli Deo vindicavimus; *ſubordinatæ* & *miniſterialis poteſtatis*, quod principibus atque prælatis detulimus; *privatæ* denique & *practicæ diſcretionis*, quod ſingulis fidelibus aſſignavimus. Quid igitur? Hâc diſtinctione fixâ & ſtabilitâ, nihílne certi in doctrina fidei habebimus? nunquid ſingulos privati ſui ſpiritus inſomniis relinquemus? Imò habent omnes Chriſtiani ipſum Deum ſupremum legiſlatorem, & abſolutum authorem fidei & religionis ſalutiferæ: habent verbum Dei, perpetuam & infallibilem regulam divinæ veritatis: habent miniſtros à Deo conſtitutos, ex officio interpretes & præcones doctrinæ in ſacra Scriptura revelatæ, quanquam vitio ſuo nonnunquam corruptores & hoſtes ejuſdem: habent etiam poſtremo in loco Spiritum Chriſti, internum & infallibilem doctorem, qui piis mentibus tenebras diſcutiet, & lumen divinitus infundet ad rectè judicandum. Quibus ergò ſalus ſua curæ eſt, (paſtoribus jam circa fidem ubiq; diſſentientibus & compugnantibus) illis audiendum ſemper eſt miniſterium à Chriſto inſtitutum, ſed cum diſcretione judicii penſiculati, non cum opinione obſequii abſoluti. Conſulendum & revolvendum eſt omni ſtudio ipſum verbum à Deo revelatum, ipſe denique Deus aſſiduè orandus, ut illuminatum diſcretionis judicium ſingulis impertiat. Præclarè in hanc ſententiam Auguſtinus, in fine epiſt. 120. quæ eſt ad Honoratum, *Ama eccle-*

Mirandulanus de fide & ord. credend. theorem. 23.

ſiaſticas

ſiaſticas legere literas, & non multa invenies quæ requiras ex me: ſed legendo & ruminando, ſi etiam purè Dominum largitorem bonorum omnium depreceris, omnia quæ cognitione digna ſunt, aut certè plurima, ipſo magis inſpirante, quàm hominum aliquo commonente, perdiſces: quanquam eo ipſo quo forinſecus bene admonentem judicio non errante approbamus, quid aliud quàm internum lumen magiſtrum nos habere teſtamur? Quicunque igitur hoc pio & religioſo animo præſtiterint, utcunque qui in terris cathedras occupant, diverſa & contraria docuerint; hiſce errores ſuos & commenta humana ſub fidei prætextu obtrudentibus; illis veritatem evangelicam, & orthodoxam fidem propugnantibus: qui tamen in cœlis cathedram habet, piorum corda ab erroribus perniciosis avertet, & ad ſalutiferam fidem amplexandam Spiritus ſui magiſterio diriget. Atque ità hanc omnem quæſtionem de judicio fidei Deo adſpirante jam tandem abſolvimus.

Laus Deo.

FINIS.